



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.


For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.









574

2941 e 56





**BIBLIOTHECA**

**CLASSICA LATINA**

**SIVE**

**COLLECTIO**

**AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM**

**CUM NOTIS ET INDICIBUS**



*On souscrit, à Paris,*

**CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.**

**BARROIS l'ainé, libraire, rue de Seine, n° 10, F<sup>bg</sup> St-Germ.**

**DE BURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.**

**F. DIDOT, imprimeur du Roi, rue Jacob, n° 24.**

**TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.**

**ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.**

**BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.**

**BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.**

**MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.**

**DONDEY-DUPRÉ, impr.-libr. rue St-Louis, n° 46, au Marais.**

**H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.**

**ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.**

**Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.**

**MARCI VALERII**  
**MARTIALIS**  
**EPIGRAMMATA**

---

**EXCUEBAT FIRMINUS DIDOT,  
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.**

---

M. V. MARTIALIS  
EPIGRAMMATA

AD CODICES PARISINOS

ACCURATE RECENSITA

VARIIS LECTIONIBUS, NOTIS VETERIBUS ET NOVIS,  
GRÆCA INTERDUM VERSIONE, NOTITIA LITERARIA,  
ET INDICE LOCUPLETISSIMO

ILLUSTRABERUNT

QUINQUE PARISIENSIS ACADEMIÆ PROFESSORES

---

VOLUMEN PRIMUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV



---

## EDITORIS NOVI PRÆFATIO.

---

AD optimorum codicum fidem emendatus, optimarum annotationum copia, quantum fieri potuit, illustratus, ac pertinaci explanatus diligentia, en denuo prodit in lucem epigrammatum summus artifex Martialis. Qui quidem tot et tantillis opusculis suis qualem et quantam sibi merito gloriam vindicare possit, neque hic disputabimus, et declarare supervacuum sine controversia foret : sed admonitos lectores volumus, e Latinorum poetarum multitudine paucos admodum esse quos magis sit necessarium notis et interpretatione quasi perpetua explicari, ne legentium plurimos genuinus sensus aut tarde afficiat, aut omnino effugiat. Et illud quidem, si quis usquam eruditior simul, atque delicatior in iudicando vir, ille nobiscum fatebitur; sed id qua ratione esse possit, quidam forsitan rogent : neque enim iis vitiis Martialem laborare dixeris, quæ subobscuros persæpe poetas efficiunt; quippe qui neque obsoletas et antiquas et merito antiquatas, aut voces, aut loquendi formulas, ut Plautus, habeat; neque aut asper, aut audax, aut pressus nimis in construendo sit, quibus vix Aquinatem satyrographum, aut Horatium, aut sublimem Tacitum, miratores quemque sui, identidem absolverint; neque, ut Delphici et Sibyllini Apollinis æmulator Persius, tenebras et caliginem versibus suis sponte circumdare moliatur.

Hæc equidem vera nolim diffiteri : quanquam , quod obscuritatis causam non perspicias et assignes , ex eo non sequitur necessario inesse obscuritatem ; neque , dum re vera immorabitur sæpius et hæsitabit qui legendum Martialem suscipiet , jure dixeris , nec immorandum unquam esse , nec hæsitandum . Sed ne plura in irritum , eam causam facile reperire est , quæ minus perspicuos Epigrammaticarii nostri jocos sæpe facit , dummodo sedulo excutias , et quale sit illi ingenii genus , et quibus ingenium illud suum applicare consueverit .

Nempe , ut facies et statura hominum , ita ingenium multiplex quoddam et varium est . At ne , in multiplices et prope innumeras , quod aiunt , specialitates si degredi acciderit , nihil jam secernatur , et evanescant præcipui χαρακτῆρες , duplex tantum ingenii genus distinguitur . Illud excelsum , et vastum , et sublime , « nil parvum aut humili modo , nil mortale » sonat ; alterum argutum , subtile , vividum , lepidissimi acuminis , rapidissimæ nequitiae plus habet . Illi placet regna et reges , magnifice gesta , magnas clades gravissima voce loqui ; huic vero e summis in ima quasi desultatoria penna volitare , et sales spargere , et facetias , et jocos . Homerus et Tragici et Dithyrambicæ poeseos princeps Pindarus illo claruere ; hoc Σατυρογράφους et Comicos , hoc Aristophanem et Lucianum apud Græcos , in Italia Plautum et Martialem , commendavit .

At hæc de quibus jocantur , qualia esse nunc putemus ? Scilicet res vitæ levissimas et minutissimas , ut civitatis ridiculi mores , vestium forma et color , convivales apparatus , amatoriae nequitiae , religio , ædes , ludi , doli et id

genus multa, quæ vicibus perpetuis obnoxia, aut locorum mutatio subinde variaverit, aut brevissime temporum fuga e medio sustulerit. Ista vero quæ circa res magnas versantur, affectus animi intimos movent et perpetuum movent, neque ulla sæculorum serie neque longinquarum solitudinum spatiis hebetanda. Sic et pueriliter expavescentem Astyanacta et Andromachen *δακρυόεν γελάσασαν* quum legimus, non minus facile intelligimus quam suaviter affecti miramur. Sic et vicissim amore, metu, ægritudine, ira nos Virgiliana Dido vehementer agit. Quid interest, an hæc Carthagine et Trojæ in mœnibus evenerint? an viginti, an triginta abhinc effluxerint sæcula? «Sunt lacrymæ rerum, et mentem mortalia tangunt.» Spectant illa vere divina ad humanitatem totam, atque «humani nihil a te alienum putas». Verum ista, quæ supra memoravimus, num pertinent ad totam humanitatem? minime, sed in angulo perexiguo terrarum, sed in articulo temporis fluxo et cito transeunt: ibi, hodie intelligis, aut alio, aut cras dubitaturus; locum muta aut tempus, jam res minus in perspicuo erit. Ita, lib. I, epigr. xxiv, quum ait Martialis,

Mirabar quare nunquam me, Cotta, vocasses:  
Jam scio me nudum displicuisse tibi.

nullus hic sensum ante attigerit, quin id doceatur, solitos nimirum esse promiscue in balneis viros et feminas lavari, et hic sæpe, quum deposita veste totum corpus spectaretur et justo æstimaretur, eligi a multis aut amasios, aut amicas. Item quum lib. IX, epigr. xxx, Philænidi occidens, hæc precatur a Diis Manibus,



Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,  
Ne tua non possint eruere ossa canes;

cui nos perspectum fore credimus, quantum et lepidissimi salis et amarissimi fellis in ambiguo carmine sit, nisi formulam hanc loquendi, *Sit tibi terra levis*, bene norit! Porro in his quæ exempli loco attulimus, illa duntaxat selegimus, quæ circa res omnibus notas versabantur. Finge tamen tirunculo cuidam e scholis ignorari, licet ille apprime sciat quid omnes voces significant, et verborum ordinem rectum facile perspiciat, num intelliget? At in Martiale quam multa sunt, in quibus vel eruditissimi viri tirunculos sese fateantur? quot et quanta, in urbe tunc omnium vastissima et diversissima, mixta et contraria celebrabantur? quam pauca autem ex his ad nos usque et prope vicesimum sæculum pervasere? Ubi matutinæ salutationes, deductiones, togatorum anteambulationes, sportulæ aut cœnæ rectæ, et convivantium in eodem convivio avara distinctio? ubi balnea, thermæ, porticus, donativa, annonarum divisiones, amphitheatra, circi, ludi, aurigarum factiones, mirmillones, belluæ, pegmata, aulæa, fistulæ quibus diffundebantur unguenta, et, portentosum spectaculorum genus, Scævolarum, Porciarum et Pasiphaes repræsentatio? Ubi Isidos bajuli sacerdotes, Aricinæ Dianæ altaria, Bonæ Deæ sacri dies, Floraliū et Saturnaliū plus quam Suburrana licentia? ubi lecticæ senatorum, currus meretricis, triumphantium imperatorum thensæ, mortui tribulis sandapila? ubi denuo, nam etsi multa sigillatim nominavero, plura etiam me effugerint, ubi ista civitatis unius, viri unius *in cuncta terra-*

*rum*, inaudita, ingens dominatio; qua manente necessarium erat, ut urbem in unam tot confluerent populi, tot magistratus, tot ritus et mores, tot religiones, tot philosophantium sectæ, et tam mira effloresceret staturarum et corporum, ingeniorum, vestium, ædium, laborum diversitas? Quum ex iis nihil jam nos videamus, quis mirabitur, haud facile ea intelligi, quæ istiusmodi res semper narrant, semper innuunt?

At nihil nobis ex iis deerat, quæ laboribus nostris auxilium ferre possent. Nam multi ante nos, et ii celebratissimi viri, his epigrammatibus vel quibusdam vel omnibus navarunt egregie operam; quos inter nominemus Raderum, Ramiresium, Farnabium, Gruterum, Gronovium, Calderinum, Musambertum, Schrevelium, Beverlandum et Anton. *de Rooy*: et præterea, quod utilius forsitan sæpe fuit, multi de Romanis antiquitatibus copiosissime et ex professo scripserunt. Hæc quum abundarent, nihil jam, ut haud absurdum opus absolveretur, necesse erat, nisi improbus labor et pertinacia summa in eligendis et exscribendis notis, quod nos ad hæc pro virili parte contulisse arbitramur et gloriamur. Proferatur ergo demum quid a nobis in nova hac editione præstitum sit:

1<sup>o</sup> Vitam Martialis, iudicium et testimonia de auctore et editionum notitiam literariam, ut mos noster est, præmisimus, cum dissertatione de metris Martialis et indice alphabetico epigrammatum indicante aut primas voces, aut lemmata; tum tertius declarat, quem numerum in diversis editionibus ea præferant; quartus vero omnia illa in locos communes distribuit.

2° Textum ex optimis Manuscriptis omnibusque editionibus, etiam recentissimis, inter se collatis diligenter recognitum emendavimus, veterem ὀρθογραφίαν respuentes. Tum Julii Scaligeri μεταφρασιν græcam epigrammatum quorundam contextui subjecimus.

3° Variantium lectionum fere omnium meminimus; sed de iis raro judicavimus, quum sæpius satis indicaret, aut quantitas syllabarum, aut sensus, quæ bona, quæ melior; rarius vero de iis disputatio nobis instituta fuit.

4° Iis præcipue notis usi sumus, quas principio in edit. Gallic. ad usum Delphini publici juris factas juris sui Cl. *Valpy* fecit, quibus tamen et Variorum notas sæpe, interdum nostras, adjunximus.

5° Monetarum, pondèrum et mensurarum tabulas, a Doctissimo Viro LETRONNE accurate confectas, tabulas ad calcem primi voluminis dedimus; ad quæ sæpenumero recurrendum tibi est, dum Martialem legis.

6° Indicem addidimus copiosissimum, qualem nulla hucusque in editione reperire erat. Valpiano quidem in Martiale indicem habes omnium vocum quibus auctor usus est; sed perpetuum fere unica vox est, cujus locus indicatur. Nos duas, interdum tres voces ita jungimus, ut memoriæ simul auxilium adveniat, et laboris minus in requirendo consumatur.



---

AD  
LECTORES.

---

EX EDITIONE TH. FARNABII.

---

**P**ASSENIUM Paulum, splendidum equitem Romanum, Elegos quos erudite scripserat recitaturum, atque incipientem dicere *Prisce jubes*, Jabolenus quidam Priscus qui aderat, Paulo quidem amicus, sed ipse dubiæ sanitatis, interpellavit; *Ego vero*, inquires, *non jubeo*. Oborto audientium risu, non dubium est quin Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulerit: atque hinc monet Hinius, providendum esse tam sollicite recitaturis,<sup>1</sup> non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant. Sanum profecto, mi Secunde, consilium: neque enim difficile erat vobis, qui coram paucis iisque delectis et amicis intra parietes vestros recitabatis, insanos amovere. Sed e publico hoc theatro quis præco amovebit asperos hosce et austeros Xenocrates,<sup>2</sup> qui Gratiis non litarunt? quis designator e cuneis Patrum et Equitum excitabit istos plebeii et ἀφιλοκάλου ingenii<sup>3</sup> Marios, qui Musis sacra non fecerunt, nec facere curant? quis mysta a Musarum sacris arcebit profanum hoc vulgus, imperitum juxta atque arrogans, et hoc arrogantius quo imperitius? Alii nam-

1. *Providendum*, etc. Plinius Sec. lib. VI, epist. 15.

2. *Asperos et austeros Xenocrates*. Plutarchus in Connub. Præcept. at-

que Diogenes Laertius in libro IV.

3. *Plebeii...et ἀφιλοκάλου ingenii*.

Vid. Plutarch. Vita Marii, et Val. Max. lib. II, cap. 1.

que, ut missos eos faciam, qui theatrum ingrediuntur tantum, ut exeant, seu aliorum præjudicio, seu fiducia sui audiunt solum quod carpant, neque tam utuntur literis quam abutuntur, in verbi unius aut alterius calumnia malum struunt, quo Poetas in invidiam vocent: tum denique se Platonas et Aristarchos rati, si alienæ insultent laudi, utque ἄποδες aviculæ ramos arborum,<sup>1</sup> sic illi humeros bonorum affectent, unde emineant. Alii, homines ignava opera atque servili sententia, δοξόσοφοι, pedarii iudices et ex aliorum ore penduli, illorum velificati auctoritati, subjudicant potius quam præjudicant. Alii barba tenuis docti, piceo graves pallio, ubi a rastris ad Rostra transcenderint, jamque ostrum somniare ausi, vacuum plus nimio verticem inter astra condiderint, Mercurio cum Philologia sua, quam quia ne primoribus quidem labiis prælibasse iis contigit, bona non dicunt verba, immò nuntium remittunt; Apollinem et Musas, quas quia illis ne a limine quidem salutasse datum est, eliminandos clamitant, et inscitiae suæ prætexentes sanctimoniam, quæ artes omnes humaniores, tum poeticam damnandam in totum, et, ut cum Sidonio loquar,<sup>2</sup> *ex asse* pronuntiant. Alii denique (ut in arenam meam descendam, et ad mei ordinis homulos, salva semper doctis et bene meritis reverentia, quos nemo mortalium magis colit quam ego, magis veneratur) non submitunt se Petronii arbitrio, qui generosioris Poetæ spiritum sanitatem amare negat, neque enim concipere aut edere partum mentem posse, nisi ingenti flumine literarum inundante; neque<sup>3</sup> Senecæ (pronuntiantis, non posse eum aliquid grandius ore mortali canere, nisi qui vulgata et solita contempsit, instinctuque sacro surrexit altior) auctoritate adduci possunt,

1. Ἄποδες aviculæ, etc. Vid. Plin. *Rer. Nat. Hist. lib. X, cap. 39*, et *lib. XI, cap. 47*.

2. *Sidonio*, etc. *Lib. III, ep. 14*.

3. *Senecæ*, etc. *De Tranquillitate animi, cap. 15*.

ut majorum gentium versent Poetas; sed suos, ut ejusdem Arbitri verbis utar, ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriore verborum ambitu intexuit, putant continuo in Heliconem venisse: et quidni venerint? quando ipsis pædagogulis *Fauste precor gelida sonet altius quam Arma virumque cano*, et Elegiaci omnes sordeant, si conferantur cum *Qui mihi discipulus*. Sed unde hæc, quæso, vestra gravitas tanta, sapientia, et sanctitas; immo pigritia, arrogantia, et sinisteritas? Poetæ, quod prætenditis, obscuro sunt. Sed videte, ne hoc vitium a vobis sit, qui non assidua lectione redditis eos magis familiares. Quin et commentatores satis luculenti facem præferunt; quorum tædium si vel delicati ferre non potestis, vel ad graviora forte studia properatis potius quam maturatis, en vobis sensus medullam notæ admarginales præstant. Sed inutilis est, ut causamini, eorum lectio; et, quod dixit Zeno,<sup>1</sup> ad perceptionem disciplinarum nihil alienius Poetica. Vobis, quæ non legitis, an exspectatis usui esse posse? Discite quid dicere Plinius solitus sit, referente nepote suo:<sup>2</sup> Nullum esse librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodesset. Ac ne virtutes et utilitates Poeticæ cogar in hoc transcursu licentioris quam institueram præfationis recensere, D. Augustino vobis auctore, colligite quæcumque ab Ethnicis scripta sunt, et in usum vestrum vindicata, possessoribus illis injustis erepta. At ex Poetis plerique, dum tetrica volunt amœnare, verborum nuditate atque rerum obscœnitate aurium reverentiam incestant, animi mores corrumpunt. Nolite, quæso, loqui perinde ac si in Platonis Republica, aut cum perfectis hominibus viveretur: quasi vero detur sincerum aliquid, sine mali admistione purum, et ab omni terrena face quasi divino igne excoctum. Profert, habetis enim

1. Zeno, etc. Diog. Laertius de Vitis Philos. lib. VII.

2. Referente nepote suo. Plin. Cæcil. Min. Lib. III, ep. 5.

fatentem reum, hæc Ægyptus noxia multa, et multa salubria cultori medicamenta; <sup>1</sup> habet hæc Attica, ut mel optimum, ita cicutam letalem; et in amœno hoc prato urticis sæpe violæ, spinis rosæ internascuntur. Vos apum more omnia lustrate, optima libate. Neque enim, si quis ingenio bono male utatur, velitque per curiositatem esse ingeniose nequam, culpam in alium quam in se conferat. Laudato sane utilique exemplo castigant hodie castrantque nequiores Poetas, uti et hunc Nostrum M. Raderus; quod et mihi in animo erat. Verum, partim, ne arguerer difficilia, et quæ Delio aliquo notatore ac interprete qui sphingem acceperit opus habent, sub prætextu obscœnitatis omisisse; partim, amicorum id ad me efflagitantium precibus victus, Poetam integrum, <sup>2</sup> edidi. Quoniam autem *castum*, ipsius Cātulli <sup>3</sup> iudicio, *esse decet pium Poetam*, interpretem multo magis esse oportere iudicavi, neque oleum flammæ addere, neque Veneris urticas, οὔτε τὰς ἐκ τῶν βιβλίων ἀκάνθας ἐκλέγειν, ἀλλὰ τὰ χρησιμώτατα καὶ ἀκοῆς ἄξια, <sup>4</sup> consulte epigrammata obscœniora silentio prætervexi, <sup>5</sup> quæ alium malo quam me explicare, alium intelligere: quorum quidem lemmata obelo in priore editione transfixi, quo vada hæc cæcosque scopulos cautius declinaret lector; non digitum ad lupanar intendi, qua me calumnia in circulo suo Græculo nescio

1. *Ægyptus*, etc. Vid. Plutarchus de Audiendis Poetis ex Hom. Od. Δ.

2. Ita et nos, quamvis diu reluctantes et inviti plurima nefandarum imaginum monstra interpretari horruerimus: sed jam in præfatione nostri Juvenalis, pag. ix et seq. crimen hoc confessi cum optimis editoribus commune suscepimus. Videas, si nobis non defendentibus ignoscere volueris, quo-

modo ibi conditionem nostram in tam lubrico et difficili momento exposuerimus. Non alia est in edendo Martiale integro, quam in Juvenale culpa: non alia erit excusatio. ED.

3. *Cātulli*, etc. Epigr. xvi.

4. Οὔτε τὰς ἐκ τῶν, etc. Ulpianus apud Athenæum, lib. XV, cap. 3.

5. *Silentio prætervexi*, etc. Τῶ ἀποσιωπῆσαι δῆλος γινόμενος δυσχεραίνων τῷ λόγῳ. Epict. Enchir. cap. 55.

quem agyrtam non puduit perstringere. Horruit mihi animus aperire sentinam, aut movere cloacam : neque enim volui hos esse Philænidis commentarios spurcidicos, Sotadicos, Lampsacenos, Cinædipolitanos, Ramiresianos. Illis itaque prætermisissis ac suppressis, ea maxime explicare atque exornare curæ pretium duxi, quæ sublimia, acuta, mellis, leporis, piperatæque facundiæ<sup>1</sup> plena, in quibus ferventis fulmen ingenii et salva dominatur libertas. Denique, ne proloquii amplitudo angustias regulares et ipsius Myndi modulum excrescat; quoniam, ut ait<sup>2</sup> Plinius, Benignum est et plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, obnoxii contra animi et infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere; quia in tam arctati operis instituto, in quo brevitati, quantam tamen ferat elucidationis necessitas, studui, non datur ubique illud profiteri, hic agnosco me secutum editionem Clarissimi Viri Petri Scriverii; consuluisse MS. unum venerandæ antiquitatis et fidei bonæ, in bibliotheca Bodleiana, ut et alios duos MSS. Oxonienses; usum fuisse ope commentatorum quotquot exstant omnium, in consilium adhibuisse Petri Scriverii animadversiones<sup>3</sup>, Gruteri notas, Facem artium, et Criticos alios, Anthologiam diligenter contulisse, Historicos insuper omnes et auctores Nostro συγγρόνους relegisse, quos ad Poetam intelligendum facere judicavi, quorum alios cito quandoque testes, ad alios lectorem sæpe brevittatis studio relego : neque sic tamen mihi ubivis fecisse satis, neque aliis. Ita plane deplorata jacet spes gratiæ, aut etiam veniæ apud iniquiores impetrandæ. Sed gratuita usque fruuntur malitia. Ego neque ἀντιλακτίζων<sup>3</sup> Isidis bajulos μεγάλα λακτίζοντας καὶ ἐπὶ ὄνου ἔργῳ μεγαφρονοῦντας,<sup>4</sup> neque crura suffringens canibus,

1. *Piperatæque*, etc. Sidonius Apoll. lib. V, epist. 8.

2. *Plinius*, etc. Epist. ad Nat. Historiam.

3. *Ἀντιλακτίζων*. Plutarch. de Socrate, lib. de Educat. Puer.

4. *Μεγάλα*, etc. Arriani Epict. lib. III, cap. 14.



## ΚΗ AD LECTORES TH. PARNABIUS.

qui si non latrant, hirriunt tamen,<sup>1</sup> neque armata elidens manu anseres,<sup>2</sup> rabioso stridore in me impetum facientes, dum alius mihi tunicam lacerat, alius vincula calceamentorum resolvit, alius crus meum serrato vexat morsu : in scientia, iudicio, et candore eruditorum et cordatorum securus acquiesco :

τί με ὦ κάτω ἔλκετ' ἄμουσοι;  
Οὐχ ὑμῶν ἐπόνουν, τοῖς δέ μ' ἐπισταμένοις.  
Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος, τρισμύριοι· οἱ δ' ἀνάριθμοι,  
Οὐδείς.<sup>3</sup>

1. *Crura*, etc. Cicero pro Roscio Amer.

2. *Armata*, etc. Petronius Arb. sub fine Satyræ.

3. Τί με ὦ κάτω... ἀνάριθμοι Οὐδείς. Diog. Laert. Epigramm. in

lib. Heracl. Anthol. lib. III, cap. 33.— Quod traducere est : « Quid, o Musarum inimici, me deprimitis? non vobis laboro, at iis qui me norunt : vir unus mihi, multorum loco est; innumeri, quasi nullus. »



---

# M. VAL. MARTIALIS VITA,

EX IPSO MARTIALE POTISSIMUM DEPROMPTA,

AUCTORE

MATTH. RADERO.

---

**M.** VAL. MARTIALIS, patre Frontone, matre Flaccilla, Bilbili in Celtiberia, Claudii Imper. anno præterpropter primo, Christi XLIII, quamquam hoc ex conjectura magis quam ἀποδείξει, natus, Calagurritanus fuit alumnus, quam obscurus majorum natalibus, tam clarus ingenii monumentis. De nominibus Poetæ constat ex omnium codicum fide, qui M. Valerium Martialem præferunt : quæ, num ipse sibi adsciverit, an a parentibus acceperit, in medio relinquo ; quamquam Marci et Valerii Romana nomina Romæ primum assumpta judico. Civem enim Romanum fuisse nullus dubito, quum aliis ipse civitatem impetrarit, ut lib. III, epigr. 95, gloriatur in Nævolum ;

Quot mihi Cæsareo facti sunt munere cives,  
Nec famulos totidem suspicor esse tibi :

nec factum, sed natum ; alioqui patronum suum carmine laudasset. Facilis vero erat tum aditus ad jus civitatis,

#### XIV DE M. VAL. MARTIALIS VITA

quod Claudius tam vile fecerat, ut vitreis fractis vulgo diceretur emi. Otho vero peregrinis etiam donavit, ut Dio in Claudio et Othone testatum reliquit. Bilbilis colonia Augusta dicta est, ut ipse scribit, lib. X, epigr. 103 ;

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri  
Monte creat :

et exstat in Tiberii Imp. aëreo nummo, AUGUSTA BILBILIS. Vespasianus autem, Plinio teste III, 3, universæ Hispaniæ jus Latii dedit; civitatem postea Caracallus. Marci ergo et Valerii nomina, more civium Romanorum, qui prænomen, nomen, cognomen ferebant, sibi Poeta legit, arbitrato reor suo. Marci forte et Martialis, quod mense Martis esset editus; illi enim Marci, ut Veteres tradunt, vocabantur. Valerii nomen, vel a Mœcenate suo aliquo Valerio, vel Valerio Flacco familiari poeta, vel forte ob memoriam Catulli, quem est imitatus, qui et ipse Valerius audivit, sibi sumpsit: nec enim a majoribus acceptum arbitror, etsi non ignoro, nomina novis civibus assumpta ab iis, quorum beneficio civitatem impetrassent, sua vero pro cognominibus servata. Quod lib. I de bello Gallico Cæsar ostendit, quum ait; « Commodissimum visum est, M. Valerium Procillum, Caii Valerii Caburri filium, cujus pater a Caio Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere ». Et Cicero ad Acilium, « Cum Demetrio Mega mihi vetus hospitium est: ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur ». Idem ad eundem Acilium: « C. Avianium Philoxenum Cæsar meo beneficio in Novocomenses retulit, nomen autem Avianii consequutus est, quod homine nullo plus usus est, quam Flacco Aviano meo familiarissimo. » Item in Verrem: « Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catuli a Sylla civis Romanus factus, eademque ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli civis

factus, Q. Cæcilius Dio est appellatus. » Sub imperatoribus, quum Romana civitas integris provinciis daretur, hi, qui civitatem Romanam consequebantur, vel Imperatoris prænomen et nomen, vel ejus, aut eorum, quorum præcipue subsidio civitatem impetrassent, nomina ferebant. Verum quum Antonius Caracallus Imperator constitutionem edidisset, quæ lib. I Digestorum sub titulo de statu hominum refertur, qua omnes eos, qui in urbe Romana essent, cives esse voluit; tum pro cujuscunque arbitrio nomina sumpta, aut nobilissimarum familiarum, quæ jam defecerant, aut nova excogitata, vetere vocandi consuetudine, quæ ad ea usque tempora parum certe violata perduraverat, paulatim postea labante. Quæ præcipua causa fuit (quod portento simile est) ut post Caracalli tempora, intra paucissimos annos horum nominum usus, per mille annos conservatus, omnino dissipatus, et in nova vocabula transformatus. Nam nulla deinceps nominis, prænominis, vel cognominis distinctio observata est, sed omnia in fœdissimam barbariem versa antiquitatis cognitionem omni ex parte perdidierunt. Hæc Panvinius de antiquis nominibus Romanorum. Consule et Sigonium et Ursinum de nominibus et familiis Romanorum, Volaterranum Anthropol. Martialem (quamvis et hoc Romanum) a parentibus nuncupatum, sive a kal. Martiis, quibus est editus, sive majorum arbitratu ob Martis cultum et memoriam censeo. Martiales porro nostro poetæ fere æquales plures lego apud scriptores. Est apud Lampridium Gargilius Martialis, paulo tamen nostro Martiale minor. Celebrat Tacitus Cornelium Martialem primipilarem. Laudat noster Martialis Julium Martialem familiarem suum. Vixit eodem fere ævo S. Martialis, Gallorum mystagogus, Lemovicensis pontifex, scriptis primum suis nobilitatus, dein etiam sanguine pro Christi nomine profuso purpuratus. Notus est et ille Martialis apud Herodianum, lib.

xvi DE M. VAL. MARTIALIS VITA

IV, Caracalli percussor. De kalendis Martiis Poetæ natalitiis ita X, 24, Martialis ipse canit,

Natales mihi Martiæ Kalendæ,  
Lux formosior omnibus Kalendis.

et lib. eodem, epigr. xcii :

Martem mearum principem Kalendarum.

Coquus audit apud Lampridium in Alexandro Severo : « Ut Martialis Coqui, *inquit*, epigramma significat, quod contra quamdam Gelliam scripsit hujusmodi : Quum leporem mittis. » Coquum item appellat Joannes Sarisberien- sis, lib. VIII, Polycrat. cap. 6 et 13, et auctor Sophologii, VII, 12, præter alios quosdam, qui vitam Martialis conscripserunt. Quod nomen an gentilitium sit, an posthumum et hominum studio inditum, non decerno. Sunt qui censeant a conviviis, quæ frequenter celebrat, Xenii, Apophoretisque hoc illi nomen conditum : alii re ipsa coquum egisse principio existimant. Titius, VII, 21. A majoribus adhæsisse illi potius existimem, seu parens coquus ab artificio audiit, seu a majoribus accepit. Ob tam pauca epigrammata, quibus convivia celebrat, nomenclaturam hanc indeptum esse non est vero simile. Ex hodiernis scriptoribus Casaubonus, Rob. Titius, Claudius, Musambertius seu Marcilius, iterum coquum indigitant : alii negant ; natumque errorem hunc ex corrupto Lampridii codice, conjiciunt, quem ita legunt : *ut Martialis coce, pro quoque*. Sic enim prisce scribebatur : unde *coci* seu *coqui* vox derivata ac depravata. Meursius de gloria, Claverius in vita Persii, Ramiresius ad prim. epigr. Spect. Sed ego codicem illum antiquum Lampridii optarem inspicere, et in rem præsentem venire. Quid enim ? in hac sola voce errarunt librarii, in cæteris emendate scripserunt ? Aliud est, quod me movet, ut eam scripturam ita

legendam putem, quod ipse sententiæ ordo desideret *quoque*. Sic enim Lampridius: « Idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos, qui leporem comederint, ut Martialis quoque epigramma significat ». Cognoscis, lector, quam opportune cadat hic illud *quoque*? Scripturam ergo priscam confirmat ipsa series et mens verborum. Etsi non necessario legas *quoque* (constat enim sensus nihilominus integer et perfectus, si legas *coqui*), mens tamen inclinat in *quoque*. Multa enim Scriverius super voce *coqui* ad epist. libro I præfixam, et Barthius, VI, 1, qui *coquum* appellat, et super ea re disputat copiosius. Est quum κατ' ἀντονομασίαν epigrammatarius, ut Homerus vel Virgilius poeta, Demosthenes vel Cicero orator, philosophus Aristoteles, dicitur. Parentum nomina, nisi filius cantasset, oblivione sepulta jacerent: immortalia reddidit lib. V, epigr. xxxiv:

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla, puellam.

Parentem tamen affirmant aliqui *coquum* dictum lectumque. Uxorem habuit Clodiam Marcellam ex gente Claudia plebeia, lib. XII, XXI:

Municipem rigidi quis te, Marcella, Salonis,  
Et genitam nostris quis putet esse locis?

et mox:

Te cito ridebit peregrinus Clodia partus,  
Romanam ducat quam magis esse norum.

Ita distichon hoc legit Josephus Scaliger ad illud Catulianum, carm. LX, 219:

Dulce rideat ad patrem.

Ex Martiale tamen discis, Clodiam hanc Marcellam non Romanam, sed Hispanam et Bilbilitanam patria fuisse;

*l.*

*b*

**xviii DE M. VAL. MARTIALIS VITA**

ut merito dubitare possis, an ex gente Claudia Romana fuerit hæc Marcella : versum ergo Martialis rectius scripserim, ut ante habuit :

Nec cito ridebit peregrini gloria partus.

In patria laudanda tam diligens et frequens est, ut illius amantissimum facile intelligas ; I, LXII :

Te, Liciniane, gloriabitur nostra,  
Nec me tacebit Bilbilis.

Lib. eodem, epigr. L :

Vir Celtiberis non tacende gentibus,  
Nostræque laus Hispaniæ,  
Videbis altam, Liciniane, Bilbilin,  
Equis et armis nobilem.

Lib. X, ciii :

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri  
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis;  
Ecquid læta juvat vestri vos gloria vatis?  
Nam decus et nomen, famaue vestra sumus.

Et mox in sequenti :

Illinc te rota tollet, et citatus  
Altam Bilbilin, et tuum Salonem  
Quinto forsitan essedo videbis.

Lib. XII, xviii :

Me multos repetita post Decembres  
Accepit mea rusticumque fecit  
Auro Bilbilis et superba ferro.

Sed de patria Martialis et de hac Bilbili plura, I, L. Romam venit, quum annum ageret alterum et vicesimum, Nerone imperante : egit in urbe annos quinque supra tri-

ginta : discessit septimo et quinquagesimo. Quod ipse in-  
docet Poeta , quum XII , xxxi , de hortis Marcellæ ux-  
oris ita canit :

Munera sunt dominæ post septima lustra reverso.

Lib. vero X , civ , a patria se triginta quatuor annos ab-  
fuisse adhuc in Urbe degens scripsit. Porro , X , xxiv , de  
suis kalendis , monet se quinquagesimum septimum an-  
num attigisse :

Quinquagesima liba septimamque  
Vestris addimus hanc focus acerram.

Ex quibus concludo , Poetam sub Nerone , Galba , Othone ,  
Vitellio , Vespasiano , Tito , Domitiano , Nerva , Trajano ,  
Romæ vixisse , quum , ut plane sentio , sub primum Tra-  
jani annum , quod ab eo negligeretur , in patriam redierit ,  
ibique post quadriennium , summum quinquennium ex-  
actum , ultimum vitæ diem clausit , ita ut ἐξήκονταετής  
fere obierit , aut annum ultra vitam prorogavit. Obiit  
ergo anno post C. N. CIV , aut CV , Trajani quarto  
aut quinto , Sura et Serviano iterum Coss. Olymp. ccxx ,  
a. 2 , post U. C. dcccliv. Romæ Domitiano , immo et  
Tito carus gratusque fuit , magnisque honoribus et donis  
ab utroque ornatus ; jure nempe trium liberorum , quod  
solus Imperator conferebat , maximæque argumentum  
gratiæ erat. De quo Plinius minor , Tacitus , Lipsius ,  
alii , et nos suo loco. Gloriat de hoc munere Poeta ,  
III , xcv :

Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque ,  
Natorumque dedit jura paterna trium.

Et IX , xcvi :

Rumpitur invidia , tribuit quod Cæsar uterque  
Jus mihi natorum , rumpitur invidia.



**xx DE M. VAL. MARTIALIS VITA**

**Et II, xcii :**

Natorum mihi jus trium roganti  
Musarum pretium dedit mearum,  
Solutus qui poterat. Valebis, uxor.  
Non debet Domini perire munus.

**Creatus est tribunus, quod III, xcv, jactat :**

Est et in hoc aliquid : vidit me Roma tribunum.

**Ornatus est equestri dignitate ; ibidem :**

Et sedeo, qua te suscitatur Oceanus :

**hoc est, specto in theatris ludos inter equites. Prædicat eandem, V, xiii :**

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,  
Sed non obscurus, nec male notus eques.

**Auctus est donis in urbe et ruri. Domicilium sibi assignatum in urbe, et rus suburbanum docet, IX, xcvi :**

Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub urbe est,  
Parvaque in urbe domus, rumpitur invidia.

**Et X, lviii :**

Dura suburbani dum jugera pascimus agri,  
Vicinosque tibi, sancte Quirine, larès.

**Item VIII, lxi :**

Sed quod sub urbe rus habemus æstivum,  
Vehimurque mulis, non, ut ante, conductis.

**Prædium Nomentanum pluribus versiculis nobilitat, IV, xliii ; VII, xciii ; X, xlviii et xciv ; XIII, cxix.**

Italiæ quoque partem eam obiit Poeta, quam olim Æmiliam, seu togatam Galliam dixere, nunc Lombardia cis

Padum nuncupatur, ibique nobilissimas urbes lustravit :  
 Forum Cornelii seu Imolam, unde tertium epigramma-  
 tum librum emisit, ut III, 1 et IV scribit :

Hoc tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris  
 Gallia, Romanæ nomine dicta togæ ;

Et :

Si, quibus in terris, qua simus in urbe rogabit,  
 Corneli referas me licet esse foro ;

Ravennam item, olim caput Piceni, ut vetus docet inscri-  
 ptio; et in Venetorum agro Altinum, uti et Patavium et  
 Aquileiam, etc. Aquileiam Fori Julii primariam urbem;  
 quæ civitates adeo Poetæ arrisere, ut constituerit extre-  
 mam illis ætatem consecrare : sic enim, IV, xxv, te-  
 statur :

..... vos eritis nostræ, requiesque senectæ,  
 Si juris fuerint otia nostra sui.

Amicis usus est, præter Cæsares, claris, et potentibus,  
 et multis : Stertino, quem Avitum vocat, Deciano, Li-  
 ciniano, Stella, Nepote, Lupo, Plinio juniore, Cornelio  
 Prisco, Julio Martiale, Regulo oratore, Quintiliano,  
 Quinto, Ovidio, Juvenale, Valerio Flacco, Silio, Parthe-  
 nio tyrannoctono, aliisque compluribus, quos passim in  
 suis libris æternis ornat elogiis. De Statio mirantur aliqui,  
 quum eodem tempore vixerint, idem sæpe argumentum  
 tractarint, eosdem amicos coluerint, cur nulla amicitiae  
 nota inter hos exstet. An quod nulla singularis inter eos  
 necessitudo et usus vitæ intercesserit? an occulta aliqua  
 dissensio? an ingeniorum studia, mores, naturæ diversæ?  
 an quod Statio celer, et sæpe extemporalis prope poeta,  
 ut ex Silvarum præfationibus discis, subito gratularetur  
 vel Principi, quum aliquid novi vel accidit, vel conditum

xxii DE M. VAL. MARTIALIS VITA

est, quod non videtur potuisse Martialis, aut voluisse? Quod ipsum reor fuit, cur nullus familiaritatis index aut symbolum, aut contesseratio apud scriptores reperiatur. Librarium puerum habuit, Afrum Demetrium, quem moriturum, sero nimis, libertate donavit, de quo, I, cii.

Illa manus quondam studiorum fida meorum,  
Et felix domino, notaque Cæsaribus.

Gravi morbo semel duntaxat, dum Romæ vixit, tentatus est, VIII, xxv :

Vidisti semel, Oppiane, tantum  
Ægrum me male : sæpe te videbo.

Lib. VI, LVIII, se jam prope conclamatum ait :

O quam pæne tibi Stygias ego raptus ad undas,  
Elysiæ vidi nubila fusca plagæ!

Domitiano sublato, Parthenio Mæcenate amico aulico a militibus interfecto, quum apud Nervam parum, apud Trajanum nihil posset, rerum urbanarum tædio affectus, urgentibus jam tædio et fatis, patriam repetivit, in eaque, confecto per triennium libro duodecimo, naturæ concessit : neque enim tam gratam et suavem vitam, quam in patria speravit, invenit ; immo æmulorum municipum dente laceratus assidue, ex ægritudine, credo, animi morbum concepit, et periit. Nam paullo post, ejus mortem Plinius eleganti ad Priscum epistola deploravit, simulque velut funebria persolvit. Forma oris et voce virili fuit, piloso et hirsuto corpore, ut illa gens plerumque solet. Hoc Poeta ostendit, quum X, LXV, Carmenionem carpit, seque ipsum depingit :

Hispanis ego contumax capillis,  
Hirsutis ego cruribus genisque.  
Os blæsum tibi, debilisque lingua est :  
Nobis filia fortius loquetur.

Scripserunt eamdem Martialis vitam Calderinus, Siphontinus, Georgius Alexandrinus, Petrus Crinitus, et alii hos sequuti. Nos ex ipso Martiale Martialem voluimus depingere. Hoc mantissæ loco addamus, quibusdam Martialem visum esse prope Christianum. Accipe ex periphrasi secunda Juvenalis Claverii verba : « Scitum est vero, Martialem non invisum esse christianis ; nam Pudentem et Claudiam, par nobile ac beato Paulo jucundissimum, plurimis in cælum laudibus effert. Ac pæne auguror, tremulum quemdam solis æterni radiusculum isti poetæ tandem affulsisse : licet plura ejus vel priora in lasciviam vergant, ut hodie multis christianis contigit ». Ego tamen nondum inducor, ut hoc ad animum admittam, nisi mihi sanctior et certior testis tabulas alias exhibeat, quod hic, quem adduxi, tam idoneus et sanctus videatur, quam ipse Martialis est. Pudens autem ille et Claudia, quos S. Paullus salvere jubet, non videntur ii, quos Martialis celebrat. Fuit enim A. Pudens Martialis, centurio profanus et Encolpo puero transcriptus, non philosophus. Præterea multo illis hi juniores, de quibus IV, XIII, plenius. Pudens hospes S. Petri ordinis jam tum senatorii, non centurio. Fabulis ergo gemina, quæ narrant Britannicæ antiquitates, a nuperis scriptoribus concinnatæ.



---

# DE M. VAL. MARTIALIS INGENIO ET OPERIBUS DISSERTATIO.

---

**N**EMINI sane ex iis qui rei literariæ primitias vel extremis labris delibarunt, Martialis aut nomen, aut scripta ignorantur; sed paucos admodum esse reor, qui festivissimi poetæ libellos sedulo evolverint, et ex istis pauciores qui probent et libenter repetant. Videmus tamen quibusdam et veterum et recentiorum frequentissime Bilbilici nostri et numeros et sales non modo non displicuisse, sed in pretio, sed in deliciis propemodum fuisse. Quod ut hæc legentibus approbem, non ipsius Martialis testimonia arripiam: quem enim usquam invenies, etsi simplicem alioqui et candidum virum, sui justum æstimatorem? quis præsertim, si calamum, si lyram vel uno digito attigerit, nec næniolis suis favet, nec ingenii sibi et gloriæ plus aliquantulum auspiciatur quam aut assequutus, aut assequuturus est? At in promptu antiquorum bene multa testimonia sunt. Nam Martialem ab acumine ingenii et dicacitate laudat Plinius minor<sup>1</sup>, acutissimus ipse et dicacissimus scriptor, qui epistolarum suarum libris, floridus semper, elegantiae et argutiæ, si non nimis, certe abunde satis sparsit. Item, referente Spartiano,<sup>2</sup> tradi-

1. Plinii Cæcil. lib. III, epist. ultima.

2. Corpus Histor. August. in Æl. Ver. Cæs.

tum memoriae est, eo usque delectatum Ælium Verum imperatorem unci epigrammatarii versiculis, ut eum rure, domi, in viis, in castris, sub pulvinari, quasi manuale quoddam, Epicteteo sane jocosius, circumferret : porro etsi aliquando aliquis jure suo id effuderit,

« Auriculas asini Mida rex habet »,<sup>1</sup>

haud immerito nos cum alio, et eo minus tetrico, satyrographo, reponemus :

« Principibus placuisse viris non ultima laus est. »<sup>2</sup>

C. Sollium Sidonium Apollinarem præterea utriusque sententiæ suffragari non silendum, qui, ut parum numerosus et fluens in scribendo, ita in judicando accuratus et sagax, Martialem iis annumerat quibus Hispania maxime gloriabatur<sup>3</sup> : protulerat tamen Lucanum et duos Senecas Hispania, qui iisdem fere temporibus eloquentiæ simul et carminum principes habebantur, et Italiæ ipsis in penetralibus, patrio ingenio fideles, Ibericum ingenium, Ibericam vim poeseos, et quasi Ibericam literarum officinam exhibebant. Hæc quidem olim et ante jactata quam a Barbaris Cæsareum imperium velleretur,

« Incolumi Jove et urbe Roma »,<sup>4</sup>

vigescente etiamnum Latina lingua, et fere ab æqualibus. Ubi autem post ætates multas denuo artes ac literæ e sepulcris suis emersere in lucem, par honos, par amor, par admiratio Martialem circumfusa est, neque laudatores, annotatores et interpretes ei magis defuere quam Tullio et Maroni. (Vid. ad hujus dissertationis calcem

1. Pers. sat. I, vs. 121.

2. Horat. epist. I, 17, vs. 35.

3. Sidon. Apollin. in carmin. IX et XXIII.

4. Horat. lib. III, od. v, stroph. 3, vs. ultim.

xxvi DISSERTATIO DE INGENIO

testimonia veterum et recentiorum.) At nos utrius in sententiam ibimus? Illiusne, cui Bilbilici omnia aut certe pleraque placet,

«Nocturna versare manu, versare diurna,»<sup>1</sup>

an illius qui nihil ferme se reperire affirmat in libellis quindecim nisi inepte et inurbane dicta, sordes et facetias inficetas? Antequam de his statuamus, liceat causas aperire quæ istiusmodi Aristarchis stomachum movent ac fastidium.

Juvenem aliquem tibi finge ex oppidulo quolibet, aut villula, ubi Parisinarum rerum nescii sint, Lutetiam modo advenisse, et ingresso forte fortuna thermopolium e varia τετραπτύχων ἡμερίδων congerie eas potissimum dari quibus ludicra tantum et nugatoria, literæ, artes, spectacula, mores et cultus lacesuntur, ut quæ *Dæmonem*<sup>2</sup> *claudum* sese, aut *Piratam*,<sup>3</sup> aut *Pandoram*<sup>4</sup> appellari voluere. Omnium certe scriptores acumina et jocos, elegantiam et sales aliquando inveniunt, perpetuum venantur; omnium scriptores

...captant risus hominum famamque dicacis;<sup>5</sup>

quid in causa tamen est cur adolescentulus noster, quem illiteratum non dicimus, dum legit, relegit, perlegit, neque rideat, neque ullo modo ut lepide ii cavillentur, ut callide adulentur, ut commode in ambigua voce joculentur, assequi possit?

En opusculi anonymi, verbi gratia, editio princeps

1. Hæc fere Horat. Art. Poet. vs. 269, sed pro *versare*, ipse scripsit *versate*.

2. *Le Diable boiteux*.

3. *Le Corsaire*.

4. *La Pandore*.

5. Horat. sat. I, 4, vs. 83; *captat*, non *captant*, est in textu.

nuntiatur et commendatur, atque solenni elogio ea peroratio est : « Neque laudibus nostris diffidendum ; Eremitis Cacodæmones minime favemus. » Id noster ænigma esse arbitratur, nec facile sine OEdipi alicujus auxilio nodum solvet ; quippe quem fugit tribui opus scriptori, qui aliis in libellis olim Eremitam se dixerit.

Inde arripiunt Aristarchi nostri Italicum Orphea, et de eo scommata scommatibus continuant, modo hortantes, « linquat famæ tubam, saltem unam, qua ipsius nomen et laudes posteris tradat », modo « tympanis parcat audientium et suis ». Num vides ad hæc hiantem et caligantem juvenem ? neque enim ille novit percelebri viro nimium forsitan placere ruptum, scissum a tympanis et tûbis melos ; neque perspicit ambiguum sensum in clausula, dum et aures et instrumenta musica designat illud *tympanis audientium et suis*.

Quid quum illi optimam mimam laudantes, Gallici vatis lepidissimum distichum excitant, cujus hic sensus :

Huic ea vis, ea vox, ea mens quæ plaudere vulgus  
Imperat ; huic Veneris facies, lepor atque juvenus. . . .  
*Casmiriisque caret* !

Nobis quidem continuo patet ultima hæc verba idem sonare ac si diceres, « Pudica est », « Proba est » ; nos enim scimus id pervulgatum apud improbæ linguæ nugatores, donari amicas solas ab amantibus viris mamillari Casmiriano ; ita ut *συνώνυμον* jam Mamillare Casmirianum habeatur Adulteri et Mœchi. At quod nos apprime scimus, ille ignorat, neque ergo probe jocosum carmen intelligit quod circa id axiomatis genus versatur.

1. Elle a ces grands talents que le public admire,  
De la beauté, vingt ans . . . et pas un cachemire !

CASIMIR DELAVIGNE.  
(*Les Comédiens. Act. I*)



## XXVIII DISSERTATIO DE INGENIO

Minime jam necessarium puto his exemplis nova subiungi : nam liquet satis, quod in his legendis modo accidit, fore ut usque et usque dehinc renovetur, et cæcutiturum juvenem in istiusmodi nugis, donec usu, contuberniis variis, ambulationibus tandem doceatur, quæ advenam haud callere forsán licuit, sed incolam didicisse oportuit.

Nonne enim, quæso, rusticitas et barbaries est in urbe omnium vanissima, mobilissima et levissimarum rerum, quod levissimæ sunt, amantissima, nescire, tum theatrorum omnium nomina et locos et fabulas, histrionumque saltatricumque vultus, dotes, ætatem, rixas, tum ædes regias, templa, thermopolia, balnea, vias, compita, celeberrimos et famosissimos locos, atque imprimis mores, cultus, studia et oblectamenta, quarum rerum mira late efflorescit varietas? Quod si homines a Lutetia nostra non procul degentes hæc fere omnia prætereunt, num hæc callebunt, qui Thamesim aut Tagum potant, qui Neapolim aut Petropolim colunt? quanquam hic saltem proceres videas nostri simios et *Gallicizantes*. Si nos hodie hodierna latent, num post annos mille, num post mille et septingentos vigeant illa in hominum omnium memoria?

Revolvamur nunc ad Martialem nostrum. Ab eo distamus et locis simul et temporibus. Quot casus, quot strages, quot humanarum rerum subitæ mutationes in orbe terrarum! quarum tamen gravitas Italiæ præcipue incubuit. Ut enim de amissa omnium potestate conticescam, incolæ, principes, reipublicæ forma, Ethnica religio, mores ubi sunt? et quæ horum locum occupavere? Atqui de iis solum loquebatur Martialis quæ magis fluxa et variationi obnoxia. Quid, quum ea illa etiam quæ æternum mansura, quæ temporum fugæ reluctatura videbantur,

Imperium sine fine<sup>1</sup>,

et

<sup>1</sup>. Virgil. *Æneid.* lib. I, vs. 283.

.....Capitolium  
 Scandens cum tacita virgine pontifex,<sup>1</sup>

cecidere. Nec tamen quum viveret ipse et scriberet, in Allobrogum semibarbaris vicis, nec in urbibus, aut in Britannorum Getarumve pruinosis sylvis, quamvis hic etiam legi gloriaretur<sup>2</sup>, eum facile assequebantur; tralucebat limpissimi vatis genuinus sensus, non exsplendescebat; et aridebant tantum agrestes viri ad hæc, quæ urbanos cogebat ut cachinnarentur. Ita nos, post tot elapsas ætates, quum volumen nugatorium lacessimus, modice recreamur, et aculeatum quoddam in eo scriptore vix agnoscimus, cui ab æqualibus, cui ab æmulis vis maxima ingenii et suavissimus lepos concedebatur. Quæ quum ita essent, arripuit quidem calamum annotatorum satis magna copia, et, officio suo perfuncta, notas, notulas et id genus bene multa

.....summi plena jam margine libri  
 Scripsit, et in tergo, necdum finivit,<sup>3</sup>

si quidquid subobscurum illustratura est, si quidquid in ancipiti explicatura. Nec tamen multum profecit immensus labor: tenebras quidem discussere, sed periit gratia omnis ac lepos; haud secus ac si quis Indorum tenuissimis holosericis clavos trabales affixerit. Scilicet duo sunt, quæ eveniunt ut plurimum in legendo, nempe scriptoris mentem omnem assequi, dein vel jucunde vel injucunde

1. Horat. lib. III, od. xxx, vs. 8.

2. Martial. lib. VII, epigr. LXXXVIII, vs. 1 sqq. et lib. XI, epigr.

Ærtur habere meos, si vera est fama, libellos  
 Inter delicias pulchra Vienna suas;  
 Me legit omnis ibi senior, etc.  
 ... Meus in Geticis ad Martia signa pruinis  
 A rigido teritur centurione liber.  
 Dicitur et nostros cantare Britannia versus.

3. Juv. sat. I, v. 5.

affici, quanquam sane aliquando neutram in partem inclinatur affectus: porro, si quis vel bene vel male afficitur, ille sensum percepit; at qui percepit, non semper is afficitur. Fingito ergo nunc sensum nec patuisse mihi, ergo nec placuisse, et hunc explicato: patet ille quidem, non placet; lucem fecisti, non voluptatem: rem acu tetigi, rem et acum projicio, hoc est, et auctorem et annotatorem linquo. Liceat mihi, o docti viri, pace vestra βλασφημίζειν; inest commentariis vestris asperum et gelidum et plumbeum nescio quid quo arescunt corda, ingravescit levitas, friget Vulcanus, fugiunt Veneres: nec magis vos lepidissimum auctorem mihi exhibetis quam Botanista rosam, si ex herbarum thesauro cadaver rosæ deprompserit marcidum et pallens. En caules, en calix, en corolla et mascula fila, et femineum stamen, et stylus. At odor myrrha atque opobalsamo suavius spirans, ubi est? ubi purpura clarior color? ubi tremulæ gemmulæ, quas Aurora adspergebat? ubi lanugo virginalis quæ crocei aut coccinei pulveris speciem habens tenellæ cuti adhærescebat? quis hanc papilio nunc agnoscet et circumvolitabit? quæ puella comis, aut sinu dignabitur?

His positis, facile jam pervides, quam ob causam ab his nihili, ab his maximi, a plerisque parvi Martialis æstimetur. Non statim mentem jocantis assequuntur, neque id genus mali notæ reparare sufficiunt; nam quis ferat jocos explicari? quod tam verum est, ut, si eum lædere volueris qui in ambiguis vocibus sæpius ludit, te caligantem statim simulaturus sis. Contra, ut homericarum fabularum vim demirere, ut Virgilio candida eloquentia moveare, non requiritur ingenium operosaque eruditio. Ubicumque terrarum corda palpitant et flent oculi, Dido et Andromache amabuntur, narrabuntur. Neque enim obstat fuga sæculorum irre-meabilis, neque dissociabiles Oceani, quin ubique et perpetuum, ab incunabilis mundi ad novum chaos, in qui-

busdam homines sui similes sint. Sed in multis discrepant, et hæc quibus discrepant vulgo tractant Satyrographi et Epigrammaticarii; quæ singula et facile variantur et cito evanescunt. Ergo si quis arguti et aliquantulum improbi ingenii vir exstiterit, cui urbis æternæ antiqui ritus et mores perinde innotescant quam elegantulis nostris Parisina omnia, ille Bilbilici sacrarii mysta

Non feret hunc tantum; sed ubique, per arva, per urbem  
Jam feret, assiduus lector in astra feret.

Re quidem vera nullus ex his qui Epigrammatum genus coluere, nostro meliora composuit, pauci æque bona. Duos novi inter Nostrates qui lyricæ poeseos artifices summi, quum Polyhymniæ barbiton grave citharamve Euterpes desererent pro Thalia Bilbilica, in suis Epigrammatibus transtulere tum vim ingenii igneam et quasi fulmineam, tum rhythmī elegantiam et nitorem. At Nostrum ego existimo neque in spargendo melle aut felle, neque in pangendis versiculis concedere.

Num cupis molle quiddam et delicatum; vide quam callide amicam donans fictitiis comis blandiatur simul et se excuset:

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi,  
Ut scires quanto sit tua flava magis.<sup>1</sup>

quam argute laudet cælatoris in toreumatibus peritiam, et id Virgiliū: « spirantia æra »<sup>2</sup> exacuat:

Artis Phidiacæ toreuma clarum  
Pisces aspicias: adde aquam, natabunt.<sup>3</sup>

aut quam commode ac quasi incogitanter ad imperatoris laudes decurrat a pueri sui basiis:

1. Lib. V, epigr. LXIX.

2. Virg. Æneid. lib. VI, vs. 848.

3. Lib. III, epigr. xxxv.

xxxii DISSERTATIO DE INGENIO

.....quot inquis?

Oceani fluctus me numerare jubes,  
Et maris Ægæi sparsas per litora conchas,  
Et quæ Cecropio monte vagantur apes,  
Quæque sonant pleno vocesque manusque theatro  
Quum populus subiti Cæsaris ora videt.<sup>1</sup>

Noveram dudum (et multos reor didicisse e florentissimi temporum nostrorum scriptoris Christiano poemate) tetrastichum id vel potius octostichum e Pervigilio Veneris, quum de Amore Nudo narratur:

Jussus est inermis ire,  
Nudus ire jussus est,  
Neu quid arcu, neu sagittis,  
Neu quid igne læderet. . .  
Sed tamen, Nymphæ, cavete  
Quod Cupido pulcher est!  
Est in armis totus idem,  
Quando nudus est Amor.

Porro lepidissimum hoc epiphonema nil aliud est, quam imitatio Martialis venustissimum puerum sic canentis:

Spendophorus Libycas domini petit armiger urbes;  
Quæ puero dones tela, Cupido, para.  
Loricam clypeumque tibi galeamque remitto;  
Totus ut invadat prælia, nudus eat.<sup>2</sup>

Num aliquid in toto Anacreonte, num in Catullo, num in Nasone, Tibullo, Propertio aut Eroticis nostratibus suavius reperire est, quam id tetrastichon de Leandro:

Quum peteret dulces audax Leandrus amores  
Et fessus tumidis jam premeretur aquis,

1. Lib. VI, epigr. xxxiv, vs. 1 sqq.

2. Lib. Spect. XXV.

ET OPERIBUS MARTIALIS. XXXIII

Sic miser instantes affatus dicitur undas :

Parcite, dum propero ; mergite, dum redeo.<sup>1</sup>

At suavius quiddam ipso in Martiale novi, quod nunquam alii advertere, et mihi dignissimum videtur quod in Gallicam linguam aliquis transferat. De Cynthia Propertii agitur :

Cynthia, facundi carmen juvenile Properti,  
Acceptit famam, nec minus ipsa dedit.<sup>2</sup>

Equidem nescio, an mentem auctoris probe attigerim ; at nequeo, in verba annotantium jurans, credere hic positum *minus pro minore famam*. Quidni enim pro *minus pretiosa dona* ? Quasi nempe diceret : Gloriam quidem, optime vates, tu das ; at amica voluptatem : utra harum rerum anteponenda est, si bene attenderis ? Tu puellæ nomen inseris famæ, te puella summis gaudiis : tu eam canis, nihil splendidius ; te illa amat, nihil dulcius : tu futura tempora huic exornas ; at hæc hodierna beat. Ne puellam, o vir, spernas : dii vobis pulcherrima et amplissima annuere, tibi ingenium, huic venustatem ; affluat venustati ab ingenio superstes immortalitas, ingenio a venustate præsens felicitas ! Parallelum hoc suavissimo huic et notissimo carmini, quo Anacreon, postquam animantium omnium arma nativa explicuit, et intellectum viro datum exhibuit (Τοῖς ἀνδράσιν φρόνημα), derepente sciscitatur :

1. Lib. Sp. epigr. xxv *bis*. Cæterum, ea sententia ita delectatus est Martiali, ut huic efferendo in Apophoret. libro (idem ille est ac qui vulgo inscribitur xiv) distichum quoque consecraverit :

Clamabat tumidis audax Leander in undis :  
Mergite me, fluctus, quem rediturus ero.

2. Lib. XIV, epigr. CLXXXIX.

I.

C

XXXIV DISSERTATIO DE INGENIO

Γυναίξι δ' οὐκ ἔτ' εἶχεν·  
Τί δ' οὖν δίδωσι;<sup>1</sup>

Et rep ont

.....Κάλλος,  
Ἄντ' ἐγγέων ἀπάντων,  
Ἄντ' ἀσπίδων ἀπάσων·  
Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον  
Καὶ πῦρ καλὴ τις οὔσα.<sup>2</sup>

Namque rerum omnium potestatem, quæ pulchra est, sæpe habet. Prætulerim tamen Martialis sententiam : nam in ea delicatius quiddam latere autumo, et Anacreontis dictum mendax aliquando est ; Noster hic omnino verus est : quis enim sanus beatitudini famam prætulerit ?

At ex his quæ gratiam spirant et videtur Idaliis in hortis ipsa Venus dictasse, ad hæc transeamus, quibus satyræ jam propior cavillatur, pungit, mordet, secat : forsan in his sese superavit. Vidimus modo puellæ blandientem, quam emptitia cæsarie munerabatur ; lege nunc fere contrarium :

Thais habet nigros, niveos Lecania dentes.

Quæ ratio est ? emptos hæc habet, illa suos.<sup>3</sup>

De alia muliere illud non minus malignum, et placet quod inexpectatum acumen est, et, ut Græci aiunt, παράδοξον·

Nubere Paulla cupit nobis, ego ducere Paullam

Nolo; anus est: vellem, si magis esset anus.<sup>4</sup>

Παράδοξον quoque et ἐξ ἀπροσδοκίτου concluditur id de avaro divite, qui, quum splendidi et lauti Amphitryonis laudem aucuparetur, cibus tamen parcebat, et nullas non

1. Anacreont. carm. II, vs. 00.

2. Id. *ibid.*

3. Lib. V, epigr. XLIII.

4. Lib. X, epigr. VIII.

astutias adhibebat, optimas dapes in posterum diem servaturus :

Esse negas coctum leporem, poscisque flagella :  
Mavis, Rufe, coquum scindere, quam leporem. 1

Huic hyperbole venustatis haud parum conciliat :

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,  
Expingitque genas, altera barba subit. 2

Hæc tamen, quæcumque sint, candide fatebimur non optima et vehementissima esse; in his enim *dentibus albis*, nihil amplius, mordet, nec, ut Lucilius olim, in malis viris genuinum frangit. 3 Non tamen desunt hinc illinc quæ vim maximam ingenii arguunt, quæ acrimoniam sapiunt, quæ fel amarissimum et æruginem meram stillant. Sed hæc citare pudet; tam improbe, tam lascive, tam pathice et *κναιδικοῦς* a poeta scripta sunt, qui ut celeberrimi duo e nostratibus, nunquam a vehementia magis commendandus est, nunquam justius

Laurea donandus Apollinari, 4

quam quum in Gomorrhæos cantus uberem venam solvit. Quum tamen velum aliquando spurcitiae prætendat, ut perspectum habeamus, quam, in eo genere, non sui dispar ille sit, duo proferemus. Prius de puella quæ senem inter et spadonem jacebat :

Cum sene communem vexat spado Dindymus Æglen,  
Et jacet in medio sicca puella toro :  
Viribus hic operi non est, hic inutilis annis.

1. Lib. III, epigr. xciv.
2. Lib. VII, epigr. lxxxiii.
3. Horat. lib. II, Sat. I.
4. Horat. lib. IV, Od. II, v. 9.



## XXXVI DISSERTATIO DE INGENIO

Ergo sine effectu prurit uterque labor.  
Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,  
Hunc juvenem facias, hunc, Cytherea, virum.<sup>1</sup>

En aliud, quo duas feminas comparans rogat, ultra magis digna quæ ametur et repetatur :

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta requiris?  
Pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet.  
Ulcus habet, quod habere suam vult quisque puellam.....  
Quodque senem Pylum non sinat esse senem.  
At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis  
Adjuvat: absentem marmoreamve putes.  
Exorare, Dei, si vos tam magna liceret,  
Et bona velletis tam pretiosa dare;  
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet,  
Ut Phlogis; et Chione, quod Phlogis ulcus habet.<sup>2</sup>

His sæpe intexit sententias aut nobiles, aut graves, quæ brevitate sua maxime perstringunt, hæc v. g. in avaritiam :

Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est.<sup>3</sup>

de amicorum specie rarissima :

Aurum et opes et rura frequens donabit amicus;  
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.<sup>4</sup>

Vel de matrimonii solvendi et rursus contrahendi nimis libera facultate :

... nubit decimo jam Thelesina viro.  
Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est.<sup>5</sup>

1. Lib. XI, epigr. LXXXI.
2. Lib. XI, epigr. LX.
3. Lib. VIII, epigr. XLIV, vs. 9.
4. Ibid. epigr. XVIII, vs. 9 et 10.
5. Lib. VI, epigr. VII, vs. 4 et 5.

ET OPERIBUS MARTIALIS. XXXVII

Breviora ista dices forsā vel mediocris notæ poetis aliquando excidere potuisse. Afferamus ergo quæ Epici carminis majestatem vere spirant :

Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,  
Disce : Libyn domuit ; aurea poma tulit ;  
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo ;  
Addidit Arcadio terga leonis apro :  
Æripedem silvis cervam, Stymphalidas astris  
Abstulit : a Stygia cum cane venit aqua.  
Fecundam vetuit reparari mortibus hydram ;  
Hesperias Tusco lavit in amne boves.  
Hæc minor Alcides : major quæ gesserit, audi,  
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.  
Asseruit possessa malis Pallatia regnis ;  
Prima suo gessit pro Jove bella puer :  
Solutus Iuleas quum jam retineret habenas  
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.  
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri ;  
Sudantem Getica ter nive lavit equum.  
Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos,  
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.  
Templa Deo, mores populis dedit, otia ferro,  
Astra suis, cælo sidera, sarta Jovi. <sup>1</sup>

Ecce nunc undecim versus, nam quamvis plures cupiamus exscripsisse, terminum nobis ipsi debemus imponere, qui Pindaricæ poeseos altitudinem, vim, majestatem, igneum œstrum habent :

Auditur quantum Massyla per avia murmur,  
Innumero quoties silva leone furit,  
Pallidus attonitos ad Pœna mapalia pastor  
Quum revocat tauros et sine mente pecus ;  
Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena.

1. Lib. IX, epigr. cii.

### XXXVIII DISSERTATIO DE INGENIO

Quis non esse gregem crederet? unus erat :  
Sed cujus tremerent ipsi quoque jura leones,  
Cui diadema daret marmore picta Nomas.  
O quantum per colla decus, quem sparsit honorem  
Aurea lunatæ quum stetit umbra jubæ!  
Unde tuis, Libye, tam felix gloria silvis?<sup>1</sup>

Nonne, amabo, Dithyrambicis flammis incalescentem va-  
tem diceres, quum hæc canit? num Pindarus,

. . . . cui mens diviniior, atque os  
Magna sonaturum,

magis enituit? num in figuris Æschylus aut Sophocles  
audacior, quam quum ille ait :

Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena,  
et infra :

Aurea lunatæ . . . stetit umbra jubæ!

Atqui talis sæpe audaciæ versus in opusculis Nostri levio-  
ribus reperire est, ubi v. g. de plausibus et acclamatio-  
nibus quæ principem circumstrepebant :

Sarmaticas etiam gentes, Istrumque, Getasque  
Lætitiæ clamor terruit ipse novæ.<sup>2</sup>

et id de eodem imperatore :

Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli,<sup>3</sup>

et apostrophe severa ad victas Germanorum turmas, quas  
a flumine arcet :

Barbare, non debet, submoto cive, ministro  
Captivam victrix unda levare sitim.<sup>4</sup>

1. Lib. VIII, epigr. LV, vs. 5.

2. Ibid. epigr. XI.

3. Ibid. epigr. LXV, vs. 3.

4. Lib. XI, epigr. XCVI, vs. 3 et 4.

Placetne ex grandisonis et excelsis ,

.....apis Matinæ  
More modoque, <sup>1</sup>

ad minutissima quæque degredi? nil levius certe iis salibus, qui in ambiguo verborum sensu acumen quærunt, et sæpe nil miserabilius, nil putidius. Videamus an hic Noster insipidus fiat; et de eo dicendum, quod de Demosthene Quintilianus, non displicuisse illi jocos, sed non contigisse. Haud equidem epigramma proferam, quod libidinis una et avaritiæ feminam quamdam insimulans iis verbis clauditur:

.....vis dare, nec dare vis: <sup>2</sup>

nimum enim obscœnus est versiculus prior, quam ut hic exaretur; sed hoc, quod huic falso abjudicant pædagoguli *δοξόσοφοι*, quum elegantiae non expers sit, et eodem in verbo luserit Juvenalis <sup>3</sup>:

Milo domi non est; peregre Milone profecto  
Arva vacant: uxor non minus inde parit.  
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam;  
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet. <sup>4</sup>

Jubet hoc illius meminisse, quo uxorem quoque negligentis mariti aliquantulum vexat, sed maritum præcipue:

Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret  
Qui, Mariane, tuæ? crispulus iste quis est?  
Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem,  
Et sellam cubito dexteriore premit?

1. Horat. lib. IV, Od. II, 28.

2. Lib. VII, epigr. LXXV.

3. Juv. Sat. IX, vs. 45.

Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,  
Quam dominum!

4. Lib. VII, epigr. crr.

**XL DISSERTATIO DE INGENIO**

Per cujus digitos currit levis annulus omnes ;  
Crura gerit nullo qui violata pilo ?  
..... Uxoris res agit, inquis.  
.....  
Res uxoris agit? res nullas crispulus iste :  
Res non uxoris, res agit iste tuas. <sup>1</sup>

En duo quæ commendantur brevitate sua : prius, ut puto,  
in malum poetam :

Scribit in aversa Picens epigrammata charta ;  
Et dolet, averso quod facit illa Deo. <sup>2</sup>

posterius, de ardelione :

Semper agis causas, et res agis, Attale, semper :  
Est, non est quod agas ; Attale, semper agis ;  
Si res et causæ desunt, agis, Attale, mulas.  
Attale, ne quod agas desit, agas animam. <sup>3</sup>

Quæ tamen dotes ingenii in exemplis modo allatis eluce-  
scunt, earum multis epigrammatici ante natum Martialem  
claruerunt, neque ab hac parte ergo virum ab illorum  
turba merito segregaveris, qui hoc qualecumque poeseos  
genus pari studio coluere. Sed una laus est, quam nullus  
ante eum sibi proprie vindicare potuisset, ille vindicat,  
nempe acumina in clausulis, et sic Ἐπιγραμματολογούντων  
principem hunc juste renuntiaveris, quippe qui Epigram-  
māti novum ingenium, novum charactera imposuerit : nam-  
que principio Epigramma, ut ipsum indicat nomen (ἐπι-  
γράφειν, inscribere), nil aliud fuit, quam quod pro elogio in-  
sculpebatur imaginibus, signis, tropæis, sepulcris. Illa au-  
tem elogia interdum soluta oratione scribebantur, ut Cyri :

1. Lib. V, epigr. LXI.
2. Lib. VIII, epigr. LXII.
3. Lib. I, epigr. LXXX.

ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρος εἰμὶ, ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτισάμενος καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεύς· μὴ οὐ φθονήσης τοῦ μνήματος· ut Sardanapali: Τάρσον τε καὶ Ἀγγίαλον μιᾷ ἡμέρᾳ ἐγὼ ἔκτισα, νῦν δὲ τέθνηκα: plerumque autem versibus, ut Simonideum epigramma, quo Casmyli Rhodii nomen, patriam, patrem et victoriæ locum ac genus exprimit:

Εἶπον τίς, τίνος ἐσσί, τίνος πατρίδος, τίδεις νικῆς.  
Κάσμυλος Εὐαγόρου, Πύθια, πύξ, Ῥόδιος.<sup>1</sup>

Quod sic Latine conversum est:

Dic quis es, et cujus, quæ patria, palmaque pugnae.  
Casmylus Evagoræ, Pythia, lucta, Rhodos.

At mox in libros translatum est epigramma, ita ut in versuum et structura et numeris aliquantulum curæ jam insumerent Ἐπιγραμματολογοῦντες, neque illustres viros, aut præclare gesta solum dicerent, sed omnia quæ colloquentium amicorum mobili levitate percurri et perstringi possunt, « fortissima et ignavissima facta, pulcherrima et turpissima, absurdissima et aptissima, stultissima et sapientissima, maxime ridicula et lamentabilia, minima et maxima, prima et extrema, artes, fraudes, eventus humani, divina et naturalia<sup>2</sup> ». Hæc igitur tam multa, et tam multiplex ingenium, tam multiplicem stylum passura, immo postulatura, varii varie cecinere, alii breviter, longiuscule alii, similes tamen sui in hoc, quod ultimas voces non impensius curarent, quam quæ præmittebantur, neque aculeum ullum clausulæ de consilio adderent. Quum vero materiam operum suorum haberent ita incircumscriptam, aliunde carminis genus liberum et versatile, elegiacum, phaleucium, iambicum, scazonticum, aliquando etiam heroicum (nam, ut αὐτὸς ἔφη,

1. Ἀνθολογ. Βιβλ. Γ'. κεφ. β'.

2. Raderus, Prolemmat. ad Mart. cap. 4.

XLII DISSERTATIO DE INGENIO

Hexametris epigramma facis? scio dicere Tuccam :  
Tucca, solet fieri; denique Tucca, licet. <sup>1</sup> ) ;

aliunde tandem versuum numerum sine limite certo, quam  
quam Parmenio :

Φημί πολυστιχὴν ἐπιγράμματος οὐ κατὰ μούσας  
εἶναι .

et Cyrillus :

Πάγκαλόν ἐστ' ἐπίγραμμα τὸ δίστιχον . ἦν δὲ παρέλθης  
τοὺς τρεῖς, ῥαψοδεῖς, κοῦκ ἐπίγραμμα λέγεις ,

quum, inquam, omnia hæc neque definita, neque præscripta sint, quid est proprium epigrammatis, quæ dos singularis, quis *χαρακτήρ*; hanc difficultatem quum intellexisset Martialis, cætera acutus et mordax, et hoc tempore, hoc loco vivens, quo acuminis laude plures multo florerent quam ante floruerant, et plebs etiam urbana literarum haud plane rudis esset, quasi in aere ipso Atticum quoddam et concinnum spiraret ac circumfundetur, necesse existimavit, ut difficilis iudicii homines detinerentur, emicare amarissimum aut delicatissimum quoddam in fine, et extremo opusculo vividius titillari aut pungi, allici aut vellicari audientium aures. Hoc inauditum antea genus scribendi quod in soluta oratione apophthegma aut epiphonema, vocant, et quo fiunt vere epigrammata, recte cum Radero comparaveris « nunc pugioni, quo punctim feritur hostis, nunc scorpionum qui cauda icit, modo piperi quod acrimonia sua mordet linguam, nunc felli quod amarissimum. » <sup>2</sup> Porro hinc evenit, ut vivus adhuc Catullo major caneretur Martialis, neque nos qui Maroni Lucanum, Tullio Senecam post-

1. Ἀνθολογ.

2. Rader. Prolemm. ad Martial. cap. 5.

ponentes, sæculi hujus decreta et sententias plerasque rescindimus, a faventium opinione multum recessimus. Neque in conscribendis epigrammatibus tantum, quin etiam hodie in scliis et odariis quas cantilenas appellamus, Martialem omnes imitantur et stropharum extremam partem acuunt exactissime. Quidam hodie id moleste ferunt et vituperare visus est nostras Bolæus, quum in Arte poetica hæc fere dicit gallicis verbis:

. . . Neque tu rege spicula punctim  
Vana, neque improbulo mordax epigrammate caudam  
Exacuas. <sup>1</sup>

Non equidem hos ego in astra extulerim, qui in ultimis verbis unice operam locant, priorum negligentiores, neque sane ab acuminis præstantia laudaverim, quorum acumen tantum in octavis versiculis pungit. Fateamur tamen, cui misello Musæ ingenii satis annuerint, ut ingeniosus identidem videatur, non satis ut perpetuum videatur, bene eum in clausulis præcipue elaborare, et gratius nos affici, quum pessimo exordio optimus finis subjungitur, quam si quis præclare incipiens, mediocriter vel male desineret. Per hiulca viarum et horridos dumos perveniam libens ad splendidas ædes, aut elegantem casulam; at si splendidas ædes et amœnas vias evaserim, durum erit vel tegetem, vel desertos locos peregrinationis finem habere.

Cuncta nunc fere diximus, quæ de Martiale disputanda erant. Quædam tamen reservavimus hoc loco perpendenda. Scilicet Nostro a frivolis homunculis duo sæpe exprobrantur, adulatio fœda erga pessimum imperatorem, et improbitas pathicissima in amatoriiis. Quibus paullulum immorari operæ pretium esse puto.

1. Et n'allez pas toujours d'une pointe frivole  
Aiguiser par la queue une épigramme folle.

BOILEAU, *Art Poëtiq.* Chant. III.



Et quidem quod prius objiciunt, adulatio, ad indolem minus pertinet, quam ad ingenii genus; et poetam, non hominem æstimantibus quid nisi de ingenio disserendum est? At ea est hominum multitudo, qui temere omnia confundentes ab indole ad ingenium, a vita ad scripta transiliunt, et si quis parum fortis exstiterit, subinde ipsius opera parvi faciunt, ut istis quædam in mentem revocare necessarium sit. Recordentur ergo obtrectatores, quibus temporibus, quali in Urbe scripserit Martialis. Scilicet quidquid Augustus et priores Cæsares libertatis reliquerant, cesserat: nec ruebant Equites, Patres in servitium; servi omnes nascebantur: et siquando, principis fastus, inclementiam, deliramenta pertæsi, jugum fregissent, subinde aliud jugum capitibus suis imponebant, sat rati si tyrannum excussissent, non tyrannidem. Tum quæ potentia imperatoris esse vulgo habebatur, ea militum erat; atqui nunquam pronius cives adulantur, famulantur, quam ubi militare servitium, militare imperium est. Quid tunc fecisset poeta? obstitisset, Catones, Brutos, magna et vana canens? mox ad illustres animas socium demississet prætorianorum ensis. Tacuisset? clamavissent delatores; et quæ obstrepenti, eadem tacenti pœna irrogata esset. Laudandum ergo erat. At illa duntaxat laudavit, quæ bene, quæ probe, quæ splendide facta erant, aut quæ laudibus nullis digna, nec sævitiam nec imperatoriam arrogantiam arguebant. Sic canit Flaviæ genti exstructa templa, additam Romanis viis latitudinem, principis munificentiam in donativis et spectaculis, quarum rerum gloria ne malum quidem regem defraudari licet; sic inprimis illud edictum prædicat, quo vetuit Domitianus excidi infantes et ante ætatem prostitui. Hæc merito celebrata nemo non fatebitur. Quid, quum victorias falsas laudat et triumphum e mentitum de Germanis, emptis per commercia

quorum habitus in captivorum speciem<sup>1</sup> formarentur? Quid, quum credere sese fingit debitas Domitiano Vitellianarum partium clades, at juvenem, quam ipse purpuram sibi justius assumpsisset, eam patri ultro concessisse? quid quum a verecundia commendat impudicissimum tyrannum, qui palam fratris filiæ adulter, Minervam tamen præcipue colebat, Minerva natum se dici cupiebat? Hæc quidem tristi adulatione et mendacio mixta, tamen nec nocent, nec ad scelus ignavum dominum incitant. Sed hactenus laudator. Quum Helvidio senatori impositæ compedes, quum Thræseam laudavisse capitale fuit, neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque<sup>2</sup> sævitum, quum Agricolæ ob nimiam gloriam venenum datum, quum vidit Urbs obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium cædes; tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas; tum nec adulantium multitudini<sup>3</sup> Noster accessit, nec pereuntium ingenio aut constantiæ insultavit, aut ruenti in cædes Romanorum Augusto calcar aut stimulos addidit. Adulationes ergo illas, quamvis hyperbolice et immerito sæpiuscule effusas, ne tam fœdas arbitremur quam voluere plurimi: vana multa, pulchra quædam, sæva nulla ille laudat; quid ex his non excusandum?

Quod ad verborum libertatem attinet, Martialem reor fere omnino culpa vacare. Neque ignoro quidem hodie delicatis auribus magis probari, si quid de amatoriiis rebus narratur, eum sermonem qui, eleganti temperamento, castitatis simul et nequitiae particeps, neque virgini causa erubescendi est, et clarissime tamen cunctis cuncta significat. Inest quippe gratia, dulcedo, commoditas ac lepos nescio quis, dum improba probe, inhonesta honeste et

1. Tacit. Agric. cap. 39.

2. Id. *ibid.* cap. 2.

3. *Ibid.* cap. 45.

XLVI DISSERTATIO DE INGENIO

tamen vividissime per ambages, at eas vitreas, eloquuntur, et minus pudicis imaginibus quasi mollia vela obtendunt et circuminducunt: ut olim Poppæam Neronis decebat velari partem oris<sup>1</sup>; ut, si hæc comparari queant, elegantior forma earum videbatur, quæ Cois vestibus gaudebant, dum corporis candor et mollities pellucebat; namque, ut Coas vestes, sic lascivam eam et dolosam pudicitiam *ventum textilem, lineas nebulas* recte dixeris. At varii variis delectantur, ac ferme constat

... inornata et dominantia nomina solum<sup>2</sup>

placuisse olim in Græcia et in Italia. Quid enim Aristophanes Athenarum iurus et puellas docuit? Quid Plautinæ fabulæ narrant, exhibent, ingerunt? quid amœnissimi poetæ Catullus et Flaccus, quorum utrique molle ac facetum Deus et Deæ annuerant, passim crepant? quid assertor ac vindex publicæ pudicitiae tenacissimus Juvenalis in satiris fere omnibus? Tria duntaxat novi, quæ minus spurca in spurcitia sua hic notem, Theocriteam Oaristyn, Petronii Miscellanea, Apuleii Asinum Aureum; quæ tamen quam aperta, quam obvia sunt, si fabulis nostris Milesiacis, etiam paullo liberioribus, contuleris! Persium memini in satira prima æqualibus suis bellum veluti indixisse, quod mollitiem atque ἀρμολίαν quamdam suam affectantes, Romana verba eliquarent, evirarent. « Hæc fierent », ait pudicissimus poeta,

Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni  
Viveret in nobis?<sup>3</sup>

Nonne eodem fere modo reclamaturum eum fuisse pu-

1. Tacit. Annal. lib. XIII, cap. 45.

2. Horat. Art. Poet. vs. 234.

3. Pers. Sat. I, vs. 103.

tes, si quis invectus in turpia, per ambages et περιφραστικῶς hæc designans, graphicissime tamen et depinxisset et illecebris novis ornavisset?

Ne igitur Nostro vehementer nimis stomachemur, si quas elegantias, quos jocos in eroticis nactus est, eorum imitator exstitit, et de Lampsacenis, Gaditanis, Alexandrinis nequitiis ea licentia egit, cui invidisset Alexandrinus pathicus, Gaditana saltatrix, et Lampsaci sacris operata mulier. Nihil quippe ex istis obstaculo fuit, quin publice legeretur, non in urbe solum ut vastissima et potentissima, ita corruptissima, at in provinciis, ubi rusticæ verecundiæ nonnihil remanserat, ubi adhuc vigeat Patavina modestia. Certe ipse de Vienna Allobrogum:

Me legit omnis ibi senior, juvenisque, puerque,  
Et coram tetrico casta puella viro.<sup>1</sup>

et infra paullum:

Tu quoque nequitas nostri lususque libelli  
Uda puella leges, sis Patavina licet.<sup>2</sup>

At forsitan repones: Non tam verba ipsa in improbo reprehendimus, quam Sotadicum ingenium; namque turpitudinis summæ gesta narrans, his gaudet, his invidet, his hæret, arridet, blanditur, hæc quodammodo suadet ut et tu facias. Aquinatem certe, de quo modo loquebamur, identidem credideris minus in rhetorum officina quam in meretriciis lustris cecinisse. At in hæc, quæ nominat et describit, acerrime invehitur, hæc vi summa exsecratur et deprecatur; ac, si quando ridet, quis risus! quam amarus et mordax! quæ indignatio tali risu «fortius ac melius secat res?»—Esto sane; sed Satiras scripsit Juvenalis, in

1. Lib. VII, epigr. LXXXVIII.

2. Lib. XI, epigr. XVI.

XLVIII DISSERTATIO DE INGENIO

quibus decet scriptorem iratus vultus, minaces oculi, torva frons et in manu flagellum immisericors. At qui epigrammata ludit, num eum necesse Zenonis aut Catonis instar dominantibus jam vitiis hostem sese, hui! quantum hostem! opponere, et ea in nœniolis commendare quæ Aristoteles in Ethicis, quæ in Enchiridio Arrianus præcipit? Hoc habet satiræ epigramma, pungere et cavillari; at non semper, neque illa potissimum quæ invidia magis digna sunt, neque acriter,

Ense velut stricto. . . . Lucilius ardens,  
Infremit; <sup>1</sup>

ille scalptorio cælo, acu, vel si quid acu levius, punctim ferit. Sæpe præterea Epigrammatarius minime cupit vulnus inferre, et delectaturus innocuis jocis otiantes, piper omne et sal ipse amovet, virgas frangit, cuspidem hebetat. Talis sæpe Noster; at iram rursus concepisset, quis, amabo, tulisset gravissime eum disticha aut tetra-  
sticha, ethica aut methaphysica effundere, atque emendandos cives et Astræam reversuram somniare. Somniare ego dixi; etsi enim in hoc pro virili parte desudasset, in irrito omnis labor effusus foret. Eo nimirum licentiæ, spurcitiæ, infamiæ degeneres populi aliquando per luxuriam deveniunt, ut non jam per intervalla ac spiramenta temporum pudenda quædam adspicias, sed omnes per omnem vitam in nefas omne ruant, quasi de meretriciæ scientiæ præmio sceleste disputaretur. Quis autem *pater urbium*, immo quis e cælo delapsus Deus, tunc *cupidinis pravæ elementa erasurus*?<sup>2</sup> Quemadmodum humano in corpore si aut venenorum ater humor, aut quam γαγγράϊναν vocant, postquam singulos artus populata est, altior jam in

1. Sic fere Juvenal. Sat. I, vs. 165.

2. Horat. lib. III, Od. xxiv, 51.

intima pervaserit pestis, ipsisque præcordiis inhæserit, jam nulla vis medicaminum, nulla medentium experientia prohibebit, quin ægrotantis miserabile corpus sanie putri liquescat et letali tæbe consumatur; ita quum ab omni imperii parte pulsus exsulat pudor; et mollities, quæque mollitiem vitia consequuntur, procerum et multitudinis antiquam castimoniam inquinavere, nulla vis unquam, nulla lex, nulla religio lasciviam cohibere potest extra fines semper evagaturam, et sic in dies excrescentem, ut necesse sit demum molem reipublicæ totam, quasi putridum corpus, ire pessum, et in ruinas resolvi.

Atqui ubi gentium, ubi temporum unquam civitas una exstitit, quæ magis ac tunc orbis Romanus, eo modo ruitura, eo modo solvenda, insanabilibus malis fatisceret, hebesceret, tabesceret? Sæculi proxime elapsi turpem licentiam et nos Galli sæpe conquerimur, sæpe detestamur: at hæc si romanis moribus, quales Cæsarum sub principatu viguere, contuleris, puellarem ignorantiam et innocentiam fere arguant. Namque ut cætera præteream (quis enim singula enumerans et indigitans ante justum volumen desineret?) tunc in palatiis et delubris, in hortis publicis, in triviis, adspectabantur Priapi imagines nudæ. In Floræ sacris, inclinato nondum in vesperem die, ibant globi non meretricum, sed matronarum, non papillis aut umbilico tenus, sed omnino nudæ. In balneis quas undique jam splendidas et vastas imperantium liberalis prodigèntia exstruebat, et ubi vilissimo pretio (quadrante) lavari licebat, lavabantur promiscue viri nudi, feminae nudæ. In theatris frequentissimis, quum fabularum pars prior jam acta esset, ac Sotadicis versibus mentes incenderentur, adstantium nescio quot millia una voce prorumpèbant: « Nudentur mimæ » . . . . . et nudabantur! Quid loquar nefarios et publicos animantium cum mulieribus concubitus, dum, ut veteri fabulæ constet fides, in planitie

L                    DISSERTATIO DE INGENIO

omnium vastissima<sup>1</sup>, imperante principe, effusa ad spectandum omni civitate, Pasiphaen æmulatura quædam se tauro offert lignea vacca inclusam, qui ea potiat. Quid masculam libidinem, et cinædorum greges florentissimos, et assuetos etiam optimates pati muliebria? Quæ ut quivis contumacissime nunc reticeret, sic tunc candidissime quivis fatebatur, ut rem omnium simplicissimam, innocentissimam, usitatissimam. Neque pol negandum, ita eam usu tunc receptam ut naturæ ingenio et legibus se repugnare nequaquam suspicarentur: quum Socrates ne discipulis quidem abstineret; quum poetarum sanctissimus Virgilius (nam eum Flaccus et Mæcenas virginem vocabant), Alexin a domino flagitaret; quum humanæ indolis præclarissimum exemplar et æternum celebrandus honos, pueris quoque gavisus sit, et quo igne Adrianum Antinous mox incensurus erat, hunc ipse sensisset. Miramur ignari Messalinæ libidinem atque infamem audaciam, quæ ex imperatorio pulvinari, *meretrix Augusta*<sup>2</sup>, ancillam ementita, Lupanaris in sella, oculis venabatur, manu rapiebat viros. At id clanculum, at mulier; neque opprobrium Claudii et imperii et suum evulgatura sponte, neque ut ordinem naturæ inverteret. At cinædus imperator postea visus est, qui, quum eximia et vere feminea pulchritudine commendaretur, feminam se et diceret et juberet dici, feminæ cultus et mores indueret, ut femina uni, dein alteri ex aulicis nuberet, mox utrique marito et perpetuum infelix et palam, ubi vesperasceret, ante palatii fores aut in hortis staret, illa quidem gerens quibus princeps nuntiaretur, purpuram auro illitam, holosericas auro exsplendescentes, at hæc insuper quæ scortillum arguerent, coccineas soleas et pro mamillari reticulum, ac si

1. Amphitheatro Titiani, ubi octoginta septem millia spectatorum sedebant, et ferme duodena millia stabant.

2. Juvenalis, Satira VI, 116 et seqq.

quis prætereuntium forma insignior aut corpore robustior, subinde ab eo noctem precaretur.

Quod si quis nunc a nobis quæsierit quem Nostro locum inter eos assignemus qui Epigrammata scriptitarunt, principem eum videri declarabimus. Si leporem spectes, Catullo, Anacreonti, et Eroticis omnibus poetis sæpe par est; si argutiam et sales et nativos jocos, Catullum eundem antecellit, nostrates æquat; si elegantiam et rhythmum et quam vocant technicam harmoniam, non est quod Maronem ipsum, aut Horatium præferas; si venæ ubertatem, nullus tot opuscula, tot lusus, tot sales effudit, neque tam similes res tam variis modis cecinit: tum ab eo data est Epigrammati sua forma, sua hodierna malignitas; ipsi Epigramma debet quod Æschylo Tragoedia, quod Homero Epos. Habeatur ergo princeps in nugatoria sua poesi: et ut lauream et palmas huic Melpomene, huic Calliope adstruit, ita e flosculis tenellulis corollam Bilbilico suo det Thalia.





---

SCRIPTORUM VETERUM  
A C  
RECENTIORUM QUORUMDAM  
DE M. VALERIO MARTIALE  
TESTIMONIA.

---

G. PLINIUS CÆCILIUS SECUND. CORNELIO PRISCO SUO S.

( *Epistola lib. III ultima.* )

AUDIO Valerium Martialem decessisse, et moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis; nec candoris minus. Prosequutus eram viatico secedentem. Dederam hoc amicitiae, dederam etiam versiculis, quos de me composuit. Fuit moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes, vel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare. Nostris vero temporibus, ut alia speciosa et egregia, ita hoc inprimis exolevit. Nam, postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæris qui sint versiculi, quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem. Tu, si placuerint hi, cæteros in libro requires. Alloquitur Musam, mandat ut domum meam in Esquiliiis quærat, adeat reverenter: ( lib. X, epigr. XIX. )

Sed ne tempore non tuo disertam  
 Pulses ebria januam, videto.  
 Totas dat tetricæ dies Minervæ,  
 Dum centum studet auribus virorum  
 Hoc, quod sæcula posterique possint  
 Arpinis quoque comparare chartis.  
 Seras tutior ibis ad lucernas:  
 Hæc hora est tua, quum furit Lyæus,  
 Quum regnat rosa, quum madent capilli:  
 Tunc me vel rigidi legant Catones.

Meritone eum, qui hoc de me scripsit, et tunc dimisi amicissime, et nunc, ut amicissimum, defunctum esse doleo? Dedit enim mihi quantum maxime potuit: daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari majus quam gloria, laus, et æternitas? At non erunt æterna, quæ scripsit? Non erunt fortasse: ille tamen scripsit, tanquam futura. Vale.

*Ælius Spartianus, in L. Cesionii Commodi, sive Ælii Veri vita.*

Idem Ovidii libros Amorum in lecto semper habuisse; idem Martialem Epigrammaticum poetam Virgilium suum dixisse, fertur.

*Ælius Lampridius, in Alexandri Severi vita.*

Leporem quotidie habuit, venationem frequentem, sed eam cum amicis dividebat, et his maxime quos sciebat per se non habere. Nec divitibus quicquam talium munerum misit, sed ab his semper accepit. Et quod ille leporem quotidie haberet, jocus poeticus emersit, idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos qui leporem comederint, ut Martialis Coqui epigramma signi-

LIV TESTIMONIA DE MARTIALE.

ficat, quod contra quamdam Gelliam scripsit hujusmodi :  
( lib. V, epigr. xxix. )

Quum leporem mittis, semper mihi, Gellia, mandas,  
Septem formosus, Marce, diebus eris.  
Si verum dicis, si verum, Gellia, mandas,  
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Sed hos versus Martialis in eam, quæ deformis esset, composuit : Poeta vero temporum Alexandri hæc in eum dixit :

Pulchrum quod vides esse nostrum regem,  
Quem Syrum sua detulit propago,  
Venatus facit, et lepus comesus,  
Ex quo continuum capit leporem.

*Sollus Sidonius Apollinaris. Carm. IX.*

Non Gaulicus hic tibi legetur,  
Non Marsus, Peto, Silius, Tibullus,  
Aut mordax sine fine Martialis.

*Idem. Carmen XXIII.*

Quid celsos Senecas loquar, vel illum  
Quem dat Bilbilis alta Martialem,  
Terrarum indigenas Ibericarum?

*Joannes Saresberiensis, Curial. Nugar. lib. VII, 12.*

Poeticum illum te subito miraberis invenisse pictorem,  
qui ad omnia, quæ necessitas exigit, scit fortasse simulare cupressum. Desipit ita Rufus in Nævia, a qua eum, teste Coquo, nullus casus avertit. Nam

Quidquid agit Rufus, nihil est nisi Nævia Rufo ;  
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.

TESTIMONIA DE MARTIALE. LV

Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit; una est  
Nævia : si non sit Nævia, mutus erit.

Lib. I, epigr. LXVIII.

*Idem. lib. VIII, cap. 6.*

Peregrinos odores non nisi dissolutis et amatoribus con-  
venire, Comicus et Coquus docent.

*Idem. lib. eod. cap. 13.*

Nam fœnerator, ut plus recipiat, interdum aliquid præ-  
largitur. Unde Coquus :

Munera quod senibus viduisque, etc.

Lib. IV, epigr. LVI.

*Vetus Glossarium latinum.*

Petaso, Petasonis; perna, baconis. Martialis Coquus :

Et pulsem dubiam cum petasone voras.

Exstat lib. III, epigr. LXXVII, ubi vulgo, « Et pulsam  
dubis. » Laudatur ab eodem glossographo etiam alibi, et  
sub Martialis Coqui nomine præterea funginum hoc di-  
stichon :

Defungi fungis homines, Macrine, negabas :  
Boleti leti causa fuere tui.

*Angelus Politianus, Miscellan. cap. 6.*

Nimis enim foret insubidus Poeta : quod nefas credere.

*Idem. cap. 52.*

Sane per totum epigramma signate usus est verbis argutissimus poeta, etc. ut sic hoc epigrammate nihil utique pensitatus.

*Idem in Declamatione pro Quintiliano.*

Ut ab ingeniosissimo latinorum epigrammatum poeta, et « vagæ juventutis moderator, » et « Romanæ gloria togæ » vere meruerit appellari.

*Jovianus Pontanus, lib. III, de Sermone, cap. 18.*

Valerius Martialis artificiosissimus epigrammatum scriptor ita in iis quidem jocatus est, ut frequentius carpat quam delectet: tametsi e demorsione ipsa delectatio quoque paritur. Adhæc dictis ejus partim occultissima quædam insunt spicula; partim verba quæ non solum a faceto sint aliena, verum aut obscœna ipsa admodum scurriliaque, aut maxime ampullosa et acida: quod quidem Hispanicum est. Sunt tamen dicta ejus in universum arguta, subtiliterque conquisita; abstrusæ sententiæ, eædemque raræ. salsæ, aculeatæ: inventiones vero maxime acutæ: verba præcipue accommodata, quæque non prima tantum facie, atque in ipso explicatu, lectorem alliciant atque auditorem; verum quæ in ejus animo relinquunt tacitam quandam quasi subtitillationem. Nihilo tamen minus iis non pauca quidem animadvertas, quæ digna prorsus sunt facetis ac temperatis ingeniis: retineantque decorum illud, quod virtutis hujus, de qua præcipimus, maxime est proprium.

*Julius Cæsar Scaliger, Poetices, lib. III, cap. 126.*

Epigrammatis virtutes peculiare, brevitatis et argutia; hanc Catullus non semper est assequutus. Martialis poeta argutissimus nusquam omisit.

*Idem, lib. VI.*

Ne Martialem quidem transferre libet ad meliora. Multa sunt ejus epigrammata divina; in quibus et sermonis castitas, et argumenti species luculenta est. Versus vero candidi, numerosi, pleni, denique optimi. Alia fœda ne legere quidem, tantum abest ut ad censuram vocem.

*Adrianus Turnebus, Advers. lib. VIII, cap. 4.*

Quid vetat attingere festivissimi poetæ Martialis lusus, atque in his operam ludere? Non semper supercilia adducenda sunt.

*Idem, lib. XIII, cap. 19.*

Quum a lepidissimo poeta, nec enim illis assentior, qui scurræ ineptum eum appellant, neque satis eleganter Musa libros epigrammatum scripsisse autumant, lib. III, epigr. XCIII, canitur:

Admittat inter bustuarias mœchas, etc.

*Justus Lipsius, de Amphit. cap. 15.*

Designatorum facete sæpe meminit acutus et capitalis ille Hispanus

LVIII TESTIMONIA DE MARTIALE.

*Idem ad Janum Lænitium, I, epist. quæst. epist. 5.*

Quid censes tu? non melius de Martiale Scaliger judicavit, qui versus ejus candidos, numerosos, plenos, epigrammata multa divina dicit: quam ille, qui scurræ de trivio appellat? Nollem excidisset viro magno hoc judicium judicii dissimile. Nihil ad Catullum Martialis, scio: sed et hoc scio, epigrammata illa nec in trivio nata, nec omnia in triclinio. Multa fœda, obscœna in Martiale: et mehercule in uno Catulli libello non pudiciora, sed pauciora. Ignorat sæculum illud, qui hoc accusat.

Et cætera, quæ ibi sequuntur, tanto viro indigna. Pudet me judicii: quod infra inter infelicium criticorum judicia merebatur locum. Sed reliquis tuis meritis lucrifecisti, mi Lipsi, hanc notam censoriam.

---

SINISTRA QUÆDAM JUDICIA

INFELICIUM CRITICORUM

DE

MARTIALE.

---

*Raphael Volaterranus, Commentar. Urbanorum,  
lib. XVII.*

M. Valerius Martialis, poeta epigrammatum, e Bilbili oppido Celtiberiæ. Romæ annos triginta commoratus, in Hispaniam demum revertit, pauper admodum, et viatico

TESTIMONIA DE MARTIALE. · LIX

a Plinio nepote, ut in ejus epistola declaratur, adjutus. Amicos coluit Stellam, Silium Italicum. Ascitus et in ordinem Equestrem, et jura trium liberorum adeptus est: reliquit epigrammatum librum omnino rejiciendum, quippe qui neque elegantiae latinæ neque moribus prosit.

*Paulus Jovius, in Elogiis Virorum literis illustrium, in Marco Antonio Casanova.*

M. Ant. Casanovæ, Comense patre Romæ genito, arguti epigrammatis palmam detulit illa ipsa Roma, severæ auris judicio superba; nec unquam in confesso pudore Poetis adulatrix: quod lepida, et salsis finibus aculeata carmina factitaret. Elocutioni castæ tamen puritas ac in numero sæpe duro lenitas defuit: qualis in Catullo præterea Poeta conspicitur, quum ingeniose mordaci et impuro Martiali persimilis esse mallet, ut una præsertim peracutæ circumductæque sententiæ gloria duceretur, etc.

*Andreas Naugerius, auctore in iisdem Elogiis P. Jovio.*

Quum epigrammata præstanti judicio lepidissime scriberet, non salsis aculeatisque finibus, sed tenera illa et prædulci prisca suavitate claudebat, adeo Martiali severus hostis, ut quotannis stato die Musis dicata multa ejus volumina, tanquam impura, cum execratione Vulcano dicarentur.

Alia sinistra infelicium Criticorum judicia vide in Martiale P. Scriverii.





GALLICORUM RHETORUM,  
POETARUM AUT POLYGRAPHORUM  
TESTIMONIA ET JUDICIA.

---

ROLLIN, *Histoire ancienne*, in-8°. F. Didot, Paris, 1822,  
Tom. XI, p. 115.

Martial a réussi dans l'épigramme; il était Espagnol, de la ville de Bilbilis, qu'on dit avoir été peu éloignée de celle de Calataïud en Aragon. Il naquit sous Claude, vint à Rome sous Néron, à l'âge de vingt ans, et y en demeura trente, aimé des empereurs, surtout de Domitien, qui lui accorda plusieurs graces. On croit que, n'étant pas si bien traité après la mort de cet empereur, il se retira en son pays. Il eut tout le temps de s'y ennuyer, n'y trouvant nulle compagnie sortable, et qui eût du goût pour les lettres; ce qui lui fit souvent regretter son séjour de Rome: car, au lieu que dans cette savante ville ses vers étaient extrêmement goûtés et applaudis, à Bilbilis ils ne faisaient qu'exciter contre lui l'envie et la médisance; traitement qu'il est difficile de soutenir tous les jours avec patience. *Accedit his municipalium rubigodentium, et judicii loco livor.....adversus quod difficile est habere quotidie bonum Stomachum.* Il mourut sous Trajan, vers l'an 100.

Il nous reste de lui quatorze livres d'Epigrammes et

TESTIMONIA DE MARTIALE. LXI

un livre des Spectacles. Vossius croit que ce dernier est un recueil des vers de Martial et de quelques autres poètes de son temps, sur les spectacles que Tite fit représenter l'an 80.

Pline, en l'honneur duquel il avoit fait uue épigramme ( la dix-neuvième du livre dix ), lui donna une somme d'argent lorsqu'il se retira de Rome ; car il était peu avantagé des biens de la fortune. A cette occasion, Pline remarque que c'était un ancien usage d'accorder des récompenses utiles ou honorables à ceux qui avaient écrit à la gloire des villes ou de quelques particuliers. — Aujourd'hui, dit-il, la mode en est passée, avec tant d'autres qui n'avaient pas moins de grandeur et de noblesse. Depuis que nous cessons de faire des actions louables, nous méprisons la louange. *Postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.*

Il pleura la mort de Martial lorsqu'il en sut la nouvelle. Il aimait et estimait son génie. Mais il serait à souhaiter qu'il y eût eu autant de pudeur et de modestie dans ses vers qu'il y a quelquefois d'esprit.

On lui reproche son humeur trop mordante, sa flatterie honteuse à l'égard de Domitien, jointe à la manière indigne dont il le traita après sa mort.

L'amour des subtilités et l'affectation des pointes dans les discours avaient pris, dès le temps de Tibère et de Caligula, la place du bon goût qui régnait sous Auguste. Ce défaut alla toujours croissant, et c'est ce qui fit si fort goûter Martial. Il s'en faut bien que toutes ses épigrammes soient de la même force : on leur a justement appliqué ce vers, qui est de lui :

*Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura.*

Le plus grand nombre est des mauvaises ; mais il y en a d'excellentes ; j'en rapporterai quelques-unes.

LXII TESTIMONIA DE MARTIALE.

LAHARPE, *Cours de Littérature*, Tom. II. p. 183.

Martial chez les Latins a aiguisé l'épigramme beaucoup plus que les Grecs. Il cherche toujours à la rendre piquante; mais il s'en faut bien qu'il réussisse toujours. Son plus grand défaut est d'en avoir fait beaucoup trop. Son recueil est composé de douze livres<sup>1</sup>; cela fait environ douze cents épigrammes; c'est beaucoup: aussi en pourrait-on retrancher les trois quarts sans rien regretter. Lui-même il s'accuse en plus d'un endroit de cette profusion; mais cet aveu ne diminue rien de l'importance qu'il a attachée à ses nombreuses bagatelles. Elles nous sont parvenues dans le plus bel ordre, telles qu'il les avait rangées, et même avec les dédicaces à la tête de chaque livre. Cela est fort consolant sans doute, mais pas assez pour nous dédommager de la perte de tant d'ouvrages de Tite-Live, de Tacite et de Salluste que le temps n'a pas respectés autant que le recueil de Martial. Le premier livre est tout entier à la louange de Domitien. La postérité lui saurait plus de gré d'une bonne épigramme contre ce tyran, etc.

SABBATHIER DE CHALONS, *Dictionnaire pour l'intelligence des auteurs classiques*. Tom. XXVII, p. 526.

Ce poète est considéré comme le principal auteur des pointes fondées sur des jeux des mots; mais il peut avoir l'avantage sur Catulle pour l'Épigramme, dont la force et la beauté sont renfermées dans la pensée.

1. Debuisset sane dicere de quatorze vel de quinze livres; cela fait environ quinze cents épigrammes.

TESTIMONIA DE MARTIALE      LXIII

LEBRUN, Liv. I, épigr. III (Tom. III des Œuvres complètes).

Par ses traits fins Martial nous surprit;  
Mais la finesse a sa monotonie :  
De l'Épigramme il n'avait que l'esprit :  
Catulle seul en eut tout le génie.

FRED. SCHOELL, *Histoire abrégée de la littérature Romaine*. Tom. II, p. 350.

La plupart des épigrammes de Martial sont d'un autre genre que celles de Catulle; elles se rapprochent de ce que les modernes ont presque exclusivement nommé épigramme; car elles se terminent par une pointe pour laquelle l'auteur réserve tout le sel et le mordant de son ironie. Dans le grand nombre d'épigrammes de Martial, il y en a qui sont excellentes; mais on peut dire de cette collection ce que le poète lui-même en a dit :

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura.

Beaucoup de ces épigrammes ont perdu leur sel pour nous qui ignorons les circonstances auxquelles elles se rapportent, et les choses auxquelles elles font allusion.....

Supra vero, pag. 349.

Domitien faisait grand cas de son talent, il le nomma chevalier et tribun et lui accorda les prérogatives des pères de famille chargés de trois enfans.

LXIV TESTIMONIA DE MARTIALE.

BOUILLET, *Dictionnaire classique de l'antiquité*.

Tom. II, pag. 29.

La publication du recueil des épigrammes de Martial forme presque une époque dans l'histoire de l'épigramme; ces petites pièces fugitives ne sont plus comme, dans Catulle, quelque vers isolés et sans saillies; presque toutes au contraire se terminent par une pointe, un trait pour lequel l'auteur réserve tout le sel et le mordant de son génie. Ce n'est point cependant que Martial égale Catulle;... assez souvent on voit qu'il cherche en vain un trait qui lui échappe. Il a quelque chose de maniéré et d'énigmatique dans quelques pièces, ce qui a été remarqué surtout à la fin du troisième livre, dans le septième et le onzième. De plus beaucoup de ses traits, de ses allusions, n'ayant rapport qu'à des circonstances éphémères ou locales, à des ridicules du jour, du moment, à des originaux qui n'existent plus, ont perdu pour nous de leur sel.



# RECENSUS EDITIONUM

M. VAL. MARTIALIS,

FABRICIANO AUCTIONE, ET IN QUINQUE ÆTATES  
DIGESTUS.

ÆTAS I. AUTOGRAPHARIA 1470—1501.

ORTA a duabus edit. principibus, altera Veneta, Georgio Merula correctore, altera Ferrariensi, a quibus proxima est Romana 1. Tum statim accessere commentatores, Dom. Calderinus ab an. 1474, Georgius Merula ab an. 1482, quorum commentarii fere omnes dein edd. obsident: Petrus Marsus ab an. 1492, et Nic. Perottus, qui Spectaculorum librum eumque primum latis disputationibus illustratum edidit ab an. certe 1496, sæpius dein repetitum.<sup>1</sup>

Princeps 1, *Veneta*, fol. sine nota anni, per Vindelinum Spirenses, circa an. 1470 facta, Georgio Merula Alexandrino correctore, cum epigrammate cujus primus versus syllaba prima abundat sive procephalus est, « Raphael Zovenzonius Ister Vindelino Spirensi ob ejus incredibilem imprimendi solertiam D. D.

*Consummatissimus ille Martialis  
Impressus digitis Vindelianis  
Hic est: hic lepidus facetiarum  
Princeps et salis Attici Latirique.  
Hunc, hunc lector emas, tibi futurum  
Præclarum comitem domi forisque  
Istri consilio tui Poetæ.*

1. Le commentaire de Nic. Perotti sur Martial, connu sous le titre de *Cornucopia*, a été continué et publié par son neveu Pirro Perotti; il parut pour la première fois en 1489, à Vienne, et il y a été réimprimé en 1490 et en 1492. Voy. les *Annales typogr.* de Panzer. *Barbier*.

Cf. Lengnich Beitrage part. II, pag. 122, et Maittarii Annal. typogr. T. I, pag. 291.

1471. *Ferrariæ*, 4. M. Val. Martialis epigrammata. In fine: Hic terminatur totum opus Martialis Valerii, quod continetur in quatuordecim libris partialibus, impressum Ferrariæ, die secunda Julii, M. LXXI» (centenariis omissis). Hæc editio non est repetitio præcedentis, sed ex alio libro, eoque valde diverso ducta, carens libro de spectaculis. Andreas Gallus, ante quem nemo Ferrariæ artem typograph. exercuit, hujus edit. impressor habetur. Vid. Maittar. Annal. typogr. T. I, p. 307.

1473. *Romana* I, fol. — Hanc Scriverius in cælum laudibus tollit.

1474. *Romana* II, fol. per Jo. Gensberg. Prima hæc fuit recensio justa, quæ cum Domitii Calderini, quinque MSS. Codd. usi, commentariis ad Laurentium Medicem prodiit Romæ, nec Venetiis, ut quidam putant. Cf. Lengnich Beitr. part. II, p. 122.

1474. *Veneta*, fol. Domitii Calderini Commentarius in Martialem, Venetiis, ap. Jacobum de Rubeis. Catal. Bibl. Hasæi Prof. Bremensis Class. IV, crit. pap. 503, n. 85.

1474. *Veneta* II, fol. s. 4. maj. «M. V. Martialis, Epigrammatum opus cum commentario integro Domit. Calderini et defensione ejus. Venetiis, per Joh. de Colonia.» Sic legitur tit. in Cat. Bibl. Hasæi Class. IV, inter libros quartæ formæ p. 523, n. 35, et cf. Lengnichii Beitr. P. II, p. 122. Huic igitur editioni jam subjuncta est defensio adversus Nic. Perottum.

1475. *Veneta* III, fol. per Jo. de Colonia. Vid. Lengnich. l. c.

1478. *Mediolan.* I, fol. per Phil. de Lavagnia.

1480. *Veneta* IV, fol. c. Dom. Cald. def.

1482. *Veneta* v, fol. In hac Georgii Merulæ commentarii Dōmitianis adjuncti sunt.

1483. *Mediolan.* II, fol. per Baptistam de Tortis.

1491. *Mediolan.* III, fol. per Phil. Pincium de Canato.

1492. *Veneta* VI, fol. ap. Bonetum Locatellum cum commentariis Petri Marsi.

1493. *Veneta* VII, fol. Martialis cum duobus commentis (Domitii Calderini scil. et Georgii Merulæ). In fine : « Hoc per Bartholomeum de Zanis de Portesio Venetiis impressum opus feliciter explicit. M. cccc. xciii. Die XIII. Novembris ». Ferrara hæc edit. literis impressa est quadratis pernitidis, Maittario autem (ut videtur) ignota. Vid. Maitt. Indic. s. Annal. T. v, part. II, pag. 56, et 536. Hanc notitiam debemus viro perill. Heideggero, Tribuno Reip. Turicensis, in cujus Bibliotheca hæc ed. servatur.

1495. *Veneta* VIII, fol. cum Merulæ et Calderini commentariis.

1496. *Veneta*, fol. Nic. Perotti Cornucopiæ per Joannem de Tridino, alias Tacuinum (cf. quæ ad edd. seqq. an. 1499, 1501, de hoc libro dicuntur). Exstabat quondam inter libros Joach. Chrph. Nemeiz, Consil. aul. Bipont. venales Argentor. 1745.

1498. *Veneta* IX, fol. c. Merulæ et Calderini commentariis.

1499. *Veneta*, fol. Nic. Perotti Cornucopiæ in Ædibus Aldi mense Julio MID. Cf. cat. Bibl. C. G. Schwarzii, Prof. Altorf. P. I, p. 146, inter Aldinas fol.

1501. *Lugd.* fol. Nic. Perotti Cornucopiæ seu Commentariorum L. L. una cum commentariis s. expositionibus ipsius Nicolai in C. Plinii Sec. præmium summa diligentia emendatum, Lugduni impressum per Jac. Mailleti, anno Gratiae M. quingentesimo primo, die vero secunda mensis Junii. Sic legitur inter Incunab. typogr. Bibl. Uffenbach. T. II, App. II, p. 75.



LXVIII      RECENSUS EDITIONUM

1501. *Veneta*, fol. Nicolai Perotti Cornucopiæ : sive commentariorum linguæ Latinæ ad illustriss. Principem Federicum Urbini Ducem : et ecclesiastici exercitus Imperatorem invictiss. liber primus : de Amphitheatro Epigramma primum. In fine : « impressum Venetiis per Joannem de Tridino, alias Tacuinum, anno domini 1501, die xxviii. Maji, Regnante inclyto duce Aug. Bar. invicto principe. Laus Deo. cum gratia et privilegio per decem annos ». — Nicol. Perottus, Archiepisc. Sipontinus libr. spectaculorum prolixis comment. illustravit, qui sæpius editi sunt sub invidiosa inscriptione Cornucopiæ, Venet. ap. Aldum 1513. fol. Tusculani 1522, 4. et Basileæ 1526, fol. et 1527, ap. Aldum. — Non autem ille tantum Martialis verba interpretatus est, sed de verbis singulis latas disputationes dedit, quales v. c. apud Eustathium in Homerum reperimus.

ÆTAS II, 1501 — 1566.

Quamvis nullius certæ recensiois significationem habeat, ornamenta tamen accepit ab Aldinis, quarum princeps est an. 1501, Juntina 1512, Parisinis Colinæi, quarum 1, prodiit an. 1528, et Gryphianis ab an. 1535. Commentator novus ad priores accessit Jac. Micyllus an. 1536. Verum etiam Martialis castus s. potius castratus prodire cœpit, cura Franc. Sylvii ab an. 1514, Conr. Gesneri ab an. 1544.

1501. *Aldina* 1, 8. Martialis. — In fine : « Venetiis in ædibus Aldi, mense Decembri 1501. » Edit. perrara præ cæteris Aldinis. Vid. Aldinas in C. G. Schwarzii Bibl. Altorf. Baueri Bibl. libr. rar. univers. et Engel. Bibl. selectiss. Possidet eam quoque perill. Heideggerus Turici, habuitque Hemmo Arnold Werumæus Jctus Groning. teste Catal. 1783, p. 74.

1503. *Veneta* x, fol. Martialis cum duobus (Calderini et Merulæ) commentis. In fine : « Impressit volumen hoc Jacobus Pentius de Leuco Impressorum omnium accuratissimus. M. D. III. Die 23. Decembris : Anno Leonardi Lauretani S. Principis altero. » Edit. pernitida, Maittario ignota, servatur in Bibl. perill. Heideggeri.

1508. *Erffurdicæ*, 4. min. « M. Val. Marcialis urbanis. Poete Xenia et Apophoreta. — Ad candidum lectorem hexastychon M. Joannis Herbipolitani.

Qui didicit vitam graveolenti ducere porro :  
 Atque sedare sitis flumine doctus onus.  
 Hinc procul abscedat : namque hic sybaritica mensa  
 Instruitur : crapulam nostra talia docet.  
 Pone modum sophie puer : et jucunda popine  
 Muria condiscas : non nocitura seni.

Vale et salve.

In fine legitur : « M. Val. Marcialis poete Xenia et Apophoreta impressa Erffurdie per Johannem Knapp. Anno domini M. D. VIII, die vero vicesima nona mensis Octobris. » Notitiam hujus edit. elegantius impressæ benevole nobiscum communicavit vir clar. Aug. Christ. Borheck, Rector Bielefeld.

1510. *Aldina* II, 8. in ædib. Aldi.

1510. *Veneta* XI, fol. cum Merulæ et Calderini commentariis.

1512. *Juntina*, 8. Florent. ap. Phil. Juntam : quam nullibi invenimus, nisi in Cat. Bibl. selectissimæ Hemm. Arn. Werumæi Jcti. Groning. p. 54, an. 979.

1514. *Veneta* XII, fol. M. Val. Martialis epigrammata cum Calderini commentariis ac figg. — Ex Catal. Bibl. S. J. Lovan.

1514. *Paris*. I, Sylvii. M. Val. Martialis epigrammatum lectoris castimonia dignorum liber, ubi omnia Veneris

illius despuendæ quasi irritamenta, quibus passim sordidatus lectorum nares corrugabat, accurata Francisci Sylvii Ambianatis diligentia deletili spongia deterſa sunt et eluta. — Hic Sylvius primus fuit, qui ex Martiale loca nupta resecurit. Gesnerus hunc sequutus est.

1515. *Argentor.* 1, 4. M. Val. Martialis epigrammata, cum interpretamento dictionum græcanicarum, quæ passim in toto opere continentur, Othmari Nachtgall Argentinæ, etc. In fine: «M. Val. Martialis finit. Impressus Argentinæ anno Domini M. D. xv. xxviii die mensis Augusti, in ædibus Joannis Knoblauch Chalcographi.» Edit. hæc rarior est penes perill. Heideggerum Turici.

1517. *Aldina* 111, 8. Martialis. — In fine: «Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ Soceri mense Decembri 1517.» Edit. perrara, Maittario ignota, memoratur in Cat. Bibl. Schwarz. Altorf. P. 1, n. 2804.

1522. *Lugd.* 8.

1528. *Paris.* 11, Colinæi 1, 8. ap. Sim. Colinæum. Edit. rara et nitida.

1530. *Antv.* 8. ex. Catal. Bibl. S. J. Lovan. p. 399.

1535. *Gryphiana*, n<sup>o</sup> 1, Lugd. 8. ap. Seb. Gryphium.

1535. *Paris.* 111, Sylvii 11, 4. M. Val. Martialis epigrammaton lectoris castimonia dignorum liber, ubi omnia Veneris illius despuendæ quasi irritamenta, quibus passim sordidatus lectorum nares corrugabat, accurata Francisci Sylvii Ambianatis diligentia deletili spongia deterſa sunt et eluta. Parisiis, Jac. Kerver.

1536. *Basil.* Micylli 1, 8. M. Val. Martialis epigrammata cum scholiis Jac. Micylli, ap. Jo. Hervagium.

1536. *Paris.* 1v, 8. M. Val. Martialis epigrammata. Ex Catal. Bibl. S. J. Ipræ, p. 71.

1538. *Basil.* 11, 8. ap. Henr. Petri.

1539. *Paris.* 8.

1540. *Paris.* v, 16. Martialis — ap. Sim. Colinæum.

Vid. Baueri Bibl. libr. rar. univers. et Engellii Bibl. select.  
Est penes perill. Heideggerum Tiguri.

1542. *Veneta*, fol. cum interpr. Dom. Calderini et  
Ge. Merulæ. Cf. Crenius Animadv. philos. Part. III, p. 17.

1544. *Paris*. VI, 16. ap. Sim. Colinæum.

1544. *Turici*, 8. M. Val. Martialis Poetæ facetissimi  
epigrammata ad linguæ Latinæ copiam et varias rerum  
nomenclaturas utilissima, recens ab omni verborum ob-  
scœnitate in adolescentium præcipue scholarumque usum  
expurgata, et in locos circiter LXXX digesta, ac plerisque  
in locis emendata per Conradum Gesnerum, Medicum et  
naturalis philosophiæ in Tigurino Collegio professorem.  
His accesserunt dialogi tres, in quibus ratio hujus instituti  
redditur, et multa de puerilibus studiis egregie comme-  
morantur. Jacobi Micylli Argentoratensis in M. Val. Mar-  
tialis epigrammata annotationes. Tiguri, excudebat Fro-  
schoverus anno MDXLIV. Edit. rar. vid. Bauer. et Engel.  
ubi legendum 1544, ex Cat. Bill. Bunav. et Schwarz. P.  
I, n<sup>o</sup> 2203. Est penes perill. Heideggerum Turici.

1546. *Gryphiana* II, 8. Lugd. ap. Seb. Gryphium.

1546. *Basil*. III, 12. M. Val. Martialis Epigrammaton  
lib. XIV, summa diligentia castigati, per Nic. Brylingerum.

1550. *Gryphiana* III, 16. Lugd. ap. Seb. Gr.

1554. *Paris*. VII, Vascosani 4. ap. Vascosan. Martialis  
castus, ab omni obscœnitate repurgatus. Edit. rar. et  
nitida.

1559. *Basil*. IV, 8. ap. Hervag. c. n. Micylli.

1559. *Gryphiana* IV, 12. Lugduni, ap. Seb. Gryph.  
Engel. Bibl. selectiss.

1560. *Lugd*. 12. ap. Vincentium: e castigatione Jo.  
Boulierii ad fidem vetustissimorum librorum, ut est in  
titulo, cum notulis in margine.

1563. *Basil*. V, 12. per Nic. Brylingerum.

## ÆTAS III. JUNIO-GRUTERIANA 1566 — 1618.

Inchoata ab Adr. Junio, cujus recensio statim a Plantino et Ant. Gryphio recepta fuit, anno 1596 a Theod. Pulmanno, cujus et Chph. Coleri notæ Junianis junctæ cum Indice a Jos. Langio docte confecto edit. Argentoratensem an. 1596 ornarunt; perfecta tandem Jani Gruteri curis ab an. 1596. Martialis resecti curatores novi exstiterunt Edmundus Augerius anno 1568, Plantino inseruiens, et Andr. Frusius Gallus an. 1588.<sup>1</sup> Interea quoque commentatorum numerum auxerat Theod. Marcilius et Laur. Ramiresius de Prado, etc. Variorum has curas plerasque cum novis Desid. Heraldi et Nic. Rigaltii junxerunt Parisina Morelli an. 1601, et illa 1617. Superavit mox omnium interpretum curas egregia doctrina Matth. Raderi, qui Martialem castigatum illustravit an. 1602. Sed et juventuti consuluit Th. Farrabius quum notis superiorum excerptis, tum textu ex MSS. corrigendo. Metaphrasin epigrammatum Græcam scripsit Jos. Scaliger, editam primum 1607.

1566, *Plantiniana* 1, Junii. Antv. 8. ex Plantini officina, ex recensione Adr. Junii, qui quædam Martialis antea inedita e MS. Codice vulgavit lib. v, animadvers. cap. 17.

1567. *Gryphiana* v, 12. Lugd. ap. Ant. Gryphium. M. Val. Martialis epigrammata libri XIV, ex fide vetustissimorum exemplarium, quanta fieri potuit cura vigilantiaque nunc recens emendati: una cum annotationibus aliquot virorum doctorum perquam utilibus.

1568. *Plantiniana* II, Augerii,<sup>2</sup> Antv. 8. ap. Plantin.

1. L'édition de Martial corrigé par le jésuite Frusius, mort en 1557, parut pour la première fois à Rome en 1558, in-8°, avec une préface du P. Edmond Auger. B.

2. (Seu potius Andreæ Frusii). B.

M. Val. Martialis epigrammata ab omni rerum obscœnitate vindicata, opera Edmundi Augerii (Jesuitæ).

1568. *Plantiniana*, nescio an eadem cum priori Antv.

8. M. Val. Martialis epigrammaton libri XII, Xeniorum lib. I, Apophoretorum lib. I, ap. Plantin. Ex Catal. Bibl. S. J. Lovan.

1570. *Dilingæ*, 8.

1579. *Plantiniana* III. Antv. 12. ex recensione Adr. Junii, ex offic. Plantin. quam edit. dein Jos. Langius in indice componendo secutus est. Collata quoque cum insigni MS. et cum Aldina I, fuit in Bibl. Fabriciana.

1584. *Gryphiana* VI, 12. cum scholiis variorum, imprimis Hadr. Junii. Lugd. ap. Anton. Gryphium.

1584. *Paris*. VIII, Marcilii, 8. cum Theod. Marcilii notis, quas autem notas perstringit Scaliger Epist. LXIII et LXVI. Idem, notante Nic. Antonio Bibl. Hisp. Marcilius est, qui sub Claudii Musamberti nomine commonitoria ad Ramiresii quatuor libros hypomnematum in Martialem edidit, quæ viderunt lucem Paris. 1607, 8. Sed Musambertus iste juvenem esse se innuit, Marcilius autem jam hoc an. 1584 commentarios in Martialem ediderat.

1587. *Plantiniana* IV, Antv. 4. (s. prima repetita) opera Edm. Augerii.

1588. *Colon*. 8. M. V. Martialis epigrammata ab omni obscœnitate vindicata per Andr. Frusium : ex Catal. Zech. p. 60.

1593. *Plantiniana* V, 16. M. Val. Martialis epigr. libb. XII, Xeniorum liber I, et Apophoretorum liber I. Lugd. Bat. ex off. Plant. ex Cat. Bibl. Ludewig n<sup>o</sup> 12842.

1. Voici le vrai titre de ses notes sur Martial : M. V. Martialis epigrammata in Cæsaris Amphitheatrum et venationes, multis in locis emendata, illustrataque adnotationibus, in quibus pleraque omnia ad venationes amphitheatri pertinentia declarantur : auctore Theodoro Marcilio. Lutetiæ, apud Ægid. Beysium, 1584, in-8<sup>o</sup>.

1595. *Argentorati* 11, Pulmanniana, 12. M. Val. Martialis Epigrammaton libri xv, hoc est, Spectaculorum liber 1, Epigrammatum variorum libri xii, Xeniorum liber 1, Apophoretorum liber 1, Post Hadr. Junii emendationem recogniti: et lectionis varietate doctissimorumque virorum observationibus illustrati. Adjecto novo rerum ac verborum singulorum indice absolutissimo, studio et opera Josephi Langii Cæsaremontani, Argentinæ. Ære Lazari Zetzneri, Anno MDXCV.

1596. *Gruteriana* 1, Francof. 12. ex Jani Gruteri jam accuratiori ad MSS. Palatinos et edd. vett. recensione. Quæ editio cum MS. Viennensi ab eodem Grutero collata servatur in Bibl. Leidensi, in qua etiam obviæ, præter plures MSS. Martialis Codices, aliæ editiones hujus scriptoris cum castigationibus MSS. doctorum virorum, Is. Vossii, Francisci Junii, etc.

1597. *Veronæ*, 16. Epigrammata expurgata, Justi Lipsii aliorumque annotationibus illustrata: ex Biblioth. Thuani.

1599. *Ingolst.* 8. M. Val. Martialis epigrammata: ex Catal. Bibl. Morgenbesserianæ part. 11, p. 109.

1600. *Paris.* 4. Desiderii Heraldi in libros xii Epigrammatum M. V. Martialis animadversiones.

1601. *Paris.* 1x, Morelli, 4. m. ap. Morellum. Epigrammatum libri xiv, cum Comment. D. Calderini et Obs. G. Merulæ. Ejusd. Martialis Epigrammata selecta Græce expressa a Morello cum notis. Item Marcilii comm. auctus ad Amphitheatrum, Desid. Heraldi adnot. et Nic. Rigaltii, it. scholia Adr. Junii, Pulmanni et Coleri. Sic in Bibl. Hasæanæ Cat. cl. iv, p. 527, n<sup>o</sup> 61.

1602. *Gruteri* 11, Francof. 12. repet. præcedentis an. 1596.

1602. *Raderi*, Ingolst. fol. M. Val. Martialis Epigrammaton libri omnes novis commentariis, multa cura studio-

que confectis, etc. rerumque et verborum, lemmatum item, et communium locorum variis et copiosis Indicibus aucti a Matthæo Radero, etc. cum gratia et privilegio Cæsareæ Majestatis. Ingolstadii. Ex typographia Adami Sartorii. Anno Domini MDCII. Ita eam nobis descripsit perillustris possessor Heideggerus, Tribunus Reipubl. Turicensis. De prima Raderi edit. sic Joseph. Scaliger Epist. 159, ad M. Velsorum : « Valde laudo operam Raderi vestri in Martialem. Itaque me auctore multi emerunt librum illum, ut ego pretium illius excandefecerim. Laudo, inquam, eruditionem hominis et candorem Germanicum, qui sine ulla rubigine et maledicentia tam bene de bono scriptore meritus sit. » Confer Velseri Epist. 21. Commentarius Raderi, ait Ernesti, omnium est optimus, plenusque egregia doctrina, quem legisse neminem pœnituerit.

1603. *Lugd.* 8. Ex Catal. Bibl. S. J. Lovan. p. 339.

1603. *Aureliæ Allobr.* (Genevæ) 4. in Corpore poet. Lat. exc. Sam. Crispinus. (Edit. 1.)

1604. *Antv.* 8. ex recensione Matth. Raderi. Ex Cat. Bibl. S. J. Lovan. p. 339.

1607. *Paris.* 8. M. Val. Martialis Epigrammatum Metaphrasis Græca a Josepho Scaligero composita, cum Is. Casauboni præfat.

1607. *Paris.* 4. ap. Sonnum, c. Comm. Varr. et Indice Jos. Langii. Sic in Cat. Bibl. Thuan.

1607. *Paris.* 4. M. Val. Epigrammatum libb. xv, Laur. Ramiresii de Prado commentariis illustrati : cum Jos. Langii Indice omnium verborum. Vid. Cat. Bibl. Ludewig, n<sup>o</sup> 12637.

1608. *Romæ*, 8. ex recensione Andreae Frusii Galli.

1611. *Raderi* 11, Ingolst. fol.

1611. *Genevæ*, 4. in corp. poet. Latin. Ed. 11.

1. 1609. *Lugduni*, Morillon, 24. ex recensione Andreae Frusii. B.



1612. *Goslar*. 12.

1613. *Colon*. 8.

1615. *Farnabii*, 1, Lond. 8. c. n. Thom. Farnabii, qui aliquot MSS. usus est ad textum corrigendum et superiorum optimorum notis.

1617. *Lutet. Paris*. fol. M. Val. Martialis Epigrammatum libri xv, cum variorum doctorum commentariis, notis, observationibus, emendationibus, et paraphrasibus, unum in corpus magno studio coniectis. Cum indice omnium verborum Josephi Langii Cæsari-Mont. (sed absque ejus præf. et dedic. quam habet edit. Argent. 1595) et aliis indicibus locupletissimis. Lutetiæ Parisiorum, apud Michaellem Sonnum, via Jacobæa sub scuto Basiliensi. Ex regis privilegio. Præcipua hæc editio instructa est commentariis virorum doctorum notisque Domitii Calderini, Georgii Merulæ Alexandrini, Theodori Pulmanni, Hadr. Junii, Nicolai Rigaltii, Christophori Coleri, Steph. Claverii, Fed. Morelli, et Ramiresii de Prado in librum Spectaculorum et quatuor primos Epigrammatum libros, atque adversus hunc commonitoriis Claudii Musamberti: Theodori item Marcilii in librum Spectaculorum, et in libros xii Epigramm. Desiderii Heraldi. Occurrit quoque in hac edit. Metaphrasis Græca selectorum Martialis Epigrammatum composita a Josepho Scaligero.

1617. *Lugduni*, 4. in choro poetarum lustrato et illustrato ab Alex. Ficheto. Expuncti vero sunt versus obscœni.

S. a. *Francof*, 8. e recens. Jani Gruteri.

1618. *Lugduni*, 12. ex Andreae Frusii Galli recens.

1618. *Rothomagi*, 12. opera et studio Andr. Frusii S. J.

## ÆTAS IV. RADERO-SCRIVERIANA

1619 — 1713.

A Petri Scriverii Batavi recensione, primum an. 1619 edita, ad criticam rationem exactior est. Sed una cum illo tamen regnarunt Raderiana recensio, quæ cum commentario etiam curis tertiis meliori anno 1627 Moguntiæ prodiit, et illa Th. Farnabii, quam posteriorem sibi excolendam sumpsit Corn. Schrevelius, ab anno 1656. In usum Delphini quidem Vincentius Collesso Martialem castratum illustravit an. 1680, sed et idem nescio an nocentius omnem obscœnitatem ad calcem libri congeffit. Inter Collessi asseclas præstat editio Amstelæd. Lud. Smids an. 1701.

1619. *Scriverii* 1, Lugduni Bat. 16. s. 12. M. Val. Martialis nova editio; cum Petri Scriverii animadversionibus: accedunt Jani Gruteri notæ: Josephi Scaligeri diatribe critica ad libellum de spectaculis in T. Marcilium; Joannis Brodæi (ex libro x, Miscell.) Hadr. Turnebi notæ in Epigrammata: Angeli Politiani, Justi Lipsii, Jani Rutgersii et Isaaci Pontani notæ ad quædam loca. Lugduni Bat. ap. Jo. Maire. Vide *Cat. de la Bibl. du Roi, Bell. Lettres*, T. 1, 321.

1620. *Luxemburgi*, 12. cura M. Raderi S. J.

1621. *Scriverii*, 11, Amst. 12. M. Val. Martialis Epigrammata, ex emend. P. Scriverii. Ex *Cat. Morgenbess.* part. 11, p. 146, et *Bibl. Thuan.* T. 11, p. 280, et *Bibl. Hasæi* p. 639, n<sup>o</sup> 35.

1623. *Duaci*, 8. M. Val. Martialis Epigrammata. Vide *Cat. Bibl. S. J.*

1623. *Farnabii*, 11, Genevæ, 12. c. n. Th. Farnabii.

1624. *Colon. Agrip.* 12. ex Raderi recensione, sine notis, obscœnis rescissis.

LXXVIII RECENSUS EDITIONUM

1624. *Farnabii* III, Sedan. 8. M. Val. Martialis Epigrammatum libri, animadversi, emendati, et commentariolis explicati; c. n. Thom. Farnabii.

1625. *Farnabii* IV, Francof. 12. M. Val. Martialis cum commentar. Th. Farnabii. Ex Schmidii. Cat. Lat. pag. 82.

1626. *Dilingœ*, 12. ex recensione Raderi, obscœnis rescissis: sine notis.

1627. *Mogunt.* fol. Matthæi Raderi de Societate Jesu, ad M. Val. Martialis Epigrammaton libros omnes, plenis commentariis novo studio confectis, explicatos, emendatos, illustratos, rerumque et verborum, lemmatum item, et omnium locorum variis et copiosis indicibus auctos, curæ tertiæ, plurimis locis meliores, Moguntiaë, sumptibus Joannis Kinckii, Bibliop. Colon. Excudebat Hermannus Meresius. An. M. DC. XXIII, cum auctoritate Superiorum et privilegio S. Cæs. Majest. Editio hæc est penes nos ipsos.

1627. *Genevæ*, 4. in Corp. poet. Lat. Ed. III.

1628. *Colon. Agrip.* fol. Matth. Raderi Analecta tertiis commentariorum curis, ad Martialem jam editis addenda: ap. J. Kinckium, ad intersigne Monocerotis.

1628. 12. opera Andr. Frusii.

1629. *Scriverii* III. Amstel. 16. ap. Guil. Jansson. ex Museo P. Scriverii.

1630. *Antverp.* 24. m.

1640. *Aurel. Allobr.* 4. in Corp. poet. Lat. (Petri Bassæi). B.

1643. *Paris.* fol. c. interp. et not.

1644. *Farnabii* V. Amstel. ap. Blaeu. 12. c. n. Th. Farn.

1645. *Farnabii* VI. Amstel. 12. c. n. Thom. Farnabii.

1647. *Farnabii* VII. Genevæ, apud Sam. Chouet cum notis Th. Farnabii. 12. B.

1650. *Scriverii* IV. Amstel. 12. ap. Lud. Elzev. Repet. ed. Scriverianæ a. 1619. Lugd. B.

1654. *Farnabii* VIII. Amstel. 12. c. n. Thom. Farnabii.

1656. *Farnabio-Schreveliana* I. Lugd. Bat. 8. c. n. Farnabii, additis selectis aliis, cura Corn. Schrevelii.

1657. *Veneta*, 4. M. V. Martialis Epigrammatum medicæ aut philosophicæ considerationis enarratio : sive de medica Martialis tractatione commentarius Cæs. Zarotti. Venetiis ap. Baba : 1657. Vide *Cat. de la Bibl. du Roi, Bell. Lett. T. 1, p. 321.*

1661. *Farnabio-Schreveliana* II, Lugd. Bat. 8. ap. Franciscum Hackium. M. V. Martialis Epigrammata cum notis Thom. Farnabii, et variorum, genuinoque indice tum rerum tum auctorum. Accurante Corn. Schrevelio. Etiam Jo. Frid. Gronovii notas alibi non inveniendas hæc editio habet.

1670. *Farnabio-Schreveliana* III, Lugd. Bat. 8. ex offic. Hackiana. Repet. edit. an. 1661.

1670. *Farnabii* IX, Amstel. 12. ex offic. Janssonio-Wæsbergiana; c. n. Thom. Farnabii.

1673. *Eadem*, ibid. 12.

1680. *Tolosæ*, 8. Petrus Rondellus libros quinque Epigrammatum e Martiale selectorum cum notis suis vulgavit. <sup>1</sup>

1680. *Paris*. 4. ap. Antonium Cellier, via Citharæa. M. V. Martialis Epigrammatum libros xv, interpretatione et notis illustravit Vincentius Collesso J. C. jussu Christianissimi Regis, ad usum Serenissimi Delphini. Editio mutilata; sed (nescimus in quem usum) Epigrammata obscœna in calce adjecta sunt.

1701. *Lond.* 8. Repet. edit. Collessi anni 1680.

1701. *Amstel.* 8. ap. G. Gallet præf. typogr. Hugue-

1. Le titre de cette édition est ainsi conçu : M. V. Martialis Epigrammatum selectorum libri V. Commentario brevi notisque illustrati a Petro Rodelle, S. J. Tolosæ, Pech. 1679, petit in-12. B.

tanorum. M. Val. Martialis Epigrammata paraphrasi et notis variorum selectissimis, ad usum Ser. Delphini interpretatus est Vincentius Collesso. Numismatibus, historias atque ritus illustrantibus, exornavit Lud. Smids. Et huic editioni in calce obscœna subjiciuntur.

1704. *Farnabii* x, Amst. 12. c. n. Th. Farnabii.

ÆTAS V. 1713 — 1782.

Quam a quarta distinguimus, ne hæc longior videatur, et quod novi curatores quaecumque nomen suum præponere maluerunt suis edd. quam sibi ab aliquo antiquiori conciliare auctoritatem; neque tamen sic melius de auctore promeriti videntur. In his numerandi sunt Mich. Maittaire, Londinensis, et Abb. le Mascrier, Parisinæ curatores.

1713. *Londini*, fol. in Corp. poet. Lat. Maittariano, vol. II, p. 1118 — 1246.

1716. *Londini*, 12. ex offic. J. Tonson et J. Watts. M. V. Martialis Epigrammata, ex recensione Mich. Maittarii. Edit. nitida.

1729. *Aug. Vind.* 12. M. V. Martialis Epigr. Libb. XII, Xeniorum L. I, Apophor. L. I.

1729. *Ingolst.* c. n. Juvencii, 8.

1743. *Lugduni B.* c. n. Farnabii, 12.

1744. *Lugduni B.* 12. Eadem rep.

1754. *Paris.* 12. maj. Voll. II. M. V. Martialis Epigrammatum libri; ad optimos codices recensiti et castigati, editore Abb. le Mascrier. Paris. apud Carol. Robustel et Natalem le Loup, ad ripam Augustinianorum, typis vero Coustelierii. Vide Diction. Hist. portatif. T. III, Caen. 1779, 8.

1754. *Paris*. 12. Voll. 11, typis Josephi Barbou, cum figg.<sup>1</sup>

1764. *Ant. de Rooy Conjecturæ crit. in poetas vet. et Martialem. Traj. ad Rh.* 8.<sup>2</sup>

1782. *Manhemii*, cura et sumtibus Societatis literatæ, 8; quæ sequitur edit. Parisinam ap. Barbou, et Martialem non resectum exhibet.

Nos textum Scriverii, a Schrevelio recognitum, recepimus, de-  
nuo collatum a nobis cum Raderiano et Farnabiano. Inter varias  
variorum auctorum vitas Martialis, quum potior nobis visa esset  
illa Matth. Raderi, ex ipso Martiale concinnata, priori eam volu-  
mini præmisimus. Secundo volumini adjecimus, eundem Schreve-  
lium sequuti, Appendicem Epigrammatum Martiali sive vere sive  
perperam suppositorum (cf. cl. G. E. Lessingii *Vermischte Schri-  
ften* Berlin. 1771. t. 1. de Martiale § 4), uno Epigrammate, nobis  
x, auctiorem; quod ex Codice Salmasii, qui nunc exstat in biblio-  
theca regia Parisina, a Gudio descriptum primus in lucem protulit  
cl. Lessingius l. c. Subjunximus tandem, quo sibi responderet  
utriusque voluminis nostri plagularum numerus, *Diversorum poe-  
tarum in Priapum Lusus*, ex novissima eorum editione, quæ pro-  
diit an. 1781, sine loci et impressoris nota. De iis videsis *Notitiam  
literariam in Virgilii nostri Vol. II*, p. 255.<sup>3</sup> Sic Bipont.

1. C'est la même édition que la précédente avec un nouveau fron-  
tispice. B.

2. *Ant. de Rooy* nondum editæ *Animadversiones in Martialis epigram-  
mata*. Hardervici, 1787, in-8.° B.

3. Les *Priapées* ne se trouvent pas dans notre édition de Virgile,  
parceque M. Heyne était persuadé que ces opuscules licentieux n'étaient  
pas de ce poète. Voyez sa notice *de Virgilii editionibus*, t. VII de notre  
édition, p. 462. B.

## VERSIONES.

Gallicam versionem Epigrammatum omnium Martialis, et prosaicam et metricam, fecit Mich. de Marolles, Paris. 1655, 4, utramque haud magni pretii.<sup>1</sup> Juvencii Gallicam metaphrasin, et Faillii in Martialem notas memorant auctores de l'Histoire des ouvrages des Savants 1693. Nov. p. 130 : *le P. Jouvenci Jésuite a publié une traduction des Épigrammes de Martial, demptis obscœnis.* Idem, p. 131 : *M. de la Faille a publié quelques petits ouvrages, comme des notes sur Martial.*<sup>2</sup>

Germanice singula Martialis Epigrammata s. verterunt, s. carmine vernaculo imitati sunt, Mart. Opitzius, Wernikius, Trillerus, Tscherningius, Weissius, Anonymus in Collectione carminum comicorum, lyricorum, et epigrammaticorum, Francof. et Lips. 1764. Hymmius, Wilkensis, et qui omnes facile post se relinquit cl. G. E. Lessingius. Cf. eorum Opp. et Collectionem præcipuorum Epigrammatum Germ. Rigæ, 1766, 8.

Hispanice nonnulla Martialis Epigrammata interpretatus est Emmanuel de Salines. Cf. Lorentii Graciani Arte de Ingenio.

Græcum fecit Martialem Joseph. Scaliger in Florilegio Martialis, edito ab Is. Casaubono Paris. 1607, quo Libellus de Spectaculis, lib. XIII, et XIV, ferme integri, et ex cæteris duodecim libris Epigrammatum satis magnus numerus comprehenditur. Quæ quidem opera Martiali lo-

1. La première parut en 1655, 2 vol. in-8°; et la seconde en 1671, in-8°, et en 1673, in-4°. B.

2. Le P. Jouvency a publié, en 1693 à Paris, une édition de Martial, corrigée, avec une interprétation latine, et non avec une traduction française. Quant à M. de la Faille, l'auteur de l'*Histoire des ouvrages des Savants* paraît l'avoir confondu avec Costar, traducteur des *plus beaux endroits de Martial*. Toulouse, 1689, 2 vol. in-12. B.

cata a Scaligero, laudatur et in cælum effertur a Casaubono, sed merito perstringitur a Monnoyo in Menagianis t. 1, p. 325 — 336, ed. Paris. Inserta etiam reperiuntur hæc Epigrammata in majore editione Parisina Martialis, cum aliis ejusdem Epigrammatibus a Franc. Morello translatis.<sup>1</sup> Nempe et Morellus jam ante Scaligerum quædam Martialis græce verterat, separatim ab ipso duabus plagulis edita circa ann. 1600. Sed male ommissa sunt auctorum nomina in editione Parisiensi. Pauciora Epigrammata itidem in sermonem Græcum transtulerunt Dousa major, Eman. Martinus, Menagius, alii.

Hadriani Beverlandi notæ ineditæ ad Martialem et Juvenalem MSS. memorantur in Novellis Reipubl. literariæ an. 1699, t. 1, p. 468. Nescio quem Martialis interpretem ridet Barthius ad Statium, t. 1, p. 473. Marcilium an Scriverium? qui Scaligeró in Epistolis dicitur Lentulus, et in quo nihil ornati, nihil culti reperiri ait Holstenius Epist. ad Elmenhorstium (post Gudianas) p. 920. Salmasii et Isaaci Vossii editionibus fata intercessere.<sup>2</sup>

---

Recensui Editionum præcedenti pauca de more subjicimus, quæ vel a Bipontinis prætermiſsa sunt, vel post Martialem ab iis editum prodire.

M. V. Martialis, sine anno, loco, et nomine editoris aut typographi, 4. Bibl. Spenceriana, vol. 11, p. 175.

1. La première édition de la traduction grecque des épigrammes de Martial par Jos. Scaliger, parut sous ce titre : *Anthologia epigrammaton Martialis* Jos. Scaliger Jul. Cæs. F. vertit græce. Petrus Scriverius publicavit. *Excudebat Guyotius typis Raphelengianis (Lugd. Batav. seu Antwerpiae)*, 1603, in-12, voy. le Catal. de la Bibliothèque d'un amateur (M. Renouard). Paris, 1819, t. 2, p. 297. Le Lecteur trouvera ces différentes traductions grecques dans cette édition-ci. B.

2. Il existe une traduction du livre des Spectacles, en polonais, par Joseph Minazewicz, Varsovie, 1759, in-4° et 1766, in-8°. B.



LXXXIV      RECENSUS EDITIONUM

M. V. Martialis alia editio, sine anno, loco, et nomine editoris aut typographi. Ibid.

M. V. Martialis cum comment. Calderini, fol. Venet. 1485, Bibl. Pinell.

M. V. Martialis Epigrammatum libri XIV, cum commentariis Domitii Calderini Veronensis, Ven. 1491, fol. Bibl. Advocatorum apud Edinb.

Editio Martialis prodiit 1492, per Bernardinum de Choris de Cremona. Vide Harlesii Suppl. ad Brev. Not. etc. vol. II, p. 118.

Editiones Aldinas tres tantum memorant Bipontini et Fabricius : sed quatuor notat Harlesius, n<sup>o</sup> 1501, 1510, 1512, 1527. Adjicit vero, num omnes sint genuinæ, fidem se præstare non posse ; et suspicari videtur ex iis unam (1501) ex Guil. Huyon, aut ex alia quadam officina fur-  
tim exiisse.<sup>1</sup>

M. V. Martialis Spectaculorum liber, et Epigrammatum primus, cum Cornucopiæ sive commentario amplissimo Nic. Perotti Sipontini, Paris. 1507, fol.

M. V. Martialis Lugd. 1518, 8.

M. V. Martialis Epigrammatum libri XIV. Ven. ap. Ald. 1534, 8. Bibl. Bodl.

M. V. Martialis Epigrammatum octavus liber, Paris. 1548, 4.

M. V. Martialis. Lugd. Bat. 1548, 8.

M. V. Martialis, etc. interpretantibus Calderino et Merula, Venet. 1552, 8.

M. V. Martialis. Lugd. Batav. 1600, 16.

M. V. Martialis. Lugd. Batav. 1612, 16.

M. V. Martialis cum commentariis Farnabii, Lond. 1633, 1655, 1673, 1677, in-8<sup>o</sup>.

1. L'édition de 1512 a été faite à Lyon, où avait déjà paru avant 1503, une contrefaçon de l'édition de 1501. B.

Martialis Epigrammata, edente Ricardo Busbeyio, in usum Scholæ Westmonasteriensis. Lond. 1661, 1670, 1689, 12; 1721, 1755, 8, et 1773 magis aucta.

M. V. Martialis Epigrammata apud Elzev. Amstel. 1664, 16.

M. V. Martialis Epigr. selecta, cum notis Vorstii, Lips. 1675, 8.

M. V. Martialis. Lugd. Bat. 1695, 16.

M. V. Martialis Epigrammata, cura Thomæ Fitzgeraldi. Lond. 1721, 1740, in-8.<sup>o</sup>

M. V. Martialis Epigr. Lond. 12. 1724.

M. V. Martialis Epigr. Glasguæ 1759, 12.<sup>1</sup>

M. V. Martialis, Lond. 1783, 8.

M. V. Martialis Epigr. in XII libros digesta; « ut uni » (hæc sunt verba editoris) « sic omnibus poetis facem præferente Jacobo Elphinstone ». Lond. 1782, 8. Præfigitur Martialis effigies ex gemma ampliata, et copiosa introductio ad poetas, præcipue ad Martialem spectans. Sine annotationibus.

Jacobus Elphinstone, qui Latine Martialem edidit, idem Anglice vertere eum conatus est. Tam editio quam versio satis nitida quoad typographiam; quoad alia, facta est versio astris satis malignis. Aliquid est, nisi Anglicam vocaveris. Linguam suam spernere videtur interpres, ideoque pro metaphrasi Anglicana vix legenda hæc versio. Et revera nulla videtur esse omnium librorum Martialis Anglica versio de qua optime prædicandum sit.

M. V. Martialis epigrammata ad optimas editiones collata. Præmittitur notitia literaria, studiis societatis Biontinae. Editio accurata. Bionti, 1784, 2 vol. 8.

1. La traduction des Epigrammes de Martial en vers et prose, par Gaullier. Paris. 1738, in-12. — Epigrammes choisies de Martial, traduites en français avec des remarques. Avignon, 1753, in-12. B.

LXXXVI      RECENSUS EDITIONUM

M. Val. Martialis Epigrammata, ex editione Bipontina, cum variis lectionibus, notis Variorum, notitia literaria, et indice locupletissimo accurate recensita. Londini, curante et imprimente A. J. Valpy, A. M. 1822, 2 vol. in-8°.

Marziale, fedelmente tradotto in Italiano da Giuspanio Graglia. Lond. 1785, 2 vol. 8.

Martialis Ramleri in v tom. Lips. 1787 — 1791, 8. Accedat Anhang. zum Ersten Theil ibid. 1793, 8. — Idem Ramlerus Germanicam Martialis versionem dedit. In hac vero non omnia Ramlero assignanda sunt. Varia epigrammata a variis interpretibus versa sunt, quæ omnia Ramlerus in unum corpus collegit, et dimidio plus ipse interpretatus est.

M. V. Martialis, Viennæ 1804, 8. 2 voll.

Epigrammes de M. V. Martial, Lat. et Fr. nouvelle traduction. A Paphos. Paris. 3 voll. 8. 1807.

M. V. Martialis. Franc. ad Mœn. 1808, 8. Textus nitidus et emendatus, absque notis, in usum scholarum.

M. V. Martialis Epigr. ex optimarum editionum collatione concinnata. Lond. 1816, 18.

Epigrammes de M. V. Martial. Traduction nouvelle et complète, par E. T. Simon. Avec le texte Latin, et des notes, et les meilleures imitations en vers Français. Paris, 1819, 3 voll. 8.

Inter ea quæ Martialis epigrammata quædam complectuntur, vel ejusdem sunt imitationes, hæc sequentia numerentur.

Epigrammatum delectus ex omnibus tum veteribus tum recentioribus poetis (Maxime ex Martiale) accurate decerptus (cura Cl. Lancelot, Benedictini) cum dissertatione de vera pulchritudine (a P. Nicole) *Parisiis, Savreux*, 1659, in-12; Londini multoties recusus.

*Flowres of Epigrammes out of sundrie the most singular authors, selected by Timothie Kendall, late of the Universitie of Oxford.* Quædam in hac collectione sunt editoris et interpretis, alia aliorum, plurima vero Martialis. Lond. 1577, 16. Warton, *Hist. poet.* vol. III, p. 452.

*Epigrams of Martial translated into English by R. Fletcher.* Inter hæc inseruntur varia ipsius interpretis. Lond. 1650, 8.

Marcial Redivivo, Hispanice. Bilbilitani nostri poetæ hic interpres est Don Antonio Gonzalez de Salas, Hispanus. Non vertit omnia Martialis, sed ea tantum quæ visa sunt præstantiora. Idem, est cui tribuitur versio Persii in lingua Castellana, et qui publicavit Parnaso de Quevedo, *Ensayo de una Bibliotheca de Traductores Españoles*, etc. p. 100.

In *The Works of Mr. Thomas Brown, serious and comical*, 4 voll. Lond. 12. multa sunt Martialis.

Multa etiam Martialis Epigr. selecta et Anglice versa sunt a Gul. Hay, cum Appendice continente Abr. Couleii et aliorum Epigrammata ex Martiale Anglice versa. Duæ sunt editiones hujus operis: una Lond. 1755, 8, Angl. sine Lat.; altera cum Lat. in pag. opposita, 12. Rursus etiam edita sunt in Hayii operibus, Lond. 1794, 4. Versiones in hac collectione bene audiunt.

Wrightii Angl. Versiones, una cum Catonis Distichorum versione. Lond. 1763.

Varia etiam sunt Epigrammata Anglice versa ex Martiale in Poematibus Samuelis Rogers, 2 voll. 8. Lond. 1782.

*Sinngedichte des Martialis, metrisch übersezt* ab I. G. Zimmermann, Francof. ad M. 1783, 8. Martialis epigrammata hic versa sunt CLXXVII. Alia sunt editoris lusus satis, ut fertur, felices.

Epigrammata Martialis, cum titulis ex Horatio sum-

LXXXVIII RECENSUS EDITIONUM

ptis, interpretata, imitata, et applicata viris nobiles, ingenuis, et clericis, sub nomine viri Rev. Scott, Trin. Coll. Camb. sed, ut fertur, non ejus erant: cujuscumque vero fuerint, nihil insulsius aut audacius.

Excerpta ex variis Latinis poetis qui in scholis non leguntur, notulis illustrata, quæ collegit, in usum studiosæ juventutis, J. Roger Pitman. Lond. 1808, 8. Inter hæc multa sunt ex Martiale bene selecta.

Feliciter etiam Germanice vertit LX Martialis Epigr. I. A. Nasser, in *Satirische Anthologie, aus röm. Dichtern übersezt*. Kelon. 1810, 8.

Particularum Martialis Epigrammatum versiones abundant, tam ab exteris quam a nostratibus undequaque sparsæ, quas notare opus esset infinitum. Satis sit unam et alteram Anglicam indicare; nempe celeberrimi nostratis B. Jonson (Epigr. 77, Lib. VIII.) in *Specimens of scarce Translations of the seventeenth century*, etc. Lond. 1805, 8. Joannis Oldham, inter poemata ejus, 1710, cl. Isaaci Watts, S. T. P. inter poemata ejus, et variorum interpretum in *Gentleman's Magazine* vol. V, VI, VII, *Universal Magazine* Aug. 1761, etc.

Inter *Observationes*, etc. in Martialem, ab operibus ejus sejunctas, numerentur, inter alia, quæ sequuntur.

Ad M. V. Martialis Epigrammata Lectiones Variantes et Notæ ineditæ Hadr. Beverlandi, memoratæ in *Novellis Reipubl. Lit. ann.* 1699, tom. 1, p. 468, deinde editæ sunt in D. Ferdinandi Stosch *Musei Critici* vol. 1, Lemgovia 1774, 12.

Vita Martialis a L. Crusio, in ejus *Lives of the Roman Poets*, Lond. 1726, 2 voll. 4. vol. 2. p. 77.

Observationes in characterem et scripta Martialis, ab Edm. Burton, nuper soc. Trin. Coll. Cantab. in ejus *An-*

*cient Characters deduced from classical Remains.* Lond. 1763, 8.

Ut magna lis orta est de *Anchialo* Martialis (Epigr. XI, 94), hic memorentur P. Zornii Dissertatio de scholis publicis, Ploenæ 1716, et comment. de Martialis *Anchialo* edita ab A. L. Zacharia, in Nov. Bibl. Bremensi, class. v, fasc. II, p. 367, Bremæ 1765, 8. Narratur breviuscule de vita Martialis, breviuscule de ejus operibus judicatur in immensa antiquarum quasi Encyclopædia cui titulus, *Dictionnaire historique, géographique, mythologique et critique de l'antiquité*, par Sabbathier de Châlons, tom. XXVII, pag. 425.

Censura perstrinxit varia Martialis epigrammata cl. Tiraboschius, Hist. Literat. Ital. vol. VII, et Serranus Hispanus contra illum scripserat. Secuta est Tiraboschii defensio, Ferraræ 1776, et deinde in utramque partem lis magna, de qua consulere est Giornale di Modena, t. XII.

Epistola critica cl. Goensii memoratu dignissima est, ut quæ rara et plurimis incognita, multa tamen, ad Martialis epigr. attinentia, pretiosa continens. Tota hæc epistola in Harlesii Suppl. ad brev. Not. Lit. Rom. vol. II, p. 126, exhibetur.

Observationes criticæ in Martialem a J. Jortin, S. T. P. in tractatibus ejus philologicis, criticis, et miscellaneis, pp. 274 — 280. Lond. 1790, 8.

Vitam Martialis et de eo judicium quoque invenire est in eximio opere, *Histoire de la littérature Romaine*, par Frédéric Schœll. Cujus quædam inter testimonia, pag. LXI, collocavimus.

On trouve un jugement assez étendu sur Martial, dans la *nouvelle Bibliothèque d'un homme de goût*, Paris, 1808, in-8°, t. I, p. 152. Voyez, encore Martial considéré comme écrivain et comme peintre de mœurs; par M. Malte-Brun, dans le *Spectateur*, Paris, 1814 et 1815, 3 vol. in 8°.

---

## DE METRIS MARTIALIS.

---

UT varia et multiplex Epigrammatis materia est, ita et rhythmus varia et multiplex ratio esse potest. Quod quamquam Græcis epigrammataris minus usitatum fuit, ut Anthologiam legentibus patet, neque horum opusculorum pulchritudini contrarium est, et Catullus, literariæ venustatis optimus iudex, in deliciis habet. Hunc sequutus Martialis numeros haud sine consilio variavit, et libellos suos voluit, si fas ita joculari, numeris omnibus absolutos.

Hinc operæ pretium fore nos duximus, si pauca de versuum quos quidem ille usurpavit textura et usu adumbraverimus. Aliquando enim satis eruditis viris accidit, ut carminum quasdam formas vel minus recordentur, vel plane nesciant: quid tirunculis, quorum tamen plurimis Martialis nostri vel quædam vel pars melior prælegi potest? Anne autem rhythmus elegantiam et poetæ beatam venam ii intelligent, si quot syllabæ, qui pedes ad versum faciant, perspectum non habuerint?

Porro, quæ hic brevissime exaraturi sumus, duas in partes sponte scinduntur et discedunt: de struendis et coaptandis versibus in priore disputabitur; indicabit pars posterior quem habitum, quem *χαρακτήρα*, quod veluti ingenii genus versus præferat, et quæ potissimum quisque aptius exprimat. Illa technica omnino est, hæc vero literaria; illa ad versificationem spectat, hæc ad poesin; illa solertiam quodammodo manifestat, hæc ingenium.

I. *Quibus numeris sua scripserit Martialis, et quos versus coaptaverit.*

Septem versuum genera usurpavit Martialis: horum autem tres semper monocolon<sup>1</sup> opus efficiunt, tres ita

1. *Monocolos* vel *monocolon* (subaud. vel *poesis* vel *poema*) id appellatur poetici operis genus, quo una, et eadem perpetua, versus forma admittitur, ut in heroicis Carminibus, ut in Horatianarum Odarum prima: «*Mæcenas atavis edite regibus, etc.*», vel in hoc epigrammate Martialis: «*Issa est passere nequior Catulli, etc.*» *Dicolos* vero aut *dicolon* id significat, quo duplex versuum genus miscetur et alternatim redit, ut in Flacci omnibus fere Epodis, ut in his quæ Elegiacos versus, aut breviori nomine Elegos vocant; *Tricolos* aut *Tricolon*, quum triplex versuum genus; *Tetracolos* aut *Tetracolon*, quum quadruplex, etc. Porro notandum in lyricorum principe Horatio, nunquam plus quam Tricolon inveniri; at in Pindaro, et Tragicis Græcis sæpissime Octocolon, Decacolon, aliquando Pentecædecacolon, Eccædecacolon, Eptacædecacolon. Cæterum ne has voces *Tricolos*, *Tetracolos*, cum his *Tristrophos*, *Tetrestrophos*, easdem putes: *Tristrophos* aut *Tetrestrophos* strophem indicat quæ tres aut quatuor versus habet; *tricolos* aut *tetracolos* quæ triplex aut quadruplex versuum genus. Sic, v. g. id Horatii, lib. II, Od. xiv, 21 et seqq.

Linquenda tellus, et domus, et placens  
Uxor; nec harum quas colis arborum  
Te, præter invisas cupressus,  
Ulla brevem dominum sequetur.

tetrestrophon est (nam quatuor versus in tota strophe continentur), at tricolon (nam tres tantum versuum species hic occurrunt, quum primi duo eundem rhythmum habeant).

In hac vero Gallica imitatione,

Des beaux arbres qui m'ont vu naître  
Les cyprès doivent seuls un jour,  
Derniers compagnons de leur maître,  
Me suivre en mon dernier séjour;  
Mais qué parfois la vigne encore  
Sur nos fronts que son jus colore  
Courbe ses fortunés berceaux,  
Avant que le cyprès fidèle  
Balance son ombre éternelle  
Sur le marbre de nos tombeaux.

CASIMIR DELAVIGNE. *Ode à mes amis, etc*

strophem habes decastrophon (decem scilicet versibus constantem) monocolon (in qua nempe decem versiculis iidem rhythmus, iidem numeri perpetuo conveniant).



XCII DE METRIS MARTIALIS.

conjunguntur et miscentur, ut in dicolon semper evadant; septimum (vel primum, nam primum hunc mox nominabimus) modo in dicolis collocatur, modo in monocolis.

1. *Versuum structura.*

Antequam altius nos ingrediamur materiam et legentes doceamus, qua et quali et quotuplici versuum specie gaudeat Martialis, admonitos omnes et singulos volumus minime nobis placuisse breves quidem, at absurdas versuum denominationes quas alii perpetuum usurparunt, ut Hendecasyllabos, Aristophanios. Hos nempe *hendecasyllabos*, hoc est, ex undecim (ἑνδεκα) syllabis (συλλαβαῖς) compositos vocant,

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,  
Passer mortuus est meæ puellæ!  
(CATULL. Carm. II.)

At nonne ex undecim syllabis constant tres qui Sapphicam strophem incipiunt?

I, pedes quo te rapiunt et auræ,  
Dum favet nox et Venus; i secundo  
Omine, et nostri memorem sepulcro  
Sculpe querelam.  
(HORAT. lib. III, Od. XI, str. 13.)

Nonne et undecim quoque syllabarum series efficit hos versus, quos Alcaicum melos in principio habet?

Cur invidendis postibus, et novo  
Sublime ritu moliar atrium?  
Cur valle permutem Sabina  
Divitias operosiores?  
(Idem, lib. III, Od. 1, str. 12.)

Nonne demum in hoc dicolo e duobus versibus semper alter undecim syllabās habet :

Non ebur neque aureum  
 Mea renidet in domo lacunar,  
 Non trabes Hymettiae  
 Premunt columnas ultima recisas  
 Africa; neque Attali  
 Ignotus hæres regiam occupavi;  
 Nec Laconicas mihi  
 Trahunt honestæ purpuras clientæ.  
 (Idem, lib. II, Od. xviii, vs. 1 sqq.)

Quod si ea nunc nomina respicis, quæ ab auctore et inventore poeta derivantur, his idem vitium objicies. Ex. gr., hunc versiculum, Horat. lib. I, iv, 1 :

Solvitur acris hyems grata vice veris et Favoni,

Aristophanium vocant : nam Aristophanes hunc primus invenit, hunc frequens usurpavit. At quot et quam varios Aristophanes ! Evolvantur nempe ipsius comœdiæ in choris, et vel stropha una exscribatur :

Ζῆνα τύραννον ἐς χορὸν  
 Πρῶτα μέγαν κικλήσκω,  
 Τόν τε μεγασθενῆ τριαίνης ταμίαν,  
 Γῆς τε καὶ ἀλμυρᾶς  
 Θαλάσσης ἄγριον μοχλευτήν.  
 Καὶ μεγαλῶνυμον ἡμέτερον πατέρ',  
 Αἰθέρα σεμνότατον, εἰοθρέμμονα πάντων,  
 Τόν θ' ἵππονῶμαν, ὃς ὑπερ-  
 λάμπροις ἀκτίσιν κατέχει  
 Γῆς πέδον, μέγας ἐν θεοῖς,  
 Ἐν θνητοῖσι τε δαίμων.  
 ΑΡΙΣΤΟΦ. Νεφέλ.

En versiculi undecim qui omnes rhythmō discrepant :  
 namque, si omnes breviter libet percurrere,

XCIV DE METRIS MARTIALIS.

Primus e dactylo uno, trochæis duobus, et syllaba longa constat;

Alter, e dactylo, trochæo, spondæo;

Tertius e dactylo, trochæis duobus, syllaba longa et choriambo;

Quartus e dactylo, trochæo et syllaba longa;

Quintus ex iambo syllabaque longa, anapæsto, et rursus iambo syllabaque longa;

Sextus e dactylis 4;

Septimus e dactylis 4 et spondæo;

Octavus e spondæo, iambo, choriambo;

Nonus e dispondæo et choriambo;

Decimus e trochæo, dactylo, iambo, syllabaque;

Undecimus e spondæo, dactylo, iambo.

Num unus duntaxat ex omnibus, Aristophanii nomen feret, quum sint omnes Aristophanis? Num, si omnes Aristophanios vocaveris, alios ab aliis jam discernere erit?

Necessarium ergo cum antiquis Grammaticis et σχολιασταῖς arbitramur aliis nominibus versus distinguere; quæ, ut principio forsitan salebrosa et putida, sic deinde commodissima et simplicissima videbuntur.

Atqui tria in versu construendo perpendenda sunt: 1° qui pedes in eo dominantur; 2° quot ille pedibus insistat; 3° an integer, an truncus pes ultimus. Hinc tribus verbis opus est ad unum versum designandum: priore pes principalis designabitur; altero, pedum numerus; tertio demum ultimi pedis integritas.

Sic versiculus qui dactylos quatuor continet, hic vocabitur: *Dactylicus tetrameter acatalectus*; si quid autem in ultimo dactylo deficiat, *Dactylicus tetrameter catalectus* aut *in syllabam* aut *in bisyllabum*.<sup>1</sup>

1. Hic necessarium aliquantulum immorari.

1° Si pes dactylus dominatur, Dactylicum versum habes; si vero ana-

Veniamus tandem ad propositum et omne genus rhythmi, quod usurpavit Noster, introspeciamus.

1) Primus versus est Dactylicus hexameter catalectus

pæstus, Anapæsticum; si trochæus, Trochaicum; si iambus, Iambicum, et sic de aliis; nil facilius.

2° Si pes unus, deberet versus appellari *monopus*; si pedes duo, *dipus*; si tres, *tripus*. At, quam ob causam nescio, in his appellandis, metrorum, non pedum ratio habetur; et monometer, dimeter, trimeter dicuntur. Porro metrum modo idem est quod pes unus, nempe in Dactylis, Choriambis et Antispastis; modo idem quod pedes duo. Hinc Dactylis, Choriambis, Antispastis versus, si uno pede insistant Monometri nuncupantur, si duobus, Dimetri, si tribus, Trimetri, etc. at Iambis, Trochaicis, Anapæsticis, alii denique omnes quibus nunquam unicus pes, si duos pedes habeant, Monometri, Dimetri si quatuor, Trimetri si sex, Tetrametri si octo. At, inquires, si tres, si quinque, si septem habeant? mox doceberis.

3° Si pes mancus exstiterit, versus est Catalectus, quasi deficiens, a Græco *καταλήγειν*; si integer, Acatalectus. At duplici modo Catalectus esse potest; nam vel deficit una syllaba, tunc *Catalectus in Syllabam* est, aut simpliciter *Catalectus*; vel duo deficiunt, tunc *Catalectus in bisyllabum* vocatur aut *Brachycatalectus*. Si, quod rarissime et in Iambis Trochaicisque solis accidit, tres deficiunt, tum varii varie rem efferunt: aliis nempe Catalectus in trisyllabum dicitur versus; aliis pro Trimetro Dimeter, pro Dimetro Monometer versus censetur, et præterea *Hypermeter*, hoc est supra mensuram, dicitur; nam perspicuum maxime est, eundem esse Dimetrum cui tres syllabæ desunt, ac Monometrum qui unam habet plus quam necesse est, Trimetrum tribus syllabis carentem et Dimetrum una abundantem, etc.

Omnia hæc exemplis facile illustrabuntur, et ex obscuris clarissima velocissime evaserint. En, longiusculus versus:

Jupiter omnipotens jaculatur ab æthere fulmina?

Quis pes in hoc versiculo dominatur? aurem pauxillum applicato, vides jam dactylos esse omnes; ergo Dactylicus versus est. Jam quotuplex dactylus? mica digitis; sex numeras, en habes ergo, pro Dactylico, Dactylicum hexametrum. Tum pes ultimus, mutilusne est, an integer? syllabas numera; tres illæ sunt, ergo pes totus, ergo versus, pro Dactylico hexametro, Dactylicus hexameter acatalectus. Quod autem versiculi genus cum isto nunc confundi potest?

At finge pro *fulmina*, *fulmen*, ita ut scriptum habeamus:

Jupiter omnipotens jaculatur ab æthere fulmen,

versus erit Dactylicus hexameter catalectus in syllabam.

in syllabam, qui vulgo hexameter dicitur, quod sex pedibus constet, vel heroicus, quod heroum facta et laudes frequentissime narrat. Nos aptissimo nomine sat designamus, qualis et quantus sit. Dactyli dominantur, sed spondæi admittuntur in pedibus quatuor prioribus et sexto. Admittuntur autem, quia ut in dactylis, sic in spondæis pronuntiandis temporis par intervallum consumitur; pes autem sextus, quum sit dactylus, truncus idem est ac trochæus, pro quo in extremo versu spondæus bene ponitur.

At a quinto spondæus removetur, quia in omni versu ille pes qui versui nomen imprimi, ni bis aut ter, certe semel reperiri debet; quo autem in loco clarius videbitur quam in ultimo, si Acatalectus versus; in penultimo, si Catalectus? Ergo, necessario pes quintus dactylus est.

Multa autem varietas et in rhythmo et in numero syl-

**Tum si unam syllabam eripias :**

Jupiter omnipotens jaculatur ab æthereo  
Limine fulmineos ignes, etc.

prior versus esset Dactylicus hexameter catalectus in bisyllabum.

**Altius penetremus et sublato primo pede exscribamus :**

Omnipotens jaculatur ab æthere fulmina  
Omnipotens jaculatur ab æthere fulmen  
Omnipotens jaculatur ab æthereo, etc.

tres versiculos exarasti Dactylicos pentametros; at prior, Dactylicus pentameter acatalectus; alter Dactylicus pentameter catalectus in bisyllabum; tertius Dactylicus pentameter catalectus in bisyllabum.

Hæc satis; neque quidquam jam adjiciendum, nisi quosdam versus e pedibus tam contrariis constare, ut minime pervideas et assignes quis in his dominetur; tunc versus dicitur *asynartetus* et in duos alios scinditur. Iste, verbi gratia, qui Alcaicam strophen terminat;

Impavidum ferient ruinae

vel

Martis equis Acheronta fugit

*asynartetus* est, constans tum ex Dactylico dimetro acatalecto, tum ex Trochaico monometro catalecto.

labarum huic carmini inest, quum tot modis coaptari et misceri possint dactyli et spondæi.

Numquam autem minor numerus syllabarum est quam tredecim; nam etsi pedes quinque bisyllabi sunt, unus est trisyllabus: nunquam vero, modo nil elidatur, major est quam septem et decem; nam etsi quinque pedes trisyllabi sint, restat unus et bisyllabus.

5. Junt. habet, *de prensi flumina Nili*; et pro v. l. a marg. *immensi*, metro obstante. Certat aliquis Nostrum scripsisse; *Et qui prima bibit septeni flumina Nili*; vel, *Et qui prona bibit septeni*, etc. sed prius magis arridet. — *Et qui prima*. Et venerunt illi Æthiopes, qui regionem incolunt, ubi emergit primum ac deprehenditur Nilus; de quo fuse Plinius, lib. V, cap. 9: « Nilus incertis ortus fontibus it per deserta. » Et paulo infra: « Originem, ut Juba rex potuit exquirere, in monte inferioris Mauritaniae non procul Oceano habet, lacu protinus stagnantè, quem vocant Nilidem. » Dio in Severo affirmat originem Nili fuisse inventam: « Nilus a monte Atlante certo fluit, qui mons est in Macennitide, non longe ab Oceano, qua parte spectat ad occasum solis. » Prisci tamen quam plurimi negant Nili fontes fuisse deprehensos, maxime Seneca *Quæst. Natural.* lib. VI, cap. VIII; Papinius Silvarum, lib. III; Horatius, IV, Od. XIV, et multi alii. Fontes Nili repertos fuisse constat, ex iis quæ referunt Patres societatis Jesu Alphonsus Mendez, Almeyda, maxime Hieronymus Lobus, nempe in regno Goyam ad duodecimum gradum latitudinis borealis, et quinquagesimum quintum longitudinis

gradum in regione Sacahala, quam incolunt Agavi. Illic lacus est jactum lapidis latus, in quo sunt duo fontes a se invicem triginta passibus distantes, qui nostrorum puteorum figuram referunt; ex his emanat fluvius Nilus, qui per alterum deinde lacum transit seque in terram abdit. Ad milliare vero inferius emergit rursus ea aquarum copia auctus, ut fluvii nomen consequi possit. Orientem versus fluit. A sua origine quadraginta milliaria emensus lacum Dambeam vulgo Bardambeam ingreditur, etc. quæ fuse describuntur in *Synopsi historiae Æthiopicæ*. Videat lector: utrum de fonte loquatur Martialis, quod parum verisimile est; nam eum certe nominasset, principi, quo regnante repertus fuerat, blanditurus; an de loco extremo ubi primum deprehenditur, quo ulterius progredi haud poterant Veteres, qui quidem sensus magis mihi placet. ED.

6. *Supremæ*. Tethys Oceani uxor pro mari ipso sumitur. Hic intellige Britannos, vel Hispanos qui sunt ultimi ad solem occidentem; ubi mare inquietum et undosum toto anno, unde dicit, *ferit*. Thetis vero Pelei conjux fuit, et mater Achillis.

7. *Festinavit Arabs*. E Nabathæa,

Et Cilices nimbis hic maduere suis.  
 Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,  
 Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.  
 Vox diversa sonat : populorum est vox tamen una,  
 Quum verus PATRIÆ diceris ESSE PATER.

Τοὺς Κίλικας βάνανθ' ᾧδ' ἴδιαι λιβάδες.  
 Ἕλυθον Αἰθίοπες, τηλεκλειτοὶ τε Σύγαμβροι,  
 Τοὶ μὲν ὀπισθοκόμαι· τοὶ δὲ καὶ ἀπροκόμαι.  
 Γλῶσσα μὲν ἀλλήλων μεμέριστο διάνδιχα· θροῦς δ' εἰς  
 Πάντων ἦν, ὅτι ἡ πατρίδος ἐσσι πατήρ.

id est Petrea; et Sceniti, id est, Deserta Arabia. — *Sabæi*. E Felici Arabia. Sabæi a thuris fertilitate scriptoribus celebrantur. Virgilius, Georg. I, 57: « India mittit ebur, molles sua thura Sabæi. »

8. *Cilices*. Cilicia, Asiæ minoris regio, hodie vocatur *Turcomania* et *Finichia*, ubi est crocus præstantissimus, cui primam nobilitatem tribuit Plinius, lib. XXI, cap. 6. — *Nimbis hic maduere*. Quum in amphitheatro Cilices sedere spectatores, odoratis quasi nimbis, scilicet croco ex Cilicia, ubi nobilissimus erat, asportato et vino dulci mixto perfusi fuere; nam mos erat Romanis aera refrigerare istis asperisionibus, quibus spectatores velut imbre irrorabantur. ED.

9. *Sygambri* scribendum præferunt viri docti. Vide interpretes ad Ovid. Am. I, 14, 49, et Valesiana, pag. 91. — *Sicambri*. Teste Strabone Galliæ sunt populi, ubi hodie

Gueldriæ ducatus; sicut Martiano placet, nempe, inter Mosam et Rhenum. Secundum alios fuerunt ab altera parte Rheni, ubi hodie Zutphanæ comitatus. In nodum torquere crines solebant illi populi. Lib. V, Epigr. 39. « Rhenique nodos. » Tacitus, de moribus Germanorum, hunc ritum speciatim tribuit Suevis, « Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere ». Juvenalis, Sat. XIII, vers. 164: « Cærule quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro? »

10. *Atque aliter tortis*. Æthiopum comæ natura et ardore solis crispæ sunt, Germanorum vero artificio.

11. Cod. Bodl. *Vox diversa sonat populorum*: et vox, etc. Junt. *Vox diversa sonat populorum, est, etc.* Thuan. ap. Gronovium, tum tamen una est. — *Vox diversa*. Lingua varia, acclamatio vero et mens eadem.

## IV.

## AD CÆSAREM, QUOD EXPULERIT DELATORES.

Si ad Titum hoc Epigramma (quod verisimilius) referas, testes habes Tranquillum, cap. 8, in Tito; et Xiphilin. in Tito. Si ad Domitianum, eundem habes Tranquillum, cap. 9, in Domitiano.

TURBA gravis paci, placidæque inimica quieti,  
 Quæ semper miseras sollicitabat opes,  
 Tradita Gætulis; nec cepit arena nocentes;  
 Et delator habet, quod dabat, exsilium.

Ἐχθρὸς ἀπραγμοσύνης, βρασώνῃ δῆμος ἀπεχθής,  
 Δυσυχέων κτεάνοις ὧν ἐπίβουλος αἰεὶ,  
 Γαιτούλοις δέδοται· τὸ θέατρον δ' οὐ σφε κεχάνδει·  
 Καῶσιν ὁ μνηυτῆς, ὅς φυγάδευσε, φυγᾶς.

1. *Turba gravis.* Lex Remmia prima fuit, quæ pœnas delatoribus irrogavit; illa lex cujus et ætas et auctor pariter ignoti, jubebat qui calumniam fecisset, litteram K inuri fronti ejus. Huic legi alludit Noster variis in locis, ut puta, lib. VI, epigr. 64, v. 26: « Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte. » Hujus diversa fuere fata: nam ubi calumniatorum pœna per tyrannidem malorum principum in desuetudinem abiisset, boni identidem severiore supplicio perditam profligatamque disciplinam vindicare debuerunt. Proinde ne apud bonos quidem semper calumniatorum sibi constitere pœnæ, sed prout necessitas atque indoles Imperatorum ferebat, magis minusve intendebantur. Sic quum delatores, calumniatores fiscales qui, sub Ne-

rone, divitum opibus insidiati, eos qua jure, qua injuria accusationibus vexarint, illos seu Titus, seu si mavis Domitianus exsilio in Syrtis afflixit, teste Plinio in Panegy. Traj. Luculentissima exstat *de satis calumniatorum sub Imperatoribus* dissertatio H. Brenemannii in Thes. Jur. Ott. tom. III, pag. 1560 et seqq. ED.

2. *Miseras sollicitabat opes.* Plin. in Panegy. de his delatoribus: « Vidimus delatorum indicium quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. Nulla jam testamenta secreta, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum avaritia. »

3. *Tradita Gætulis.* Relegata est in arenosa et deserta Africæ loca:

legunt alii *Traducta est Gyaris*, quia in Gyarum insulam plerumque cives Romani relegabantur: alii *Cybiris*. Lipsius, lib. II, cap. 11, de Cruce legit, *Traducta est Titulis*: pro more noxiorum traducendi per forum, seu Amphith. appensis collo titulis et inscriptionibus criminum: et Sueton. c. 8, Titi: • Delatores assidue in foro fustibus et flagellis cæsos, novissime tra-

ductos per amphitheatri arenam, partim subjici in servos, aut vœnire, partim in asperrimas insularum avehi imperavit. Sed nostram lectionem firmat Aldi Manutii cod. quam et S. Marionis liber asserit et Cataneus probat. — *Nec cepit*, etc. Tantus est delatorum numerus, ut vix capiant eos Africa, vel insulæ, vel amphitheatrum. — *Arena*. Pro ipso Africæ solo.

## IV.\*

## AD POPULUM ROMANUM DE HISDEM DELATORIBUS.

\*Laudat Cæsarem quod ejiciendo delatores, id est, Romam quasi vitæ restituendo, sua beneficia cumulaverit. ED.

EXSULAT Ausonia profugus delator ab urbe:  
Impensis vitam principis annumeres.

Ἐνδείκτης Ῥώμης φυγὰς ἔκπεσε· πᾶς τις ἀνακτος  
Ἀντιλογιζέσθω ταῖς δαπάναισι βίον.

\* Cur hoc epigramma a præcedenti separandum, judicaverimus, judica tu ipse, lector: scilicet si utrumque conjunctum esset, vox *delator* quarti versus, in quinto appareret inoleganter repetita: et vox *exsulat* protinus sequeretur vocem *exsilium*. Denique, *delator habet quod dabat exsilium* nobis visum fuit epiphonema quoddam e gustu et calamo Martialis. ED.

\* Distichon hoc a præcedenti tetrasticho dividimus cum Scal. et Scriv. ut sit aliud epigramma: et sic dedit ed. Par. 1754.

1. *Ausonia urbe*. Roma urbe, quæ caput Ausoniæ, seu Italiæ, ab Ausone Ulyssis et Calypsus filio.

2. *Impensis, etc.* Curis, beneficiis, muneribus. — *Vitam*. Vitam scilicet tuam acceptam referas beneficiis et muneribus Cæsaris qui præter alia munera tibi data editaque, dedit et vitam, quum perdidit delatores. Vel annumeres, seu tribuas vitam tibi servatam, curis Cæsaris, quas impendit salutis tuæ, quum delatores deprehendit et punivit. Prior sensus nobis melior videtur. ED.



## V.

## DE PASIPHAES SPECTACULO.

Inter alia spectacula exhibitæ sunt et priscae fabulæ, in arena actæ: hic autem Pasiphaes nefandus cum tauro concubitus; obstupesces fortasse rei incredibilis fœditatem, sed ad corruptissimos illius sæculi etiamque principis mores oculos converte, desines mirari. Vid. Apul. Metam. X.

JUNCTAM Pasiphaen Dictæo credite tauro;  
 Vidimus: accepit fabula prisca fidem.  
 Nec se miretur, Cæsar, longæva vetustas:  
 Quicquid fama canit, donat arena tibi.

Πασιφάνην πισεύσατ' ὀπυιομένην ὑπὸ ταύρου·  
 Δέργμεθα, πιζώθη πλάσμα παλαιγενέων.  
 Μή τι χρόνων πολιῶν, Καῖσαρ, καύχημα γενέσθω·  
 Ὅσσα φάτις θρυλλεῖ, σεῖο θέατρον ἔχει.

\* *Blanditur Cæsari* inscriptio est in codd. cum Ald. Junt. Gryph. et aliis editt. vett. *De Pasiphae* meminit. Ramires de Prado: *De spectaculo Pasiphaes* Marcilius.

1. *Junctam Pasiphaen Dictæo credite tauro; Vidimus* Ald. Junt. Gryph. et aliæ vett. « Post nomen *tauro* appone periodi notam, quod ibi absolvatur sententia. » — *Junctam Pasiphaen*. Pasiphae, filia Solis, et uxor Minois regis Cretæ, arsit amore tauri. Hæc fabula satis nota. — *Dictæo*. Cretensi, a Dicte monte Cretæ.

2. *Accepit fidem*. Vera creditur.

3. *Nec sua miretur* conj. Ant. de Rooy, ut ap. Tacit. Ann. II, cap.

ult. « Caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur. » Habet tamen, quo se tueatur, recepta lectio. Vide lib. XIII, Epigram. 2. — *Nec se miretur*. Propter sua miracula, aut potius propter fabulas, quæ in Amphitheatro Domitiani vere repræsentabantur. Simile spectaculum exhibuerat Nero, inter Pyrrhicarum argumenta. Suetonius in Nerone, cap. 12. « Taurus Pasiphaen ligneo juvencæ simulacro abditam iniit, ut multi spectantium crediderunt. » Idem fuisse censet J. Rutgers. var. lect. lib. V, cap. XV, proinde non Martialis esse hoc epigr.

## VI.

## DE FEMINARUM PUGNA CUM BESTIIS.

BELLIGER invictis quod Mars tibi sævit in armis,  
Non satis est, Cæsar; sævit et ipsa Venus.

Θουῦρος Ἄρης ὅτι τοὶ κρυεροῖς ἐν ὄπλοισι μέμνηεν,  
Οὐχ ἄλις, ὦ Καῖσαρ· καὶ Κύπρις ὄπλομανεῖ.

\* Sicut epigr. iv, supra, *Turba gravis paci*, etc. separandum a sequente judicavimus, ita et illud: nam *sævit et ipsa Venus* sensum absolvere videtur, et est quod gallice vocamus *un trait final*; Argutas scilicet illas brevesque epigrammaton conclusiones assidue Martialis curat adhibendas. Ed.

\* In multis editionibus hoc epigramma cum insequenti conjungitur et inscribitur: *Feminæ in amphitheatro cum leone certamen.* — *Blanditur Cæsari* hic etiam in nonnullis codd. et editt. vett. *De venatione mulierum* Marcil. « Inscriptio in cod. Thuan. hæc est: *De Jul. April. qua die omnis venatio per mulieres confecta est.* Apparet legendum *De Idibus Aprilibus.* Sed recte hariolatus est Scriverius hoc epigramma in duo secandum. Nam primum distichon sufficit sibi. Sequentibus duobus etiam novum lemma præponit Thuan. MS. *De venatrice, quæ leonem primæ formæ venabulo cepit.* Ubi

notandum illud, *primæ formæ*; nam sic Justinus, lib. XV, cap. 4, « leo ingentis formæ ». Gronov. *De feminarum pugna cum bestiis*, ed. Par. 1754, in qua dividuntur duo epigrammata, cum hoc altero lemmate: *De eadem.*

1. Gruterus tam hic, quam in sequenti versu, reponi posse credit, *servit.* — *Tibi.* In tuam gratiam.

2. *Sævit et ipsa Venus.* Hoc est, non viri tantum tibi venatores, sed et feminæ tibi sunt venatrices. Suetonius in Domitiano, cap. 4. « Nam venationes gladiatoresque, et noctibus ad lychnuchos (supple *comisit...*) Nec virorum modo pugnas, sed et feminarum. » Fortasse alludit ad mores gladiatorum venatorumque habitu dei alicujus pugnantium; ergo sub nomine Martis intelligit venatores speciem Martis præ se ferentes, sub nomine Veneris venatrices præ se ferentes speciem Veneris, et in amphitheatro contra feras pugnantes. Ed.

## VI.\*

## DE EADEM.

\* Prisci temporis venationibus hasce Cæsaris anteponit, eo nomine, quod vel femina in amphitheatro leonem interfecerit, quem laborem inter summas Herculis laudes decantarat antiquitas.

POSTRATUM Nemeæ sed vasta in valle leonem,  
Nobile et Herculeum fama canebat opus.  
Prisca fides taceat : nam post tua munera, Cæsar,  
Hæc jam feminea vidimus acta manu.

Τοῦ Νεμέης δμηθέντος ἐν ἀγκοίνῃσι λέοντος,  
Τῶν θ' Ἡρακλείων ἦν φάτις ἠνορεῶν.  
Σιγᾶσθω τὰ πάλαι μετὰ γὰρ σὰ θεήματα, Καῖσαρ,  
Ταῦθ' ὑπὸ θηλυτερῶν γινόμεν' ἠγάσαμεν.

1. *Nemeæ*. Silva est in Peloponneso inter Cleonas et Phliuntem. — *Sed vasta in valle*. Id per antithesim opponitur verbo infra *vidimus* : nam dubia fides est ejus quod in vastis desertisque locis factum jactatur, et si factum est voluptatem spectantibus non tribuit. ED. — *Leonem*. Herculis primum opus ac labor, leo Nemeæus quem in valle quæ est inter Mycenæ et Nemeæam silvam confecit, unde dictus est *Nemeæus Hercules*. ED. — *Prostratum Nemees, et vasta in valle leonem*, servant omnes fere; cf. infra Epigr. 15, et Ovid. Met. IX, 197. *Sed vasta in valle, leonem*. Gronov. *Prostratum vasta Nemees in valle leonem*, Marcilius, ne otiose abundet et; vel, *Prostratum Nemees et vastum in valle leonem* : Gruterus, *prævasta in valle* : Ant. de Rooy *vastata valle*, vel *in valle*, nempe per leonem; cf. Claud. R. P. III,

168, et Rufin. I, 286. « Illud et », inquit, « huc forsitan irrepsit ex ultima syllaba τῶν *Nemees*; et extrema in *vastata* facile properanti scribæ excidere potuit : vel sciolus aliquis, versum syllaba abundare videns, si τὸ et servaretur, geminationem mediæ in *vastata* sustulit. » Anonymus quidam in Epistol. crit. ad eundem Ant. de Rooy, proposuit *Prostratum Nemees in vasta valle leonem*, quod jamjam e codice quodam protulerat Steph. Claverius : idem Anonymus conj. etiam *infesta valle*.

4. *Hæc jam feminea*. Namque et in Romanam arenam descendere sustinuerunt feminæ, et quod olim Hercules id jam feminæ faciunt Juvenal. Sat. I : « Mævia Tuscum Figat aprum, et nuda teneat venabula mamma. » Vide Xiphilin. in Nerone, et Tit. Sueton. Ner. II, Tacit. Annal. XV, 32.

## VII.

DE DAMNATO QUODAM SUPPLICIUM LAUREOLI VERE  
REPRÆSENTANTE.

QUALITER in Scythica religatus rupe Prometheus

Assiduam nimio pectore pavit avem :  
Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,  
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Οἶος ἐνὶ Σκυθικοῖσι δεθεῖς ὄχθοισι Προμηθεὺς  
Πτηνὸν αἰεὶ σπλάγγνοις ἔτρεφεν αὐξομένοις,  
Τοῖος ἰδεῖν ἄρκτω τὰ στήθεα γυμνὰ παρέσχε  
Προσδετὸς οὐ πλασῶ Λαυρέολος σκόλοπι.

1. *In Scythica rupe.* In Caucaso, quem Scythæ accolunt : et pars est Tauri montis, inter Pontum Euxinum et mare Caspium. Vid. lib. IX, Epig. 46 infra.

2. *Assidue minimo pectore* in nonnullis scriptis, i. e. consumpto, sed renascenti in dies : *Assiduam nudo pectore* legunt alii ; *Assiduam vivo viscere* conj. Scriv. i. e. fecundo, immortalis : *pascit avem* citat Marcilius. — *Assiduam.* Interdiu vescentem. — *Nimio.* Noctu renascenti jecore in pœnam æternam. Nota est Promethei fabula, quem Caucaso affixit Jupiter, quod furtime cælo ignem subduxisset ; ex cujus renascentibus quotidie visceribus, aquila, vel, ut aliis placet, vultur nutriebatur. Legendus Æschylus in Prometheo vincto.

3. *Calidonio Junt. Calydonio* in aliis vett. — *Sic viscera* cod. Bodl. et sic corrigit etiam Gruterus, quia

superiori versu præcessit *pectore*, et non facile repetit Poeta easdem voces, nisi ob causam. — *Caledonio urso.* Caledonia regio Britanniae, ubi silvæ densissimæ, unde sævi ursi Romam mittebantur ; in septentrionalibus enim plagis ursi maximi et sævissimi : Caledonii Ptolemæo Scotiæ populi. *Rossia* eorum tractus videtur vocari. Bucananus vocat *Duncalden*. Vidend. lib. X, epigr. XLIV.

4. *Laureolus.* Laureolus erat mimus, seu drama. Hujus argumentum, latrocinium cujus dux Laureolus in fictam crucem agebatur, erat, ut manifestum est ex Josepho Ant. XIX, 1, sub Caio Caligula : « Mimus introducitur quo repræsentatur dux captus et in crucem suffixus. » Hujus Laureoli fictam personam sustinere solebat comædus quidam, veluti is Lentulus quem Juvenalis dignum vera cruce judi-

Vivebant laceri membris stillantibus artus,  
 Inque omni nusquam corpore corpus erat.  
 Denique supplicium dederat necis ille paternæ,  
 Vel domini jugulum foderat ense nocens.  
 Templâ vel arcano demens spoliaverat auro;  
 Subdiderat sævas vel tibi, Roma, faces.

5

10

Ἐσφυζ' ἀσπαίροντα μέλη τακεροῖσιν ἐπ' ἄρθροις,  
 Οὐδέν τ' ἦν ἐν ὅλῳ σώματι σώμ' ιδέειν.  
 Ἡ τυχὸν εὐθύνας πατροκτονίης ἀπέτισεν,  
 Ἡ ἴδιον κτήτην λαιμοτόμησ' ἐναγής·  
 Ἡ τάχα θησαυροὺς ἱερῶν ἀδύτων ἀπεσύλα·  
 Ἡ τάχα πυρκαϊὴν νυκτὸς ὑφῆψε πόλει.

cabat, Sat. VIII, 186. Sed horrendum quandoque exhibebatur spectaculum, quando vere cruci affigebatur aliquis reus Laureolum agere coactus. Hinc discis Laureolum duplici modo ficto et vero agi solitum. Si vere quispiam supplicium daturus esset, non poterat, nisi noxius et reus esse, qui eodem jure bestiis objiciebatur; et ita Noster de reo loquitur. Sed quis hujus dramatis verus auctor fuit, non levis est inter scriptores controversia. Quidam isti Lentulo, de quo Juvenalis, illud drama tribuunt; plerique autem, inter quos ZIEGLER, de *Mimis Rom.* pag. 74, contendunt Nævium verum esse hujus mimi auctorem. Cf. Ruperti ad Juvenal. Nostræ Edit. T. I, p. 678; et qui primus ac novissimus exstitit in Anglia litterarum romanarum historicus doctissimus DUNLOP, in *History of the Roman Litt.* London, 1823, t. I. Ed.

6. *Inque omni nusquam corpore.* Corpus non erat corpus, sed non

nisi vulnus continuatum. Ed.

7. Hic et tres insequentes versus, tanquam spurii, relegantur ad nescio quem Panormitanum. Sed non video, inquit Cagnerius, cur ita; eos enim plus satis confirmat vetus exemplar, et Epigramma elegans de Scævola fictitio qui constanter adeo se gessit: « Scire piget post tale nefas quid fecerit ante: Quam vidi satis est hanc mihi nosse manum. » Ex quibus colligere est diversi generis flagitia variis et exquisitis suppliciis expiata.

7. *Denique supplicium.* Versus sequentes ut adulterini a quibusdam rejiciuntur: perperam; his enim additis, crudelitatis nota, quæ Domitiano inuri potuisset, et spectaculi gratiam refrigerare, deletur.

9. *Templa vel arcano, etc.* Ornatu, statuis, vasis templorum aureis, vel etiam privato auro templis custodia causa deposito. Solebant enim Veteres in templis quasi in arca a furibus ipsis tuta, privatam pecuniam deponere.

Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ:  
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

Ἦν ῥα παλαμναίων ἀλιτήματα τῶν πρὶν ὑπερβᾶς  
Δειλὸν, ἐν ᾧ, τὸ πάλαι πλάσμ', ἐφάνη κόλασις.

11. Vetus cod. Cagnerii exhibet nomina famæ, quod illi magis arripit. — *Vicerat antiquæ*. Admiserat sane aliquod crimen, Laureoli illius latrocinio gravius.

12. *Quæ fuerat fabula*. Sensus est: Alii quidem mimi Laureoli actores fictas tantum et mimicas pœnas dederunt, hic vero latro vera luit nec jam scenica supplicia.

## VIII.

## DE FABULA DÆDALI.\*

Damnato cuidam, et (ut in præcedentis epigr. argumento) Dædali fabulam in supplicium agenti, dum pegmate excussus, quasi e Minois arce avolaturus in feras decideret, insultans, optat Dædali (ut est in fab.) pennas.

DÆDALE, Lucano quum sic lacereris ab urso,  
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas!

Λευκανοῦ σ' ἄρκτοιο διασπῶντος μελείσσι,  
Ὡς εὐχοί' ἂν ἔχειν, Δαίδαλε, τὰ πτερὰ σοῦ.

\* In omnibus fere de *Dædalo* inscribitur, quod mutavimus lemma: in cod. Bodl. hoc est: *Ad Dædalum læseratum ab urso*. — 1. *Dædale*. Nota est Dædali historia ex Ovidii *Met.* VIII. Hic vero damnatus coactus est Dædalum imitari, et per aerem volare, delapsus autem ab urso dilaniatus est. Simile spectaculum Icarii de cælo decidentis legitur apud Suetonium in Nerone, cap. 12: Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit,

ipsumque cruore respersit. — *Lucano urso*. Ex Lucania Italiæ provincia, hodie *Basilicata*, in regno Neapolitano, unde immanes ursi Romam mittebantur. Plinius, lib. III, cap. 5.

2. Alii, *tunc habuisse*. — *Habuisse*. Pro præsentis ponitur præteritum κατ' ἐναλλαγὴν. Sensus est: Quam velles nunc habuisse pennas illas, quas tum habuisti, quum e Cretensi labyrintho, a te ipso exstructo, cum Icaro avolares.

## IX.

## DE RHINOCEROTE. \*

Rhinoceros ægre lenteque irritatus, præter spem tandem in feras  
irruens, taurum jactabat non secus ac taurus pilam.

PRÆSTITIT exhibitus tota tibi, Cæsar, arena,  
Quæ non promisit, prælia rhinoceros.

Ἦ ῥ' ἀνεπαγγέλτους ἄθλους σοι, Καῖσαρ, ἀγώνων  
Ῥινοκέρως δι' ὄλου δεῖξε κυνηγεσίου.

\* Inscriptio in cod. Thuan. *De rhinocerotis prima pugna.* Marcilius vult: *De pugna tauri ac rhinocerotis.*

2. *Quæ non promisit* omnes codd. et editt. vett. Scaliger correxit, *Quæ non promisti.* Sed, pace manium tanti viri dixerim, inquit Ant. *de Rooy*, non placet. Haud ineleganter bestię, vel etiam res inanimatę, *promittere* dicuntur, quando ex illarum externo habitu gestuque de interna vel futura virtute conjecturam facere licet. *Promittere* ergo h. l. valet minari. Vid. Barth. ad Claud. Nupt. Hon. v. 247. Rhinoceros in arenam productus fortasse non præceps, ut alię bestię, simul ac adversarium conspexerint, in pugnam ferebatur; sed aliquamdiu impetum repressit: qui cunctabundi externus habitus non admodum ferocem pugnam promittere videbatur. Tandem vero, solutis irę, quam collegerat, repagulis, pronus in adversarium irruebat, ut leo apud Lucan. lib. I, v. 205 et seqq. — *Quæ non promisit.* Quia

non potuit aliquamdiu ab amphitheatralibus magistris irritari. Sic infra epigr. xxii, v. 3; desperabantur promissi prælia Martis. — *Rhinoceros.* Ingens bellua fortitudine ac robore cum elephanto comparanda, sed minus procera. Tergus ei durissimum, colorque buxeus. In summitate narium cornu gestat, forma repandum et duritie ferrum exequans. Diu disputatum fuit, unicum an geminum cornu habeat: Pausanias, lib. IX, dicit eam duobus cornibus decoratam esse, et exinde nomen trahere; Plinius vero, VIII, 20, unicum habere, qualis sæpe visa. Res nunc omnibus nota est; nempe rhinocerotem asiaticum, duo cornua, Africanum vero unicum habere. Ludis rhinocerota exhibuit primus Pompeius magnus, deinde Augustus; et posteriores Imperatores illos imitati sunt. Naso corneo rhinocerotis in vasculum facto utebantur potentiores oleo servando in balneis, teste Juv. VIII, 130 et Nost. lib. XIV, epig. LII. Ed.

O quam terribiles exarsit pronus in iras!  
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Ὡς φρικτὸν θύμαινε πυρούμενος! οἷη ἔην ῥίς,  
Ἢι καὶ ταῦρος ἔλωρ ἔπλετο χορτοπαγές!

3. *O quam terribilis Junt. terribilibus* ed. Par. 1754. — *Pronus*. Cornu submisso ad tollendum taurum, et fera alias etiam prona.

4. *Cui pila*. Pila erat effigies stramentitia hominis, qua objecta tauri irritabantur. Fiebant aliquando pile ex pannis purpureis, fæno, stramineve sartis, quo colore tauri maxime efferantur. Unde proverbialiter *homines fæneos* dicit Cicero, pro Cornel. princ. « Prospectat videlicet Cominius quid agatur: vide-

licet homines fæneos in medium ad tentandum periculum objectos »; et etiam apud nos dicitur *un homme de paille*, jocandi causa, pro homine nullo, aut persona interposita. Cf. Ascon. ad Cic. hic. Ed. — Rhinoceroti taurus pro pila erat, tam leve illi pondus taurus. Unde robur bestię discis, quod et admiratur Poeta, nec præ magnitudine expromit, ut lectori, quod solet, meditandum aliquid relinquat, quod ei voluptati est.

## X.

## DE LEONE QUI GUBERNATOREM OFFENDIT.

Cæsarem ob justitiam laudat, qui leonem, quod magistrum læserat occideratve, telis confossum interfici jussit.

LÆSERAT ingrato leo perfidus ore magistrum,  
Ausus tam notas contemerare manus:  
Sed dignas tanto persolvit crimine pœnas,

Ἄρμωσὴν μὲν ὀδᾶξ δηλήσατο λῆς ἀχάριστος,  
Οὐδ' οὕτω γνωστῆς φείσατο δεξιτερῆς.  
ὄνατο δ' οὐ δηρὸν τολμήματος, ἄξια τίσας.

1. *Læserat ingrato*. Oblitus nempe beneficiorum quæ a suo rectore acceperat; sed irritatus et crudeliter verberatus, ut apparet ex

quarto versu, alioquin animal est gratissimum, ut narrat Gellius, lib. V, cap. 14, de Androclo et leone. Vide lib. II, epigr. LXXV.



Et qui non tulerat verbera, tela tulit.  
 Quos decet esse hominum tali sub principe mores, 5  
 Qui jubet ingenium mitius esse feris?

Χ' ὅσις τὰς πληγὰς οὐ φέρε, τλήσει βέλη.  
 Ποίους εἶναι ἔοικ' ἐπὶ τοιοῦδ' ἄνδρας ἄνακτος  
 Τοῦ ἐπιτάσσοντος θηρσὶν ἀθωοσύνην;

4. *Non tulerat.* Non patienter toleraverat. — *Tela tulit.* Venabula, jacula conficientium, forte Domitiani qui solebat sese gladiatoribus in arena pugnantibus committere. Ed.

6. *Qui jubet ingenium.* Hoc est,

qui vult feras habere mores humanos : sic a clementia commendat Domitianum. — *Mitius esse feris.* Hemistichium ex Ovidiano illo, forte desumptum, lib. I, eleg. 10. Am. « Turpe erit ingenium mitius esse feris. »

## XI.

### DE URSO.\*

Novum venationis genus prædicat, ursum scilicet visco (quo alias aves capiuntur) implicitum.

PRÆCEPS sanguinea dum se rotat ursus arena,

Μέσφα κυλινδεῖται τρόχῳ ἄρκτος ἐνὶ σαδίοισι,

\* In hoc epigrammate, et aliis quæ præcedunt et subsequuntur, semper hoc animadvertendum est, scilicet Martialem illa componendo imperatori blandiri voluisse; cujus munificentiam, quidquid magnifici in illis spectaculis, cujus autem numini, quidquid in iis insoliti, attribuebat. Ed. — Lemma in cod. Thuan. ita se habet: *De urso viscato.* Marcilius, inscriptionem *De Urso* non satis expressam existimans, legit: *De urso, qui captus visco;* multis etenim modis de urso

epigramm. capto conscribi possunt.

1. *Præceps sanguinea, etc.* Ursus capiti, quod dedit illi natura invalidissimum, prætentis anterioribus pedibus demissoque ad terram capite, se in orbem volutare solet ad declinandam plagarum vim. Sic nos docet Plinius, VIII, 36: « Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum; ideo, urgente vi præcipituri se ex aliqua rupe, manibus eo aperto jaciuntur: ac sæpe in arena colapho infracto examinantur. » Ed. — *Rotat.* Κυβιστᾶ

Implicitam visco perdidit ille fugam.  
 Splendida jam tecto cessent venabula ferro;  
 Nec volet excussa lancea torta manu.  
 Deprendat vacuo venator in aere prædam,  
 Si captare feras aucupis arte placet.

5

Ῥεμβόμενον ταχινῆς ἰξὸς ἐπέσχε φυγῆς.  
 Κείσθω ἀεργηλὴ νῦν αἰχμήσσσα σιγύνη,  
 Μήδ' ἐλαφρῆς κραδάοιτ' ἐκ χερὸς αἰγανέη.  
 Ἄγρευς θηρεύσειε δι' ἠέρος εὐπορον ἄγρην.  
 Εἰ δόλω ἰξευτῶν θῆρας ἔδοξεν ἐλεῖν.

græce in orbem agit seu volvit.  
 2. *Implicitus visco*, Pulmannus.  
 — *Perdidit ille fugam*. Pro fuga intellige vim fugiendi, et epithetum *implicitam* per metalepsin fugæ tribuitur, quod urso fugienti conveniebat.

3. *Marcilius recto venabula ferro* scripsisse Martialem testatur; negat Ramires. Raderus nescio quæ de coloribus comminiscitur et de tectis venabulis. Si infecta coloribus, qui *Splendida*? Janus Gruterus *terso* dicit se habere ad oram sui cod. et *Melissum* quemdam legere *terto* prisca voce pro *terso*. Omnes codd. et editt. vett. Ald. Junt. Gryph. Par. Colin. etc. etc. nostram lectionem testantur. — *Splendida jam tecto*, etc. Postquam nova hæc et acuta inventa est ferarum viscatio, cessent venabula vaginis et thecis tecta, id est recondita, quando illis jam opus non est. Est et alter sensus: venatores enim ferarum seu mucronem venabuli tege-

bant, ut feræ facilius se ferro induerent non viso; a viso autem refugiebant. Splendidum ergo per se venabulum, coloribus fucabant, ut feras fallerent: quod hic non erat necesse, quum declinare etiam splendentem ferri aciem visco hærentes non possent.

4. *Lancea*. Venabulo cominus, lancea eminus fera petebatur. Ed.

5. *Deprendat vacuo*. Argute claudit Epigr. antithetis ex permutatione utriusque artificii. — *Deprehendere* enim proprie venatoris, *captare* aucupis est. Ergo quid superest venatori nisi ut aves persequatur in aere, quoniam ejus vice fungitur auceps, et feras visco capit.

6. *Sic captare*, sola editio Plant. operarum errore ex litteræ sequentis geminatione. — *Si captare feras*. Captare verbum est proprium aucupii, deprehendere autem venationis: quasi dicat, jam venator et aucupio feras, veluti aves, captet.

## XII.

## DE SUE QUÆ EX VULNERE PEPERIT.

Sus prægnans, in arenam producta, et icta lancea vel venabulo,  
per vulnus peperit. Ed.

INTER Cæsareæ discrimina sæva Dianæ  
Fixisset gravidam quum levis hasta suem,  
Exsiliit partus miseræ de vulnere matris.  
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?  
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,  
Omnibus ut natis triste pateret iter.

Ἄθλου κοιρανέοιο κυνηγετικοῖς ἐν ἀγῶσι  
Πληγείσης πτηνῆ τῆς σοῦς αἰγανέη,  
Ὁβρίκαλον λαγόνων βρέφος ἔκθορε μητέρος αἰνῆς.  
Δυσράπελ' Εἰλείθει', ἄρα τόδ' ἦν τεκέειν;  
Πλείοσιν ἀσπασίως κ' αὐτὴ βελέεσσιν ὄλοιτο,  
Ὡς' εἶναι λοιποῖς τοῖς τεκέεσσιν ὀδόν.

1. *Cæsareæ Dianæ.* Per metonymiam ponit Dianam pro venatione, quam Domitianus exhibuit in amphitheatro : Dianæ enim sacra est venatio. — *Discrimina sæva.* Cruentam cum feris pugnam notat; qua vel a bestiario feræ, vel a fera bestiarius conficiebatur.

3. *Exsiliit porcus membranæ quædam antiquissimæ.*

4. *O Lucina.* Dea partuum præses, quæ et Juno dicitur et Diana.

Terentius in Andria : « Juno Lucina, fer opem. » Parturientibus vero subvenire dicitur Diana, quod sine dolore Latona eam in utero gestasset et peperisset, ut canit Callimachus in hymno Dianæ. Sensus est : Hocne modo, o Diana, parturientes adjuvas?

6. *Omnibus ut.* Ex hoc versu patet, non omnes editos in lucem suculos, sed quosdam cum matre periisse.

Quis negat esse satum materno funere Bacchum?  
Sic genitum numen credite; nata fera est.

Τίπτ' ἄρ' ἀπισηθῆ Βάκχου μητροκτόνος ὠδὶς;  
Τὸν θεὸν οὕτω φύντ' ἴσαθ'· ὁ θῆρ γὰρ ἔφυ.

7. *Satum materno.* Semeles a Jove fulminatæ utero extractum, Jovisque femori insutum, iterum- que natum: unde *Dithyrambus* et *Bimater*; Jovis enim femur illi pro altera matre erat.

## XIII.

## DE EADEM.

Icta gravi telo, confossaque vulnere, mater  
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.  
O quam certa fuit librato dextera ferro!  
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.  
Experta est numen moriens utriusque Dianæ,  
Quaque soluta parens, quaque perempta fera est.

Αἰνόμορος πτερόεντι τοκάς βληθεῖσα σιδήρῳ  
Ἔλεσε σὺς ζῶν, ἀντιδέδωκέ θ' ἅμα.  
Φεῦ, ὡς χειρὸς ἔην ἰθυσκόπου εὖσοχον ἔγχος!  
Ἦ ῥ' Εἰλειθυίης χεὶρ πέλεν ἠδὲ θεᾶς.  
Δισσῆς Ἀρτέμιδος δισσην θνήσκουσ' ὑπένεγκε,  
Πῆ μὲν ἀποκταμένη, πῆ δὲ τεκοῦσα, βίην.

1. Vir quidam doctus conj. *Icta* gravis telo confossaque, vulnere ventris *Sus*, etc. sed vide variorum notas. — *Gravi telo.* Seu lancea seu venabulo. Vid. epigr. xi, vers. 4.

2. *Pariter vitam.* Suam amisit, succulo dedit.

5. *Numen utriusque Dianæ.* Venatricis, scil. et obstetricis.

6. In eadem Junt. *Qua resoluta.*

## XIV.

DE EADEM.

Sus fera jam gravior, maturi pignora ventris  
 Emisit foetum, vulnere facta parens.  
 Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit.  
 O quantum est subitis casibus ingenium!

Βριθομένη τοκετῶ σῦς ἀγρίη ὄριμον ἄχθος  
 Ἐξέβαλ' ἐκ λυγρῆς ἄρτι τεκοῦσα βολῆς.  
 Οὐδ' ὅς ἔκειτο χαμαὶ, μητρὸς δ' ἄρα εἶπε τεκούσης.  
 Φεῦ, πόσον αἰφνιδίαις μῆχος ἔνεσι τύχαις!

1. In vett. et illustr. sæculi sexti decimi poetarum epigramm. a Camillo Nicolio selectis notisque illustratis, Florent. 1738, scribitur: *mature pignora ventris*. « Rectius legendum *pignora*; namque unicum peperit suctulum, cæteri matris funere tumulati. Si communem retineas scripturam, appositio est, *pignora foetum*. Sic Propert. « Nunc tibi commendo communia pignora natos. » *Farn. Ant. de Rooy conj. mature pondere*. Sic Ovid. epist. XI, 37; XVI, 44; Fast. II, 452. Sil. XIII, 629, ubi vide Drakenb. Plura exempla petantur ab Heins. ad Ovid. Fast. III, 718; Gud. Rigalt. et Burm. ad Phædr. III, 15, 6. At magis placet recepta lectio; solum enim verbum *gravior* satis per se indicat, neque opus vi-

detur ampliori adjecto, præsertim quum e sequentibus res etiam sit clarissima: sed tum necessario non *pondera* debet legi, sed *pignora*; *pondus* est ante partum, *pignus* post partum. — *Jam gravior*. Partui proxima. — *Pignora*. Hoc est, partum edidit pignus, scil. ventris: appositio est.

4. *O quantum est subitis*. Scilicet quam mirabilis est instinctus hujus suculi, in hoc casu repentino, quasi periculum sentientis, et currendo declinantis! in subitis enim casibus maxime valet eminentque vis et alacritas ingenii, ut Thucydides inquit: subita experiuntur ingenium et indicant. ED. — Est et alter sensus: Quam multa fiunt casu, quæ nullo ingenio, nulla machina effici potuissent!

## XV.

## DE CARPOPHORO VENATORE.\*

Carpophorum prope adolescentem, Domitiano carum, virtutis, gloriæque studio in Amphitheatrum descendentem ad excipiendas venabulo feras, Meleagro et Herculi præfert, ut infra quoque epigr. xxvii, Theseo, Bellerophonti, Jasoni, Perseoque. (Vide quoque epigr. xxiii.)

SUMMA tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ,  
 Quantula Carpophori portio, fusus aper?  
 Ille et præcipiti venabula condidit urso,  
 Primus in Arctoi qui fuit arce poli:  
 Stravit et ignota spectandum mole leonem,

5

Χλοῦνις ὑποδηθεὶς, σὸν ἀρισεῖον, Μελέαγρε,  
 Ποσσίχον ἐστὶ μέρος Καρποφόρου καμάτων;  
 Ἄρκτου μὲν προπετοῦς προβλήτα διώσατο χαλκὸν  
 Πρώτου ἐν Ἀρκτώοις κλίμασι γινομένου.  
 Τῷ δαπέδῳ δ' εἰσρηξε πελώριον ἴφι λέοντα,

\* *De Carpophoro* inscribitur in codd. et editt. vett. et sic est in Scal. versione Græca: Εἰς Καρπόφορον.

1. *Summa tuæ.* Meleager comitante Atalanta et delecta juventute græca, aprum Calydonium interfecit, unde summam gloriam retulit. Ovid. Met. VIII. Pausanias Meleagri meminit in Messenicis.

2. *Est quota Carpophori portio* citant Pulmannus et Marcilius, ut lib. V, epigr. lxxv. «Ista tuæ, Cæsar, quota pars spectatur arenæ?» — *Quantula Carpophori.* Quota pars est famæ Carpophori? quasi diceret minima.

3. *Præcipiti.* Impetum mentis feræ explicat quæ capite anterioribus pedibus aperto se volutat, ut supra vidimus, epigr. ii, 1. Ed.

4. Scaligerus correxit, *axe poli.* — *Arce poli.* Arx est quidquid in altitudinem surgit: surgit autem, polum versus Arctoum, terra; arx igitur sumitur pro regione sublimi: Arctoi populi dicuntur omnes qui ad septentrionem extenduntur; in septentrione autem, ut jam diximus, ursi maximi et sævissimi. Vid. Virg. Georg. I, 240. Ed.

5. *Ignota.* Inusitata. Sic Carpophori laudem illustrat et adauget.

Herculeas potuit qui decuisse manus ;  
 Et volucrum longo porrexit vulnere pardum :  
 Præmia quum laudis ferret, adhuc poterat.

Ἡρακλέους παλάμαις ἄρκιον ἀντίπαλον ·  
 Καὶ δὲ θοὴν ζόρεσεν μηκίῳ πάρδαλιν ἔλκει.  
 Ἢδὴ ἄεθλα φέρων πρόσφατον ἔσχε μένος.

6. *Herculeas*. Instar Nemeæi illius quem stravit Hercules.

7. *Pardum*. Qui mas pantheræ vocatur a Plinio, lib. VIII, cap. 17, de cujus celeritate agit Oppianus Cyneg. lib. III. Adeo enim contente currunt seseque extendunt, ut ventre propemodum terram radant, et equum perniciosissimum ter et pluries cursu retrorsum iterato assequantur. — *Longo*. Eminus lancea, hasta missa. — *Porrexit*. Occidit, forte a more extendendi atque collocandi defunctos sumptum. Nam Romani defunctos collocabant ad januam ædium eo loco et statu,

ut faciem et pedes haberent extensos ad viam et publicum aversos, quod ipsum collocari dicebatur: ita ad rogam quoque extra urbem efferebantur, ut pedes et caput portam spectarent, quod Persius intellexit, quum scripsit: « In portam rigidos calces extendit. » Causam hujus moris addit Plutarch. in problem. quod occasus ortui sit contrarius. In caput nascimur, pedibus quasi egredimur.

8. *Adhuc poterat*. Indefessus adhuc et integris viribus, perinde ac recens novæque pugnæ potens. Quod mirabile, nec vulgare est.

## XVI.

DE HERCULE INSIDENTE TAURO AD CÆLUM RAPTO.\*

Ediderat Domitianus spectaculum, quo Hercules tauro vectus in cælum portabatur: inde taurum hunc Domitiani cum Jove in taurum converso et Europen efferente collatum præfert. Ed.

RAPTUS abit media quod ad æthera taurus arena,

Ὅττι διηέριος γαίης ἄπο ταῦρος ἀνήχθη,

\* Lemma est in omnibus fere codd. et editt. vett. *De Tauro*; cod. Bodl. exhibet, *De Hercule insidente tauro ad cælum rapto*; Marcilius vult, *De Tauro qui Herculem sustu-*

*lit in cælum*; Ramires de Prado. *De Tauro Domitiani effigiem ex arena in cælum tollente*; alii, *De Tauro Domitiani*.

1. *Raptus abit media*, etc. Pe-

Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.  
 Vexerat Europen fraterna per æquora taurus;  
 At nunc Alciden taurus in astra tulit.  
 Cæsaris atque Jovis confer nunc schema : juveni 5

Οὐκ ἔργον τέχνης, εὐσεβείης δὲ πέλε.  
 Εὐρώπην ταῦρος διαπορθμεύσασκε δι' ἄλμης·  
 Ἀλκείδην ταῦρος καὶ μετέωρον ἄγει.  
 Καίσαρος ἀλλήλοιν ταύρω σύμβαλλε, Διός τε·

gmate, supra epigr. II, v. 2, grue machina, qua in sublime rapiebantur personæ e scena in aera, ut a Borea Orithya, ab Aurora Memnon, ab anguibus Medea, etc. — Non potuerunt ab alto demitti Dii in theatris antiquæ Græciæ et Italiæ. Sub dio omni erant pulpita et scenarum structuræ et sedes spectatorum, ad quos adversus æstum solis defendendos expansa sero vela fuisse constat ex Ovid. et Propert. (Vid. etiam Juven. IV, 123.) Summis igitur demissionibus et deductionibus non erat locus. Ut dii et heroes in sublimi apparerent, Romani uti debuerunt pegmatibus in scena adhibitibus, quorum artificium in eo ponebatur, ut, ubi impositi erant dii et heroes, plicatiles hæ et confixiles machinæ quæ paulatim in tantum fastigium excreverant, incredibili celeritate dissolverentur in alias subinde formas transeuntes (*raptare pegma*). Cf. hac de re optimam Bottigeri disertatiunculam: *Deus ex machina in re scenica veterum*, Lips. 1800, in-4.º Ed.

2. *Non fuit hoc artis.* Id non accidit per artificium machinamenti, sed per amorem paternum Jovis in

Domitianum. Jupiter in taurum conversus per undas fratris Neptuni vexit Europen. Nunc idem Jupiter sub figura tauri fingitur tollere in aerem Alciden suum filium, Domitianum nempe, qui se Herculem prædicabat, habitumque ejus affectavit, gentemque Flavianam referri voluit ad Reatinos et comitem Herculis. Vid. Suet. Vesp. 12. Alii, ut comparatio magis quadret, intelligunt ipsum Domitianum fuisse inclusum in hac machina quæ Herculem sustulit in cælum, id est, in amphitheatri fastigium. Durum tamen hoc sentire, et periculosum Imperatori.

3. *Fraterna*, etc. Neptunia regna, maria. Neptunus enim frater Jovis.

4. Cod. Vaticanus: *in astra vehit*.

5. Codd. et edd. vett. Ald. Junt. Gryph. Par. Colin. aliæ, habent *confer nunc stemma juventus*: ita legit Salmasius pro *stegma*; sic taurum illum vocat qui Jovem tulit; στέγειν enim est ferre et sustinere; unde στέγμα, quod aliquid fert et sustinet. *Cæsaris atque Jovis confer nunc scamma: juveni Par onus*, etc. conj. Marcellius: *tralatitæ*, inquit *scamma* pro intervallo, sive spatio



Par onus ut tulerint; altius iste tulit.

Κ' ἦν βάρος ἴσον ἄραντ', ἦρεν ὄδ' ὑψιτέρω.

vectionis. Jovi *scamma* est fretum; Cæsari *scamma* intermedium, et quasi *intermetium* (τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων Glossæ) terræ et cæli Amphitheatrici. Altius ergo *scamma* Cæsari. Scriverius legit, *Roma, juvencos*. Putat Rutgersius hoc epigramma ad Aruntium Stellam, inter alia, scriptum fuisse, legendumque: *confer nunc, Stella, juvencos*. Petrus Colinus conjectat *somma*, improbante Ramires de Prado. Beverlandi MS. *cum fert*. — *Confer*

*nunc schema*. Compares taurum a Domitiano effectum cum Jove in taurum converso.

6. *Par onus ut*. Licet tulissent onus æquale, quamvis nec onus par fuerit; per undas enim Jupiter puellam, Domitiani vero machina Herculem per aerem rapuit: attamen, inquit poeta, Domitiani taurus altius portavit suum onus, atque ita nobilior est. Vid. Epigram. VII, 1, in quo similiter Cæsar Jupiterque comparantur.

## XVII.

### DE SUPPLICE ELEPHANTE. \*

Elephas in his spectaculis, feras qui exagitaverat ferociter, supplex Cæsarem adoravit: hoc numini Cæsaris tribuendum dicit. Ed.

Quod pius et supplex elephas te, Cæsar, adorat,  
Hic modo qui tauro tam metuendus erat,  
Non facit hoc jussus: nulloque docente magistro,

Γουνοπετής ἐλέφας ὅτε σοι, Καῖσαρ, προσεκύνει  
Ὁ πρόην ταύρου δεῖμα καὶ ἄρτι φόβος·  
Αὐτοκέλευσος τοῦτο καὶ αὐτοδίδακτος ἐποίει.

\* Inscriptio in Thuan. *De elephante, qui Cæsarem adoravit*

1. *Adorat*. Plinius, lib. VIII, cap. 1: « Nam quod ad docilitatem attinet, Regem adorant, genua submitunt, coronas porrigunt. » Vid. cap. sequentia, 3, 4, 5.

3. Omnes codd. et edd. vett. habent: *nulloque docente magistro*; at scripsisse Martialem affirmat Marcilius: *ullove docente*, et opiliones vocat eos qui vulgatam retinent lectionem, et comminiscitur nescio quæ de syllabæ sibilo auctæ a Ma-

Crede mihi, numen sentit et ille tuum.

Ἴσθι σάφ' ὡς σέβας σου μιν ἐπῆλθε δέος.

rio Victorino, Sosipatro Carisio, et obviis poetarum exemplis petita. — Nos sic interpungendum hunc locum censuimus, ne duplex negatio in affirmationem desineret. ED. — *Nulla docente.* Alii, sic interpungentes hunc locum « Non facit hoc jussus, nulloque docente magistro; » sic intelligunt: Facit hoc non a magistro jussus et edoctus, ut alibi elephantas, nec tamen sine magistro, sed aliquo magistro docente; nempe numine tuo, Cæsar, quod illi pro magistro est, et quod ille sentit.

4. Cod. Bodl. *nostrum sentit et ille Jovem*: cod. Scriverii cum Flo-

rent. et Thuan. *nostrum sentit et ille Deum*, i. e. Cæsarem. Vid. lib. II, epig. XXIIX; lib. VII, XXXIIX; et Suet. in Domit. « Dominus et Deus noster sic fieri jubet. » — *Numen sentit.* Sensum religionis habere elephantos falso docet Plinius, lib. VIII, cap. I: « Religio quoque siderum Solisque ac Lunæ veneratio »; nempe est elephantis. Domitianus vero Deum se prædicabat, cui ingeniose blanditur Poeta; cujus numen ab elephante ut a populo Romano adorari intelligit. Sic infra de dama et canibus, epigr. XXXI. « Numen habet Cæsar... mentiri non didicere feræ. »

## XVIII.

DE TIGRIDE CÍCURE AD FERITATEM SUBITO REVERSA  
VISO LEONE.

LAMBERE securi dextram consueta magistri,  
Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo,  
Sæva ferum rabido laceravit dente leonem:  
Res nova, non ullis cognita temporibus.

Ἦτις ἐπισάτεω λιγμήσατο χειῖρας ἀσινῶς  
Τίγρις, ἀφ' Ἰρκανῶν ζακλεῖς εὐχος ὀρῶν,  
Δριμὺν δυσμείλικτος ὀδᾶξ ἐδάϊξε λέοντα,  
Θαῦμα νέον, πολιῆ νώνυμον ἰσυρίη.

2. *Hyrcano jugo.* Hyrcania Asiæ regio, de qua Strabo, lib. XI, et Plinius, lib. VI, cap. 6, in cujus

montibus tigres sunt ferocissimæ. Virg. *Æn.* IV; « Hyrcanæque admorunt ubera tigres. » *Gloria rara.*

Ausa est tale nihil, sylvis dum vixit in altis :  
Postquam inter nos est, plus feritatis habet.

5

Τοιοῦτ' οὐ τόλμησ' ὅτε δρυμοῖς ἐνδιάσκειν·  
Οὔσα δ' ἐν ἀνθρώποις ἔς' ἀτιθασσοτέρα.

Quod hæc tigris alias magnitudine superabat. Si tamen sensus alius verbi *rara* placet, sic intellige: *rara* dicitur quod non ita frequens huc adducitur ex Hyrcaniis silvis, videturque respicere ad morem subripiendi catulos tigridis: quum enim fœtus insidiis ereptos videt, insequitur raptorem animal perniciosissimum; ille unum abjicit e catulis, quem mater ad cubile reportat, rursusque raptorem insequenti alterum abjicit, mox tertium, etc.

ita ille unicum vix nactus navim conscendit. Plin. VIII, 10; Solin. 21.

6. *Postquam*, etc. Postquam inter homines vivere assuevit, crudelior evasit: sunt tamen qui putant non sine periculo hoc dixisse Martialem sub Domitiano viventem et ideo sic intelligendum: Animosior evasit, utpote quæ fortitudinem a Romanis acceperit, cujus mos erat « Parcere subjectis et debellare superbos. » ED.

## XIX.

### DE TAURO ET ELEPHANTE. \*

QUI modo per totam, flammis stimulatus, arenam  
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,  
Occubuit tandem cornuto ardore potitus,

Ὅς πρὶν ἐπειγόμενος ταῖς λαμπάσι δείκελα ταῦρος  
Χορτοπαγῆ δι' ὄλου ῥίψε κυνήγεσιου,  
Ἰπτίος ἐκτέταται κεραῆ γλωχίνι δαίχθεις,

\* *De Elephante et Tauro* inscribitur in Thuan. *De Elephante* in Junt.

1. *Flammis stimulatus*. Tauros incitare solebant ad pugnam, igni, stimulis, etc. ut etiam hodie in Hispania homines *Toreadores* dicti. ED.

3. *Potitus*. Ita Ramires de Prado e vet. cod. legit (et sic est in Venet. 1510. Ald. Junt. 1512. Gryph. Colin. 1528 aliis). — *Cornuto ardore*. Id est, inquit, toto conatu cornuum ardentium nisus est taurus in altum tollere elephantum, et

Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Εὐμαρέως αἶρειν ὧδ' ἐλέφαντα δοκῶν.

potitus est cornuto ardore, hoc est, cornuum suorum vehementia ipsa victus est. Hunc loquendi modum usurpavit Plautus in *Captivis*, act. I, scen. 2 : « Postquam natus tuus potitus est hostium » ; subintelligitur *imperio*, et passive sumitur, id est, ab hostibus victus. Alii legunt *petitus* et intelligunt taurum petitem ira cornuta, id est cornibus irati elephanti, seu dentibus quas cornua vocat, ut lib. I, epigr. LXXIII. Fa-

tendum est huic sensui minus co-hærere versum ultimum; quamvis enim, inquit Ramires, facilis esset tolli elephas, posset taurum ferire et transverberare. ED.

4. *Tolli sic*. Rutgersius huic epigrammati subjungit duos versus qui sunt in fine hujus libri : *Cedere majori, virtutis fama secunda est : Illa gravis palma est, quam minor hostis habet. Quo sensu videat lector.*

## XX.

### DE PARI GLADIATORUM.

Principem ab indulgentia laudat, quod ex sua familia, munere quæstorio, duos gladiatores, unum et alterum populo petenti dederit, Myrinum et Triumphum. ED.

DUM peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum,

Αἰτούντων τῶν μὲν Μύρινον, τῶν δ' αὖθι Θρίαμβον,

Lemma in codice Thuan. est : *De Myrino et Triumpho*. In Junt. *Assentitur Cæsari*.

1. *Dum peteret pars*. Duas hic intellige factiones Amphitheatrales, quarum altera Myrinum, cujus meminuit lib. XII, epigr. XXIX, altera Triumphum gladiatores quos viribus, arte, ornatu insignes, aiebat sibi proprios Imperator, postulabat auctorium vel supposititium alteri gladiatori. ED. — Suetonius in Do-

mitiano cap. 4 : « Præterea Quæstoriiis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret, bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret. » Quæstores suis impensis munera edere cogebantur : at Domitianus e sua familia duos istos gladiatores libenter concessit, atque extensa utraque manu duabus factionibus diversa petentibus be-

Promisit pariter Cæsar utraque manu :  
 Non potuit melius litem finire jocosam.  
 O dulce invicti principis ingenium!

Τοὺς δ' ὑπένευσεν ἄναξ καὶ διμαχαιομάχους·  
 Οὐκ ἦν ῥητέρον διαλύσαι ἀγῶνα γελοῖον.  
 Φεῦ τῆς γενναίης ἠγεμόνος φύσεως!

nigne satisfacit. Subtilius Scaliger explicat : nempe promisit Imperator gladiatores pugnatos utraque manu, seu binis sicis, sine parma, etc.

2. Eadem editio antique exhibet *Promisti*. Scriverius legit : *utramque manum*, improbante Gronovio. — *Promisit*, etc. Utrumque par signi-

ficat se daturum utraque exporrecta manu, salutationis et consensus nota, e castris in arenam translata.

3. *Litem finire jocosam*. Studium populi alterius alterum petentis : quæ Ausonio, « cuneati læta theatri Seditio ».

4. *O dulce*. Contraria jungit : hostibus invictus; civibus facilis.

## XXI.

### DE SPECTACULO ORPHEI.

Exhibita fuerat in Amphitheatro Orphei fabula in qua damnatus quidam (ut supra dictum est Epigr. VIII) vere ab urso dilaniabatur, ut Orpheus a Bacchis discerptus fertur. Ed.

QUICQUID in Orpheo Rhodope spectasse theatro

Ἐἴ τι παρ' Ὀρφείῳ Ῥοδόπῃ θεῖτο θεάτρῳ,

Inscribitur *Ad Cæsarem* in Ald. Junt. Gryph. et aliis vett. edd. *De Orpheo* alii.

1. *Orpheo theatro*. Id est nec arte nec manu facto, sed natura decorato et extracto in Threiciis vallis, seu planitie ad Hæmum Rhodopenve : hæc loca, ad similitudinem veri theatri, refert quoque

Ovidius *Metam.* XI : « Mænades Orphei titulum rapuere theatri. » Vallis nempe fuit qualis describitur a Seneca in *Troade*, act. V, « et clivo levi Erecta medium vallis includens locum Crevit theatri more ». Ed. — *Rhodope*. Mons Thraciæ, hic pro Thracia ipsa accipitur : aut pro feris et silvis ac

Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.  
 Repserunt scopuli, mirandaque sylva cucurrit,  
 Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.  
 Adfuit immixtum pecudum genus omne ferarum, 5  
 Et supra vatem multa pependit avis.  
 Ipse sed ingrato jacuit laceratus ab urso.  
 Hæc tamen ut res est facta, ita ficta alia est.

Πᾶν σοι, Καῖσαρ, ἰδεῖν δῶκε κυνηγέσιον.  
 Οὔρεα κινήθη, καὶ δάσκιον ἔδραμεν ἄλσος·  
 Οἶον ἔην Νυμφῶν Ἑσπερίδων τέμενος.  
 Φῦλα παρῆν θηρῶν ἀναμίγδην, καὶ βοτὰ πάντα  
 Πτηνά θ' ὑπερθ' ὠδοῦ κρατὸς ἐπηόρια.  
 Ἀλλὰ διασπασθεῖς ὑπὸ νηλέος ἄρκτου ἔκειτο·  
 Χ' ὡς τόδ' ἀληθές ἔην, ὡς τόδε πλασὸν ἔφυ.

scopulis qui ad Rhodopen arrepsere, quum in ea caneret Orpheus.

3. *Repserunt scopuli.* Mediam nempe per arenam sylvæ et saxa trahebantur per machinamenta quædam, aut ab hominibus in truncis arborum scopulisque latitantibus. ED.

4. *Nemus Hesperidum.* Quarum horti describuntur a Virgilio, Plinio, Solino in Mauritania Tingitana. Prope Lixum urbem : ita Ortelius. In illis hortis poma erant aurea, id est citrea, quorum mentionem facit Athenæus, lib III, cap. 5.

5. *Adfuit immixtum pecori* legit idem Marcilius : *pecori* etiam legit Raderus, probante Grutero, et confirm. codd. Beverl. et Thuan. Cagnerius distinguit, *Adfuit immixtum pecudum genus; omne ferarum*, etc. Alii, *pecudum genus atque ferarum.* Ant. de Rooy conj. *Adfuit et mixtum pecudi genus*, etc. Vide Calpurn. Ecl. II, 10 seq. — *Pecudum.*

I.

Hoc est, omne genus ferarum cantu mansuefactarum adfuit. *Pecus* vulgo significat omne animal quod gregatim pascitur (Justin. Inst. de Lege Aquilia), veluti boves, equi, asini, etc. *Feræ* autem in gregem non coeunt : igitur sensus hic est : adfuit ferarum turba, voce et citharæ sono ita mansuefacta, ut eas feras dixisses esse pecudes : nam ut pecus pastorem, sic canentem sequebantur Orpheum. ED.

6. *Multa pependit avis.* Filo vel reti coercitæ tenuissimo ne avolarent, aves multæ. Sic Ovid. « Tale nemus vates attraxerat, inque ferarum Concilio medius turba volucrumque sedebat. »

7. *Ingrato ab urso.* Qui vatis musicam crudelitate compensavit.

8. *Nec tamen Beverland.* Ita pictoria Thuan. *fida alia est Beverlandi MS.* Hunc versum non esse Martialis, scribit Gronovius, sed alicu-

3

ius infelicis versificatoris, qui deficientem in veteri codice versum supplevit. — *Hæc tamen*. Sup. epigr. XI, v. 7. — Post hoc epigr. aliud inserit cod. Thuanus, quod fragmentum quoddam corruptum videtur :

## DE EODEM.

« Orphea quod subito tellus dimisit hiatu Versa miramur, venit ab Euridice. » Hic autem Gronovius legendum putavit : *tellus emisit hiatu Miramur ? versa venit ab Eurydice.*

## XXII.

## DE RHINOCEROTE. \*

Rhinoceros ægre lenteque irritatus, tandem in furorem versatus est. ED.

SOLLICITANT pavidum dum rhinocerotam magistri,  
Seque diu magnæ colligit ira feræ;  
Desperabantur promissi prælia Martis :  
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.

Ὡς τὸν ῥινοκέρωτ' ἀχανεῖς ἐρέθιζον ἀμορβοῖ,  
Νωθρῶς εἰς ὄργην θηρὸς ὀρινομένου,  
Πᾶσ' ἦν προσδοκίμων ἀνεμῶλιος ἐλπὶς ἀγώνων·  
Ἄλλὰ τὸ πρόσθ' οἴσρημ' ἦλθε παλινδρομίη.

*De Rhinocerotis pugna secunda* inscribitur in cod. Thuan.

1. *Sollicitant*. Feras ad pugnam irritare solebant stimulis, igne, flagellis, pilis, mappis, modo epigr. XIX, vers. 1. — *Pavidi*. Verentes ne in se bestiam moverent; vel ne, si non moveretur in pugnam, populo displicerent, qui lentas ode- rat pugnas, ut ultimo sequentis epigr. versu.

2. *Seque diu*. Difficile enim irri- tabatur rhinoceros; ut epigr. IX, supra.

3. *Despectabantur promissa* Beverlandus. — *Prælia Martis*. Id est; venatio arenæ, in qua colebatur Mars.

4. Idem Beverlandus legit *huic rediit*. Codex Thuan. *Sed tamen rediit*. Marcilius legendum putavit : *Sed tamen ei*, μονοσυλλάβως. Cagnorius : *Sed tamen his*. — *Sed tamen is rediit*. Is furor, qui ante epigr. IX, *cognitus* describitur : « O quam terribiles exarsit pronus in iras ! » ita non redundat vocab. *is*, sed alludit ad hoc epigramma. ED.

Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum, 5  
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Οὕτω γὰρ διπλόη βοῦν ἄγριον αἶρε κεραίη,  
Ὡς ταῦρος λιχμᾶ δείκελα χορτοπαγῆ.

5. Janus Dousa, Scaligerus, Pulmannus, alii, *urum* legunt pro *ursum*. Vide Variorum Notas. — Beverland. *cornurabido*. Codd. Florent. et Med. *rapido*. — *Gemino cornu*. Rhinoceros africanus geminum cornu habet. Legunt alii *urum*; hoc est, bovem silvestrem, cui imperitum vulgus *bubali* nomen imposuit, teste Plinio, lib. VIII, cap. 15; et ideo intelligunt *urum* gemino cornu gravem, id est infestum, vel etiam ponderosum quod convenit magis uro quam urso; quid enim, ut aiunt,

mirabile, si rhinoceros qui tauros (epigr. ix supra), jactabat veluti pilas, jactat ursum? ED.

6. Lipsius ad Senec. de Ira, lib. III, cap. 30, suspicabatur legendum, *Jactat ut obpositas*. Ant. de Rooy proposuit, *expositas*. Exponi dicuntur, quæcumque in aperto collocantur. Vide Cel. Cannegiet. ad Avian. Fab. XXIII, et Burm. ad Ovid. Art. I, 408. Atque ita pilæ in arena expositæ, ut inde bestię irritarentur. — *Pilas*. De quibus dictum epig. xix, supra.

## XXIII.

### DE CARPOPHORO.

Eundem Carpophorum laudat, quem supra (epigr. xv) et infra (epigr. xxvii) heroibus præfert antiquis. ED.

DORICA quam certo venabula dirigit ictu

Οἶτην εὐσκοπίην ἰθύνει Δωρίδος αἰχμῆς

1. *Norica* conj. Ramires de Prado. In Norica provincia affabre omne armorum genus cudi vulgatum est. Hor. Od. I, 16. Noster infra, lib. IV, epigr. lv. At vide Turnebi Adv. XVII, 2. Pro *certo* in nonnullis codd. *torto*. — *Dorica*. Græca: nam venabuli inventores

fuere Græci, teste Plinio VIII, 36: vel Laconica ut placet aliis; Lacones enim venatores strenui, iidemque Dorici generis fuerunt. Vide Turneb. adv. lib. XVII, cap. 2. Vel a Doride, in qua Pindus mons, optimæ materiæ ad hastilia ferax; vel a Doribus qui, teste Homero



Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!  
 Ille tulit geminos facili cervice juvencos;  
 Illi cessit atrox bubalus atque bison.  
 Hunc leo quum fugeret, præceps in tela cucurrit :  
 I nunc, et lentas corripe, turba, moras.

Καίτοι κάρτα νέου Καρποφόρου παλάμη!  
 Αὐχένη μὲν κούφη δισσοῦς ὑπεδέξατο ταύρους,  
 Εἶξε δ' οἱ ἀγρότερος βούβαλος, εἶξε βίσων.  
 Τοῦδε λέων, ὅτ' ἔφευγεν, ἀπαντῶν ἔμπεσεν ἔγχει.  
 Ἀμβολίας ἴθι δὴ μέμφει, δῆμε πέπων.

Odyss. Cretæ sunt populi; Creten-  
 ses vero sagittandi arte peritissimos  
 fuisse nemo nescit. Ed.

3. *Ille tulit.* Sustulit, interfecit.  
 — *Facili cervice.* Tauri quam fa-  
 cillime quoquo versum cervicem  
 moventes difficillime et periculosis-  
 sime feriuntur : igitur sensus hic  
 est quem cum Ramiresio adopta-  
 mus : quantumvis cervice versatili  
 et tela ideo declinantes tauros duos  
 certo confecit ictu Carpophorus. Ed.  
 Alii volunt hic speciatim robur Car-  
 pophori ostendi, quod «facili cer-  
 vice», id est, nullo labore, binos  
 simul tauros per pugnam a se in-  
 terfectos gestarit. Turnebus verbum  
*tulit*, interpretatur, interfecit, sus-  
 tulit, eorum cervice ad conficien-  
 dum minime dura et repugnante,  
 sed facile venabulorum ferro violata.

4. Codex Thuan. *bubulus atque  
 biron.* Vide Senec. in Hippolyto. —  
*Bubalus atque Bison.* Bubali sunt  
 proprie tauri, quos *bufalos* hodie

Itali, Germani *Buffels* vocitant. Est  
 Bison cervi figura, cujus a media  
 fronte inter aures unum cornu  
 existit excelsum, cujus e summo  
 rami tanquam palmi diffunduntur.  
 Eosdem describit Plinius, lib. VIII,  
 cap. 15.

5. *In tela cucurrit.* Subsectorum,  
 qui in insidiis latent, in venatoris  
 subsidium ubi opus sit.

6. *I nunc.* Vox est insultantis :  
 sic populo insultat Poeta quod cer-  
 taminis moram alias impatienter  
 ferret, quem jam conqueri non  
 posse subintelligit, quum feras ce-  
 lerrime interficiat Carpophorus.  
 Vide epigram. præced. notam. ad  
 verb. *Pavidi.* — *Corripe*, incusa.  
 — Longius producta certamina  
 oderant Romani, ut apparet ex epig.  
 xxix, in quo, Vero et Prisco gladi-  
 atoribus æquo discrimine pugnantibus,  
 populo, ut patientius moram  
 sustineret, lances et dona distribui  
 jubet Cæsar. Ed.

## XXIV.

## DE NAUMACHIA. \*

Novum hospitem et e longinquo advenam, tum primum navalis prælii, a Tito (Suet. Tit. 7) vel a Domitiano (Suet. Dom. 4) immissa in Amphitheatrum per tubos aqua exhibiti, spectatorem admonet, ne decipiatur credens scilicet pontum esse, quum mox emissam ad munera gladiatoria visurus sit aquam. ED.

SI quis ades longis serus spectator ab oris,  
 Cui lux prima sacri muneris ista fuit,  
 Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,  
 Et par unda fretis; hic modo terra fuit.  
 Non credis? spectes, dum laxent æquora Martem :

Ὅστις ἀπ' ἐσχατιῶν ἐπιδημεῖς ὄψιμος ἴσῳρ,  
 Ἡμῶρ τοῦδ' ἄθλου πρῶτον ἔπηλυς ἰδῶν·  
 Μῆτε σε ναυμαχίης τὰ θεώρια, μήτε πλανάτω  
 Κῦμ' ἰσάμιλλον ἀλός· γήπεδον ἄρτι τόδ' ἦν.  
 Δυσπισεῖς; ἀνέχου, μέχρῃς ἄρεα πόντος ἀνήση·

\* *De Naumachia priore* codex Thuan. *De Naumachia Domitiani* in Junt. et aliis edd. vett.

1. Vet. cod. *servus spectator* teste Beverlando. — *Serus*. Nempe propter itineris longitudinem primum ades spectaculo, quod Neptuno erat dedicatum, et a Cæsare exhibitum.

2. In edd. vett. *ipsa fuit*. — *Sacri muneris*. Munus sacrum dicitur, vel quia Neptuno erat dedicatum, vel quia a divo Domitiano edebatur. ED.

3. Vet. cod. Beverlandi, *navalis hemo*. — *Navalis Enyo*. Hoc est,

prælium navale. Enyo enim, Bellona, bellorum dea, Martis soror, significat prælium per metonymiam.

4. Idem Ant. de Rooy conj. *hoc modo*. Mox per interrogationem, *hoc modo pontus erat?* Ovidius Metam. II, 263. « ....Siccæque est campus arenæ, Quod modo pontus erat. » Vel, *dices: hic modo pontus erat?*

5. Codex Voss. *laxat et*: Thuan. *specta, dum lassent æquora Martem*, hoc sensu: Expecta, donec lassati erunt bellatores naumachici, tum dices, etc. Ant. de Rooy malit

Parva mora est : dices, hic modo pontus erat.

Οὐ μετὰ δηρὸν ἐρεῖς· ἄρτι θάλασσα τόδ' ἦν.

*æquore*; h. e. dum finiatur certamen navale : nec audiendum putat Petitum legentem, *dum laxent æquora Martii* : illæ namque aquæ, quæ ab Anco rege nomen suum sortitæ, *Marcia* dicebantur, non *Martia*. — *Spectes*, attendas ; alii, *expectes*. — *Dum laxent*. Id est, dum emissa aqua locum det gladiatoribus, qui

aqua impediabantur ne in arenam descenderent. Suetonius in Tito, cap. 7. « Dedit et navale prælium in veteri Naumachia : ibidem et gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum. » Post naumachiam ergo exhibebantur aliquando gladiatores, ut patet ex hoc loco.

## XXV.

### DE LEANDRI SPECTACULO.

Domitiani clementiam Neptuni sævitæ anteponit, quum fictitius hic Leander e Cæsaris mari Amphitheatrali enatarit, ille verus in Hellesponto perierit.

QUOD nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,  
Desine mirari : Cæsaris unda fuit.

Νυκτερινὸν, Λεῖανδρ', ὅτι σοῦ πεφιδήσατο κύμα,  
Οὐδὲν θαυμασόν· Καίσαρος ἦν πέλαγος.

1. *Quod nocturna*. Leandri noctu natantis ad Heronem suam amicam historia, satis nota ex Ovidii Epistola 18, exhibita est, cujus fabulæ actor ex undis Cæsaris evasit.

2. *Cæsaris*. Quia clementior quam Neptunus pepercit. Ut hic Neptu-

no, sic Jovi ipsi supra, epigr. XVI, Herculi libro IX, epigr. CII, et multis aliis locis, collatum anteponit Domitianum Martialis, blandior doctiorque hujus imperatoris adulator, quam vellet lector, et justitia sinit. ED.

## XXV.\*

DE LEANDRO.

QUUM peteret dulces audax Leandrus amores,  
 Et fessus tumidis jam premeretur aquis;  
 Sic miser instantes affatus dicitur undas:  
 Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

Πάντολμος Λείανδρος ἐὼν περόων ἐπὶ νύμφην,  
 Ἰψὶ κορυσσομένοις κύμασι θλιβόμενος·  
 Δύσμορος ἀντιβίην οὕτω προσέφησε θάλασσαν,  
 Φεΐδου σελλομένου, κλύζε με νισσόμενον.

\* Hoc epigramma cum præcedenti in cæteris editionibus conjunctum separavimus, namque alterum et longe diversum est a superiore. Illud in eum qui Leandri persona velatus enavit ex aqua Nautamachia: hoc vero in historiam, sive fabellam de Amoris Herus

ac Leandri. Esse igitur hoc epigr. xvi numero debuit, cum titulo, *In eundem*, ut prima editione recte mihi hæc partitio facta; quam tamen hactenus verveces dubitavere sequi, quorum opera deditus Martialis. » *Marcilius*.

4. *Parcite*. Vid. XIV, epig. CLXXXI.

## XXVI.

DE NATATORIBUS.\*

Juvenes natatores Nereidum habitu in æquore Amphitheatrali fuerunt exhibiti a Tito, ut credo, nam simile quiddam de illo refert Dio Cass. Hoc artificiosum Cæsaris spectaculum laudat. ED.

LUSIT Nereidum docilis chorus æquore toto,

Νηρεΐδων δι' ὄλου πελάγους χορὸς ἐψιόωτο

\* *De Nautis* habet codex Bodleianus. Lemma *De Natatoribus* suspectum habuit Cagnerius, et prorsus alienum esse contendit.

1. *Lusit Nereidum facilis chorus*

Beverlandi MS. *Thetidis chorus* codex Vaticanus. — *Nereidum chorus*. Nereides nymphæ maris, Nerei et Doridis filiæ, de quibus Hesiodus in Theogonia; quas repræsentave-

Et vario faciles ordine pinxit aquas.  
 Fuscina dente minax, nexu fuit anchora curvo :  
 Credidimus remum, credidimusque ratem;  
 Et gratum nautis sidus fulgere Laconum, 5  
 Lataque perspicuo vela tumere sinu.  
 Quis tantas liquidis artes invenit in undis?  
 Aut docuit lusus hos Thetis, aut didicit.

Σχήμασι ποικίλλων κύματα παντοδαποῖς.  
 Ἐν γὰρ εἶκτο τρίαιν' ἀγκύρα τ' ἀγκυλοχειίλης·  
 Ταρσοῦς νητρεκέας, καὶ σκάφος ὠόμεθα·  
 Καὶ Διδύμων ἄστρον, τερπνὸν ναύτησιν ὄνειαρ,  
 Ἴσῖα τ' ἀκραεῖ πνεύματι τεινόμενα.  
 Τίς μέσῳ ἐν πελάγει τόσα μήσατο παίγνια τέχνης;  
 Τριαῦτ' ἢ ἐδίδαξ' ἢ Θέτις, ἢ ἔμαθε.

runt natatores Domitiani in aquis ludentes. — *Docilis*. Natandi peritus, respicitque *juvenes*; vel edoctus a chorodidascolo, vel a Thetide aut Cæsare, ut ultimo versu hujus epigr. — *Chorus*. Agmen.— *Æquore*, etc. In amphitheatrum inducto.

2. *Faciles*. Facile natatoribus cedentes. — *Pinxit*. Quod variis nexibus complicati, hi natatores varias rerum figuras in aquæ superficie exprimebant, et veluti pictas oculis representabant: nam quemadmodum quæ pinguntur, objiciuntur oculis ad vivum, ad eundem prorsus modum hi natatores varias rerum species oculis objecerunt, sci-

licet tridentis Neptuni, remi, ratis, siderum Castoris et Pollucis, etc. Ed.

3. *Fuscina dente minax*. Non, ut quidam intellexerunt, natator quidam cum fuscina, alter cum anchora, etc., sed ipsa natantium junctura et dispositione effingebatur anchora, quemadmodum in exercitationibus militaribus, ad signum ducis, figuras omnis generis acies edit, triangulum, quadrangulum, cuneum, etc.

6. *Lataque conspicuo legit Beverlandus*.

8. *Aut docuit*, etc. Accepitne lusus hosce Cæsar a Thetide, aut ipsa potius a Cæsare docta est?

## XXVII.

## DE CARPOPHORO.

Eumdem Carpophorum quem laudavit ( epigr. xxiii ), quem Meleagro et Herculi præposuit ( epigr. xv ), nunc Theseo, Bellerophonti, Jasoni et Perseo præfert. Ed.

SÆCULA Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent,  
Jam nullum in monstris orbe fuisset opus.  
Non Marathon taurum, Nemeæ frondosa leonem,

Εἰ τὸν Καρποφόρον γέννησε παλαίφατος αἰὼν,  
Καῖσαρ, τῶν τεράτων οὔτις ἂν ἔσκε λόγος.  
Τὸν ταῦρον Μαραθῶν, Νεμέη σκιάσσα λέοντα,

2. In multis editt. *Jam nullum monstris orbe fuisset opus.* Pro hoc versu cod. Thuan. habet: « Non amara thoncum barbara terra ferat, » quod correxit Gronovius: « Non Afra Antæum barbara, etc. » Vossius malit: « Jam nil monstriferum barbara terra ferat; » et ad Catul. « Non Diomedis equos barbara, etc. » Cod. Bodleianus clare habet: « Jam nullum a monstris », idest, nullum orbi a monstris fuisset negotium aut periculum. Gruteri vet. cod. *jam nullum in monstris*; unde Scriv. parum immutatum legit *jam nullo in monstris*, hac mente: Non opus fuisset toto orbe peragrato, ad monstra diversis in partibus domanda: in uno amphitheatro unus suffecisset Carpophorus. *Jam*, h. l. non ineleganter adhibetur ut celeritatis particula. Vide Burm. ad Ovid. Met. VII, 306. Attamen nescio quam majorem efficaciam habere videtur, si

legas: « Quam nullum in monstris orbe fuisset opus! » fere ut epigr. xv. « Quantula Carpophori portio fusus aper! » Eleganter nonnunquam hæc particula jungitur adjectivo *nullus*. Justin. II, 12. « Ut intelligeret, quam nullæ essent hominum adversus Deos vires. » Ovid. Amor. II, 11, 28. « Quam tibi nunc toto nullus in orbe color! » Martial. VI, 10. « At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira! » *Ant. de Rooy.* — *Jam nullum.* Hoc loco *jam* significat *amplius*. Terentius in Andria, act. II, scen. 2. « Uxorem jam non dat Chremes. »

3. *Marathon.* Urbs est decem milibus passuum distans ab Athenis, hodie *Marasona* vel *Maratona*, quo ex Creta Taurum a Pasiphae admatum Hercules adduxit ad Eurytheum, illicque illum interfecit. Alii tamen taurum Marathonium a Theseo domitum affirmant, de quo Anthol. lib. IV et Ovid. Met. VII.

Arcas Mænalium non timuisset aprum.  
 Hæc armata manus hydræ mors una fuisset,  
 Huic percussa foret tota Chimæra semel.  
 Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros :  
 Solvere et Hesionen solus, et Andromeden.

5

Μαίναλος Ἀρκαδίας οὐκ ἂν ἔτρεσσε κάπρον.  
 Τούτου δεξιτερῆ μῦθος ἂν πέλεν ἀθρόος Ἰδρῆς·  
 Καί κε μιῇ πληγῇ πέφνε Χίμαιραν ἅπαξ.  
 Καὶ μόνος ἂν πυρίπνοος δίχα Κολχίδος ἔκτανε ταύρους·  
 Μοῦνος ἂν Ἡσιόνην λῦσε καὶ Ἀνδρομέδαν.

— *Nemee*. Sylva Peloponnesi, ubi leo ab Hercule prostratus est, epig. VI, supra.

4. *Mænalium*. Mænalus mons Arcadiæ, ubi ingentem aprum interfecit Hercules, lib. V, epist. 66 : « Nemeæ terror, et Arcas aper. »

5. *Hoc armante manus* in cod. Thuan. — *Hydræ mors una*. Hoc est, Lernæam illam pestem uno ictu interfecisset is Carphorus, quam multis repetitis vulneribus vix occiderit Hercules, capitibus nempe aliis cæsurum loco renascentibus.

6. *Tota Chimæra*. Uno quoque ictu occidisset monstrum trifforme, quod habebat leonis caput, ventrem capræ, et draconis caudam. Hunc interfecit Bellerophon, sed pluribus ictibus, ac Pegaso insidens. ED.

7. Alii cum Ovidio, Met. VII, *Æripedes*; γαλκίποδας. idem præstat auctoritas cod. Voss. scilicet, *eripedes* : alii, *Ignivomos*, φλόγα φουσιώντες. Heins. *Æripedes* ; quamquam *Ignipedes* Solis equi Poetis dicantur. *Igniferos* codex Thuan. et huic versui subjicit : « Possit

utrumque fera vincere Pasiphaes. Si situs æquorei revocetur fabula monstri Solvere et Hesionem. » At Beverland. legit : « Si sit ut æquorei », et « Hesionem solvet » : nescio qui rectius. Hinc fecit Gronovius : « Igniferos posset sine Colchide jungere tauros : Posset utrumque ferum vincere Pasiphaes. Cetus et æquorei revocetur fabula monstri, Solveret Hesionem solus et Andromeden. » Wernsdorfius malit, *Si vetus æquorei* ; vel *Si sit ut*, i. e. si contingat ut. — *Ignipedes*. Hos vero tauros vellus aureum custodientes vicit Jason ope Medæ Colchidis, cujus historia satis patet ex Ovidio et Valerio Flacco. — *Sine Colchide*. Sine Medæ ope et arte, quod Jason non potuisset.

8. *Hesionen*. Filiam Laomedontis, Trojanorum regis, objectam monstro marino, et devinctam saxo, liberavit Hercules. Ovid. Met. XI : « Regis quoque filia monstro Poscitur æquoreo, quam dira ad saxa revinctam Vindicat Alcides. » — *Andromeden*. Quæ filia fuit Cephæi regis Æthiopum : ceto exposita, liberata est a Perseo pacto ejus

Herculeæ laudis numeretur gloria : plus est  
Bis denas pariter perdomuisse feras.

10

Ἄλλ' Ἡρακλῆος προφερέσθω δωδεκάεθλον·  
Μεῖζον ἔφου καθελεῖν δώδεκα θῆρας ἅπαξ.

nuptias. Ovidius, *Metamorph.* IV. Manilius, lib. V, copiose describit hanc historiam : « Proposita est merces vesano dedere Ponto Andromeden, teneros ut bellua manderet artus. »

9. *Herculeæ laudis.* Hoc est, si labores Herculis numeres, duodecim tantum, et equidem diversis temporibus exantlatos reperies, at vero Carpophorus uno die viginti feras interfecit.

## XXVIII.

DE NAUMACHIA ET DIVERSIS SPECTACULIS IN AQUA  
EXHIBITIS. \*

Hæc spectacula a Tito, ut Xiphil. videtur, edita, Augusti, Claudii, Neronisque præfert naumachiis. ED.

AUGUSTI laudes fuerant, committere classes,  
Et freta navali sollicitare tuba :  
Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in undis

Αὐγούστου κλέος ἦν, συμβάλλειν ναύμαχα δοῦρα,  
Τὴν θ' ἄλλα σάλπιγγιν σεῖσαι ἐγερσιμάχοις·  
Καίσαρος ἡμετέρου ποσὴ μερίς; ἡ Γαλάτεια,

\**Laus augusti* lemma est in Venet. Ald. Junt. Gryph. Colin. aliisque edd. vett. *De Naumachia* emendarat P. Scriver, confirmatque codex Bodleianus; reliqua adjecimus. *De Naumachia minore* cod. Thuan. *De Naumachia Cæsaris*, Ramires de Prado.

1. *Augusti labor hic fuerat.* codd. Thuan. Bodl. et alii. *Augusti fuerat labor hic* vet. cod. Beverlandi.—*Au-*

*gusti laudes.* Augustus nudas exhibuit Naumachias cis Tiberim (Suet. Aug. 43, Tac. Ann. 14), nisi respicias exercitationem classium in lacu Lucrino ad bellum Siculum. ED. — *Committtere classes.* Prælia navalia tantum edidit Augustus. Sed Titus addit longe mirabiliora spectacula in aquis edita. ED.

3. *Cæsaris*, etc. Titi, seu mavis Domitiani. — *Pars est quota?* Quasi



Et Thetis ignotas et Galatea feras.  
 Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus,  
 Et domini Triton ipse putavit equos.  
 Dumque parat sævis ratibus fera prælia Nereus,  
 Abnuat in liquidis ire pedester aquis.  
 Quicquid et in Circo spectatur, et Amphitheatro,

X' ἡ Θέτις ἀλλοκότους θῆρας ἐν ὕδασι ἴδον.  
 Εἶδον ἐλαυνομένους δίφρους ἀλὸς ἐν σαδίοισι·  
 Δεσποσύνους Τρίτων μώνυχας ἴσκειν ἰδεῖν.  
 Ἢδη καὶ ναυσὶ κρυεροῦς ἐντυνεύει ἀέθλους  
 Νηρεὺς, πεζεῖν κύματ' ἀνηνάμενος.  
 Ὅσσα παρέσχευεν ὄραν Ἰππόδρομος, ἢ Θέατρον,

diceret minima. De hac formula supra, « Quantula Carphori portio », etc.

4. *Galatea vias* cod. Vatic. *Galathea* in Junt. — *Ignotas*, etc. Equi enim, tauri, aliaque animalia edocta fuerunt id omne in aquis facere, quod in terra consueverant. Vid. Dion. in Tit. 4. — *Galatea*. Una est Nereidum: forte pro omnibus sumitur per metonymiam. Ed.

5. *In æquoreo pulvere*. Multi intelligunt pontes leniter aquæ superficiæ substratos, et super hos currus tractos fuisse. Tacitus Annal. XII, de Naumachia Claudii ait: « Eoque tempore interjecto, altius effossi specus; et contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam. » Aquæ autem spuma pedibus equorum currentium, vel si, pontes non fuerint, natantium excitata imitabatur pulverem Circi. — *Ferventes currus*. Propter motum velocem quo etiam in aqua fervidi trahebantur. Ho-

ratius, Od. I, 1, « Metaque fervidis Evitata rotis. »

6. Bodl. et Thuan. *isse* pro *ipse*. — *Domini*, Neptuni. — *Triton*, Salaciæ et Neptuni filius, ejusdemque tubicen.

8. *Horruit in liquidis* conj. Pet. Sriver. et sic est in codd. Bodl. et Thuan. Virgilius: « Quanquam animus meminisse horret. » — *Pedestris* idem Thuan. et cod. Beverlandi. — *Abnuat in liquidis*, etc. Scilicet ut conjicere possumus, quidam habitu Neptuni et curru vectus, super hos pontes leviter aquæ superficiæ substratos, equos agitavit, quos Triton crederet esse Neptuni equos, forte vitulos marinos, etc. — *Nereus* vero deus maris, Nereidum scilicet pater, pro ipso mari etiam sumitur. Vide Hesiodum in Theogonia. Ed.

9. *Circo spectatur*. Certamina curulia, gymnica, pompæ. Ed. — *Amphitheatro*. Gladiatores, venationes, etc. Hæc omnia quæ in terra fieri solent, in aquis edita fuere. Ed.

Dives Cæsareo præstitit unda tibi.

10

Fucinus et pigri taceantur stagna Neronis :  
Hanc norint unam sæcula Naumachiam.

Τῶνδε ποιεῖ, Καῖσαρ, σ' ἴσ' ὅρ' ἀφνειὸν ὕδωρ.  
Φούκινος, ἢθ' ἀργοῦ λίμναι σιγῶντο Νέρωνος·  
Τῆσδε μιῆς αἰὼν ναυμαχίης αἴτοι.

10. *Cæsaris hoc dives e codd.* emendavit Cagnerius, ut supra epigr. xxxv, « Desine mirari, Cæsaris unda fuit. » *Et amphitheatro Cæsareo, dives præstitit unda tibi* Marcilius. — In multis editionibus legitur: *dives Cæsarea præstitit unda tibi*, ultima secundæ vocis syllaba procedente, propter sequentes duas consonantes. — *Dives*. Ludorum et spectaculorum copia multiplex. Ed.

11. Alii legunt, *et diri*: Thuan. et *Tigri*. Otii appetens Nero. ex Dio. in Ner. et Sueton. cap. 42. — *Fucinus*. Marsorum lacus, ubi pugnam navalem edidit Claudius. Vid. Tac. loc. sup. cit. et Sueton. Claud. 21. — *Pigri*. Nihil magnifici et vere principe digni edentis; vel referas hoc verbum ad stagna per hypallag. — *Stagna*. De stagnis Neronis jam dictum epigr. 11 supra. Ed.

## XXIX.

## DE PRISCO ET VERO GLADIATORIBUS. \*

Par gladiatorum postulatitium vel a Cæsare exhibitum (ut supra epigr. xx) ubi diu æquo pugnasset Marte, populus vel favore vel moræ tædio missionem utrique gladiatori petiit. Cæsar arenæ lege jubet agi, nec dirimi certamen fert nisi altero victo.

QUUM traheret Priscus, traheret certamina Verus,  
Esset et æqualis Mars utriusque diu;  
Missio sæpe viris magno clamore petita est:

Ὡς εἶλκον δ' ἠρὸν Πρίσκος καὶ Βῆρος ἀγῶνα,  
Ἐπλετο δ' ἰσολκῆς ἀμφοτέροισι μάχη,  
Πᾶς ὁμάδῳ θορυβῶν ἄφρ' εἰν τοῖς ἀνδράσιν ἤτει·

\* Hoc epigramma, quod Joseph. Scaligerus in Catalectis primus publicavit, et quæ sequuntur non exstant in codd. Bodl. et Thuan.

nec in Venett. Ald. Junt. Gryph. Colin. aliis.

3. *Missio sæpe*. Missio erat quoties læsus aut victus victori eripie-

Sed Cæsar legi paruit ipse suæ.  
 Lex erat, ad digitum posita concurrere palma : 5  
 Quod licuit, lances, donaque sæpe dedit.  
 Inventus tamen est finis discriminis æqui ;  
 Pugnavere pares, succubuere pares.  
 Misit utrique rudes, et palmas Cæsar utrique :  
 Hoc pretium virtus ingeniosa tulit. 10  
 Contigit hoc, nullo nisi te sub principe, Cæsar :  
 Quum duo pugnarent, victor uterque fuit.

Καῖσαρ δὲ σφετέρης εἶχετο συνθεσίης.  
 Σύνθημ' ἦν, λαχμῶ λιγανῶν τὸ βραβεῖον ὀμαρτεῖν·  
 Σκεύεα θ', ὄρρ' ἐξῆν, δῶρά τε πόλλ' ἐδίδου.  
 Ἐμπης δ' ἀμφιβόλους τέλος ἐξίσωσεν ἀέθλους·  
 Ἰσόπαλοι μάρναντ'· ἤμυσαν ἰσόπαλοι.  
 Πέμψ' αὐτοῖς ῥάβδους, καὶ νικητήρια Καῖσαρ.  
 Εὖσοχος ἠνορέη τοῦτ' ἀπένεγκε γέρας.  
 Οὐ συνέβη τόδε, Καῖσαρ, ἐπ' οὐδενί, πλὴν σοι, ἀνακτι  
 Δισσοῖν μαρναμένοιιν, τῶν δύο νῖκος ἔφου.

batur a principe vel munerario ex faventia populi, quam significabat presso pollice; quod accipio, pollicem intra palmam conditum, digitis fuisse pressum.

5. *Ad digitum.* Hoc est, pugnare sine spe missionis, donec gladiatorum alter digitum tollat, id est, victum se fateatur. Ita hunc locum explicat Musambertius.

6. *Quod licuit.* Cæsar, salva lege quam posuerat, obsonia misit in lancibus quibus vires reficerentur gladiatorum, donaque quibus ad pugnam acrius incitaretur animus. — Vel intellige edulia et missilia data fuisse populo quo facilius ferret longæ pugnæ moram. Vid. sup. epigr. xxiii, v. 6.

8. *Succubuere pares.* Simul nempe alter ab altero læsus est.

9. *Rudes.* Scipiones, quibus veterani gladiatores donati in signum magisterii, liberi ab arena in reliquam vitam pronuntiabantur. Rudis itaque distinguitur a missione: *Missio* enim liberabat gladiatorem in eum diem, vel in id munus; *Rudis* in omnem vitam gladiatorem ab arena liberum pronuntiabat, nisi volens ipse, vel pecunia, pugnaret. Tum missio dabatur læso et victo; rudis victori: hinc per metaphoram dicitur *rude donatus* qui aliquo munere liberatur.

12. *Victor uterque.* Hoc quasi miraculum felicitati Domitiani tribuit Poeta.

## XXX.

AD CÆSAREM.\*

DA veniam subitis : non displicuisse meretur,  
Festinat, Cæsar, qui placuisse tibi.

Ἰλαθι αἰφνιδίους· οὐκ ἄξιός ἄν δυσαρρεσεῖν  
Εἶη ὁ σοὶ ἀρέσαι, Καῖσαρ, ἐπειγόμενος.

\* Hoc distichon et sequens vel tialis non sunt; ex fragmentis illi  
mutila sunt, vel corrupta, vel Mar- adscribuntur.

## XXXI.

ALTERUM.

CEDERE majori, virtutis fama secunda est.  
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

Μεῖζοτέροις εἶκειν ἀρετῆς πέλε δεύτερον ἄθλον.  
Ἀντιπάλῳ δ' εἶκειν ἥσσοι, μεῖζον ἔφυ.

1. *Cedere majori.* Ut apud Virgilium de Lauso, *Æneid.* X: « Hoc tamen infelix miseram solabere mortem, *Æneæ* magni dextra cadis. »

2. *Gravis.* Sensus omnis epigrammatis hic est; Laus secunda forti-

tudinis est vinci tantum a superiore hoste. Palma quam inferior reportat odiosa victo et pudenda est; non autem ea quæ reportatur a majore: exinde hic *palma gravis* significat palma quæ gravem affert victo pudorem. ED.

## XXXII.

## DE DAMA ET CANIBUS.

Dama persequentibus canibus ad pedes Cæsaris confugit, ibi  
inviolata. Ed.

CONCITA veloces fugeret quum dama molossos,  
Et varia obliquas necteret arte moraſ;  
Cæsaris ante pedes supplex, similisque roganti  
Constitit; et prædam non tetigere canes.

.....

5

Hæc intellecto principe dona tulit.

Πρὸξ κερόεσσα, κύνες πόδας ὠκέες ὡς μιν ἔλαυνον,  
Ἢδ' αὐτοὺς σκολιαῖς δὴν ἐλέφαιρε τριβαῖς,  
Ἡγεμόνος πρὸ ποδοῖν γουνομένη, οἷα προσῆκτις,  
Ἐση, τῆς δ' ἄγρης οἱ κύνες οὐκ ἔθιγον.

.....

Τήνδ' ἤνεγκε χάριν, Καίσαρος αἰσθομένη.

2. *Et vana* præfert Ant. de Rooy, quod improbat vir quidam doctus in epist. crit. ad eundem Antonium. Tu corrigis, inquit, *vana*; sed id, quod pace tua dixerim, absurdi quid habet. Uti enim facile patet, etsi perinde res foret, tamen inutilem nec necessariam hanc esse emendationem: ita ab altera parte *vana* admitti plane non potest, et menti Poetæ adversatur. « Elusit enim canes dama », nam ad Cæsarem venit; *variaque* elusit *arte*, ut lepores, etc. adsolent; quod perelegans. Alii legunt: « Et varia lyncas necteret arte mora. — Hoc epigramma trigesimum ordine positum est in ed. Delph. et quibus-

dam aliis, ubi tres illi ultimi assuti versus, quos fragmentum nuncupat ed. Par. 1754.

4. *Non tetigere*. Veriti scilicet numen Domitiani ad quem confugerat dama.

6. *Hæc intellecto*. Hujus carminis explicatio pendet ex superiori hexametro quod deest. Hic sensus conjici potest: vitam obtinuit quasi mercedem quia principem intellexerat et agnoverat; non difficillimus quidem conjectu sensus, quum adulationem ubique redoleat et hoc idem de Cæsaris *numine* dictitet in mille locis adulator Martialis: vid. epigr. xvii, supra; lib. I, epigr. vii, xv, cv, etc., etc. Ed.

Numen habet Cæsar. Sacra est vis, sacra potestas.  
Credite : mentiri non didicere feræ.

Καῖσαρ ἔχει τι σέβασμα, σάφ' ἴσατε, τὸ κράτος αὐτοῦ·  
ἱερὸν· οἱ θῆρες ψεύδεος εἰς' ἀδαεῖς.

## XXXIII.

ALIUD, APUD ANTIQUM JUVENALIS SCHOLIASTEN.\*

FLAVIA gens, quantum tibi tertius abstulit hæres!  
Pæne fuit tanti, non habuisse duos.

.....  
.....

\* Hoc epigrammatis fragmentum tantum esse apparet ex Scholiastæ verbis ad Juvenalis Sat. IV, 34 :  
• Meminit hoc Valerius Martialis in epigrammate : his vero sibi finit :  
*Flavia gens* », etc.

1. *Tertius hæres.* Domitianus nuempe inhumanus et ferox, qui

suæ genti dedecori fuit. Ubique palam Domitiano palpatur Poeta, attamen hoc loco illum acerbissime carpit : quare Martialis esse vix crediderim.

2. *Non habuisse duos.* Vespasianum et Titum, alterum patrem, fratrem alterum Domitiani.

---

# M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM

## LIBER I.<sup>1</sup>

---

### EPISTOLA AD LECTOREM.

**S**PERO me secutum<sup>2</sup> in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non possit, quisquis<sup>3</sup> de se bene senserit, quum salva<sup>4</sup> infimarum quoque personarum<sup>5</sup> reverentia ludant;<sup>6</sup> quæ adeo antiquis auctoribus<sup>7</sup> defuit, ut nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis.<sup>8</sup>

1. Inscriptio est in edd. vett. *M. V. Martialis Epigrammaton liber primus*; et sic fere in codd. nisi quod subjungunt verba, *incipit feliciter*.

2. Calderinus legit *sequiturum*, improbante Herald: *secuturum* Ald. Junt. alii.

3. *Quisquis*. Quisquis nullius vitii aut sceleris erit sibi conscius, nihil ad se pertinere suspicabitur, quæ sub nominibus fictis ego reprehendo.

4. *Quum salva*. Quum nullius, vel infimæ sortis, hominis famam nominatim lædant. Sic lib. X, epigr. xxxiii: « Hunc servare modum nostri novere libelli, Parcere personis, dicere de vitiis. »

5. Codex Vossianus exhibet: *infimarum quoque gentium*.

6. *Ludant*. Ludere apud poetas est scriptitare aliquid, præsertim joculari ac venustum.

7. *Antiquis auctoribus*. Lucilio nempe, Catullo, Metrodoro Scepsio, Ortacilio et aliis. Persius, sat. I: « Secuit Lucilius urbem, Te, Lupe, te, Muti, et genuinum fregit in illis. » Plinius, lib. XXXVI, cap. 6: « Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus. »

8. *Sed etiam magnis*. Principum, scilicet, et nobilium virorum quos in famosis suis libris nominabant antiqui poetæ; quos quidem, jocos abutentes potius quam utentes, non

At<sup>1</sup> mihi fama vilius constet,<sup>2</sup> et probetur in me novissimum<sup>3</sup> ingenium. Absit a jocorum nostrorum simplicitate malignus interpret, nec epigrammata mea scribat.<sup>4</sup> Improbe facit, qui in alieno libro ingeniosus est.<sup>5</sup> Lascivam verborum veritatem,<sup>6</sup> id est, epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum:<sup>7</sup> sic scribit<sup>8</sup> Catullus, sic Marsus, sic Pedito, sic Getulicus, sic quicumque perlegitur.<sup>9</sup> Si quis tamen tam ambitiose tristis est,<sup>10</sup> ut apud

imitatur Martialis, ut ipse ait, lib. VII, epigr. 11.

1. *At non agnoscunt cod. Put. et Palat. Et mihi fama melius constat ut probetur cod. Voss.*

2. *Vilium constet.* Id est, non tanti mihi sit argutum videri in epigrammatis meis, ut hanc laudem existimem læsis aliis esse comparandam. — Mihi de nullo fama rubore placet: lib. VII, epigr. 11. — Est alter sensus: major est fama scriptoris nobiles nominatim carpentis; mihi ex fictis nominibus argumentisque desumpta placet fama, vilior quidem, sed honestior et periculosa minus. Ed.

3. *Novissimum.* Ultimum; ultimo loco laudetur in me ingenium: primo autem loco laudetur probitas, viris magnis et aliorum famæ reverentia debita; quas virtutes si retinere nequeo, ut ingeniosus videar, malo ingenii laudem amittere.

4. *Cod. vet. Cagnerii strigat, i. e. (strigat) stringat: idem conj. Ant. de Rooy. De verbis scribere et stringere, vid. Heinsius ad Ovid. Pont. II, 7, 33, et Scheffer et Burm. ad Phædr. I, 29. — Scribat: Sua illa faciat, maligne interpretando, quæ mea sunt, si simpliciter explicentur. Vel scribat; id*

*est, inscribat; ne apponat quasi titulum meis epigrammatis, perinde ac si in hunc illumve, cujus nomen iis præfigit, fuerint composita.*

5. *Ingeniosus est.* Vult ingenii sui sagacitatem iniquis interpretationibus et a mente auctoris alienis ostendere.

6. *Lascivam verborum licentiam.* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. Nostram lectionem testantur codices Put. et Grut. cum ed. Pal. eamque approbant Heraldus et Gronovius. — *Verborum veritatem.* Apertam rerum pudendarum appellationem: hac de re prolixè agit Plinius Secundus, lib. IV, epigr. xiv.

7. *Meum exemplum.* Si primus omnium scriberem licentius.

8. *Codex Bodleianus, sic scripsit; quod habent etiam Ald. Junt. Colin. et quædam aliæ vett. — Sic scribit Catullus.* De his poetis diximus suo loco: de Getulico nihil reperi. Vossius in libro de Poetis latinis meminit Lentuli Gentulici poetæ, qui Tiberii ac Claudii temporibus fuit.

9. *Emenda Lipsius prælegitur, in scholis nempe; ut Virgilius, Catullus, alii.*

10. *Tam ambitiose tristis est.* Morum severitas appellatur proprie



illum in nulla pagina Latine loqui<sup>1</sup> fas sit, potest epistola, vel potius Titulo<sup>2</sup> contentus esse. Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales.<sup>3</sup> Non intret Cato<sup>4</sup> theatrum nostrum; aut si intraverit, spectet. Videor mihi meo jure facturus, si epistolam versibus clausero.<sup>5</sup>

ambitiosa tristitia, si aliquid affectationis inest; ambitiosum enim latine affectatum significat.

1. *Latine loqui.* Id est, clare et simpliciter suis vocabulis res indicando licet subobsœnas.

2. Non hic intelligit titulos cujusque epigrammatis, sed titulum totius libri: nam Martialis tantum eos apposuit qui in decimo tertio et decimo quarto lib. leguntur. Vide lib. XIV, epigr. 11. « Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo: Ut, si malueris, lemmata

sola legas. » — Cætera lemmata fuerunt a grammaticis inventa. ED.

3. *Florales.* Ludos institutos in honorem Deæ Floræ, quos describit Ovid. Fast. V, lascivos prorsus. Vide Lactant. I, Instit., Augustin. de Civitate Dei, lib. IV, cap. 8.

4. *Non intret Cato.* Vid. epigr. 1, infra, ad quod alludit Poeta.

5. *Versibus clausero.* Epigramma ad Catonem intelligit, quod in Juniana editione tertium est, primo tamen loco reponendum, quod fecimus.

## I.

### AD CATONEM.\*

NOSSES jocosæ dulce cum sacrum Floræ,

\* Tetrastichon hoc, inquit Farnabius, quod in aliis edd. (Junian. Delph. etc.) tertiam usurpavit sedem, loco suo redonavit Scriverius ex consilio cod. Bodleianii: in quo epistolæ pedissequa est inscriptio: *Idem ad Catonem Epigram.* At sic jam fuerat in Venet. Ald. Gryph. Colin. an. 1528. Junt. an. 1512, cum titulo, *Ad Catonem.* Tertium est in Plant. Junii. — Hoc epigrammate, Catonis quasi affectatam cavillatur severitatem, qui, quum impudicum Floralium mo-

rem non ignoraret, theatrum intrare non debuit, intraverat tamen hos ludos a Mætio ædile exhibitos spectaturus. Populum autem, suæ lasciviæ tanto spectatore quasi reprehensum, ut mimæ nudarentur postulare puduit; cujus rei causam quum ex Favonio latus suum tegente Cato cognovisset, decessit e theatro. Val. Max. II, 10; Senec. ep. 97; et Racine, *Relig.* VI, 207. ED.

1. *Jocosæ dulce.* Ludi Florales celebrabantur omni cum verborum licentia, motuumque obscœnitate,

Festosque lusus, et licentiam vulgi,  
Cur in theatrum, Cato severe, venisti?  
An ideo tantum veneras, ut exires?

a meretricibus veste exutis, in honorem Accæ Tarratiæ, olim famosæ meretricis, quæ postea sub deæ Floræ nomine fuit culta et consecrata. Hæc populum Roma-

num moriens hæredem dixerat ea lege, ut editis ludis suum natalem diem quotannis celebraret. Vidend. epigr. xxxvi infra.

2. *Festoque lusus* Junt. an. 1512.

## II.

### AD LECTOREM.\*

Hic est quem legis, ille quem requiris,  
Toto notus in orbe Martialis  
Argutis Epigrammaton libellis:  
Cui, lector studiose, quod dedisti  
Viventi decus, atque sentienti,  
Rari post cineres habent Poetæ.

\* Hanc quasi præfationem fuisse horum librorum collectioni affixam, non autem inter prima epigrammata a Martiale compositam, inde patet, quod se jam toto orbe innotuisse dicat Epigrammaton libellis: quod infra multis quoque jactat locis. Vid. lib. V, epigr. XIII, et lib. XI, epigr. III. Adde etiam quod, ut apparet evidenter ex ultimo epigrammate libri II, et ex primo libri III, hic liber primus non primus fuit in lucem a Martiale editus, sed fratres suos, post se natos, et ante se editos, secutus est. ED.

1. *Quem requiris.* Quem, semel lectum, iterum quæris legendum; vel, quem legere summe cupis.

2. *Tota notus in urbe* codex Vossianus.

5. *Viventi.* Idem ait lib. III, epigr. xcv, v. 8.

6. *Post cineres.* Metonymia, id est post obitum: raro enim excellentes viri laudantur, dum vivunt: rationem reddit Horat. \* Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes Infra se positas: extinctus amabitur idem. » Vide lib. V, epigr. x. — Sic quoque Ovid. de Ponto; « Pascitur in vivis livor, post fata quiescit; Tum suus ex merito quemque tuetur honor. » Videatur etiam Seneca de Benef. lib. VI, cap. 8, et Plinius jun. de operibus Popeii Saturnii.

## III. \*

## AD LECTOREM, UBI LIBRI VENALES.

QUI tecum cupis esse meos ubicumque libellos,  
 Et comites longæ quæris habere viæ;  
 Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis:  
 Scrinia da magnis, me manus una capit.  
 Ne tamen ignores, ubi sim venalis, et erres  
 Urbe vagus tota; me duce certus eris.  
 Libertum docti Lucensis quære Secundum,

\* Quartum est hoc epigramma in Junt. anni 1512, sed in Plant. Junii, Delph. et nonnullis aliis secundum.

2. *Comites longæ.* Comites scilicet facundos, qui pro vehiculo sunt in via, ut lepide dictum invenimus apud Publ. Syr. Mimorum script. in fragmentis poet. Henr. Stephani: « Comes facundus in via pro vehiculo est. »

3. *Arctat membrana.* Hoc est, qui exiguo volumine sunt compacti. Scribebant antiqui in membranis; et tabellis vel citreis vel ex alia materia includebantur libri; qui, si arctiores et minores essent, et manu capi possent, vulgo vocabantur *Enchiridia*; (εγ, dans; χειρ, main), si vero majores, *volumina* dicebantur, quia scripti erant in perpetua membrana, circa bacillum ligneum involuta.

4. *Scrinia da magnis.* Ingentia volumina repone domi, et serva in *scriniis*, id est in arculis et capsis (a *secernendo* dictis); ego vero, nempe meus libellus, gestari facile, et manu capi possum.

6. *Me duce.* Docente viam, et bibliopolam monstrante.

7. *Secundi* contra omnium codd. et edd. vett. fidem legit Scriverius, eumque sequutus est Farnabius. At vide Turneb. Advers. XVIII, 3. — *Quære.* Bibliopola erat hic Secundus. Librarii vocabantur qui libros exscribebant, ut apud nos typographi sunt ii qui typis edendos curant; bibliopolæ erant ii quos et nos vocamus *Marchands libraires*. Turnebus, lib. XVIII, cap. III, suspicatur in patronorum libertis ordinem quemdam fuisse, quod alteri apud patronum priorem locum obtinerent, alteri proximum: ideoque *Secundum* non hic esse nomen proprium liberti, sed locum hunc indicare. — Scriverius, contra omnes libros scribit; *Lucensis quære Secundi*; putat enim verbo *Lucensis* patriam patroni Secundi, non nomen indicari: certe, etiamsi *Secundum* admittamus, patronum hoc nomen habuisse fatendum est; nam sibi dominorum adsciscere nomina solebant servi, quum manu mitterentur: ita liber-

## Limina post Pacis, Palladiumque forum.

tus M. Tullii Ciceronis dictus est M. Tullius Tiro. ED.

8. *Palladium*. Forum in quarta Urbis regione appellabatur *Palladium* ab æde Palladis quæ in eo fuit, juxta templum Pacis; vel

*Transitorium* quia per illud ultro citroque multi commeabant. Inter Capitolium et Quirinalem montes positum, inchoatum a Domitiano, perfectum deinde a Nerva, forum Nervæ postea dictum est.

## IV. \*

AD LIBRUM SUUM, IN LUCEM PRODIRE GESTIENTEM.

ARGILETANAS mavis habitare tabernas,  
 Quum tibi, parve liber, scrinia nostra vacant.  
 Nescis, heu, nescis dominæ fastidia Romæ:  
 Crede mihi, nimium Martia turba sapit.  
 Majores nusquam ronchi, juvenesque senesque  
 Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

\* Tertium epigramma in Junt.

1. *Argiletanas*. Argiletum erat locus quidam Romæ, haud procul theatro Marcelli; in quo tabernæ bibliopolarum. Sic dictus est a quodam Argo, duce Argivorum, qui ab Evandro exceptus hospitio, quum in affectatj regni suspicionem venisset, ab Arcadibus, inscio Evandro, interfectus est; cui postea Evander tumulum erexit, quem de nomine ejus Argiletum appellavit. Lege Virg. Æn. VIII, v. 346.

2. *Scrinia*. Quum in meis scriniis et arculis locus sit vacuus et patens, ubi manere, quasi domi tuæ, tuto possis.

3. *Dominæ fastidia Romæ*. Excipieris, velut servus a Domino, ab urbe Roma, urbium gentiumque regina, atque ideo fastidiosa; quo

quis enim sublimius dominatur, eo sæpissime fastidit arrogantius. ED.

4. *Martia turba*. Romani, a Romulo oriundi, cui Mars pater fingitur: vide Plutarchum in Romulo. — *Nimium sapit*. Gens Romana acutiori judicio poetarum opera dstringit, et lima censoria mordacius utitur. ED.

5. Nonnullæ vett. habent *ronchi*. — *Ronchi*. Ronchum appellant Græci nasi sonum qui emittitur a stertentibus; quo sæpe utuntur, qui aliquid contemnunt; quasi significarent adeo ineptum illud esse, ut malint stertere, quam id videre, vel audire. Sensus igitur est, nullos esse homines Romanis fastidiosiores.

6. *Rhinoecrontis* codex Thuaneus. — *Nasum rhinocerotis*. Sicut dextra

Audieris quum grande sophos, dum basia captas,  
 Ibis ab excusso missus in astra sago.  
 Sed tu, ne toties domini patiare lituras,  
 Neve notet lusus tristis arundo tuos;  
 Æthereas, lascive, cupis volitare per auras :  
 I, fuge; sed poteras tutior esse domi.

fidei, genua misericordiæ, supercilium gravitati et fastui, frons pudori, ita subdolæ irrisioni nasus dicatus est (Vide Plin. lib. II, cap. 37), fortasse quia nasi corrugatione habitus ridentis exprimitur. Ut ergo significaret acerrimum iudicium et subsannandi calliditatem esse Romanis, nasum rhinocerotis dixit illos habere, quum id animal fortissimum habeat nasum, nempe cornu procerum munitum et acutum. Vide lib. XIII, epigr. II.

7. Optimi libri habent *jactas*; sic Beverlandi MS. hinc Scriv. *basia jacta*, quod probat Gronovius. — Quum *primum* lectus in cœtu quodam audieris grande sophos, deinde ibis in manus *omnium* basia ambiturus; *sed varia sunt iudicia*, et populus universus non confirmabit plausus, quo exceptus fueras in primo illo cœtu. ED. — *Grande sophos*. Σοφῶς, sapienter. Erat frequentissima acclamatio eorum qui recitantis scripta laudabant. Vide ep. 50 infra: « Mercetur alius grande et insanum sophos. » — *Basia captas*. Approbationes; nam osculabantur antiqui quos recitantes probaverant, quin etiam libros ipsos. Vid. epigr. LXXVII infra.

8. *Ibis ab excusso*. Suetonius in Othone, cap. 2. « Ferebatur et va-

gari noctibus solitus: atque invalidum quemque obviorum, vel potentulum corripere: ac distento sago impositum in sublime jactare. » Gallice, *berner*. Hic per metaphoram sumitur pro risu et contemptu. — *Sago*. Proprie sagum est vestis militum: hic pro qualibet ponitur, cujus oras extremas manu teneant irrisores, librum in media veste positum, in aera jacturi. ED.

9. *Sed tu ne toties*. Emendantis poetæ lituras effugere cupis; unicuique enim censura gravis est et odiosa.

10. *Tristis arundo*. Ex arundine vero, præsertim Ægyptia, fiebant calami scriptorii. Vid. lib. XIV, epigr. XXXVIII.

11. *Volitare*. In lucem prodire.

12. *Vel frige si poteras* Beverlandi MS. — *Esse domi*. — Vid. sup. v. 2: « Quum tibi, parve liber, scrinia nostra vacant. » Bolæus noster in primis et ultimis versibus epist. X, hunc locum imitatus est. ED.

J'ai beau vous arrêter, ma remontrance est vaine  
 Allez, partez, mes vers, dernier fruit de ma  
 veine;

C'est trop languir chez moi dans un obscur  
 séjour,

La prison vous déplaît, vous cherchez le grand  
 jour, etc.

## V.

## AD CÆSAREM.

CONTIGERIS nostros, Cæsar, si forte libellos,  
 Terrarum dominum pone supercilium.  
 Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphî;  
 Materiam dictis nec pudet esse ducem.  
 Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum,  
 Illa fronte precor carmina nostra legas.  
 Innocuos censura potest permittere lusum:  
 Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

2. *Supercilium*. Usurpat pro fastu et severitate. *Terrarum dominum* vocat, quod eo terrarum orbis gubernaretur. Vid. Plin. Lib. XI, cap. 37 et 52.

3. Beverlandi MS. *quam ferre triumphî*. — *Ferre triumphî*. In ipsa triumphî pompa per jocum dictariis et conviciis Imperatorem consectabantur milites. Suetonius in Julio, cap. 49, et Dio, lib. 43. *Triumphalia* appellabantur hæc carmina, licentiæ plena et procacitatis, quæ in eum audientem effuiebant, eo ipso die, quo summo honore decorabatur. Vid. epig. VIII, lib. 7. Ed.

5. Erat Thymele Latini, histronis famosi, uxor; utriusque actione mimica plurimum delectabatur Domitianus. Vox ista Thymele significat etiam orchestræ pulpitem. Juvenalis, sat. I. « Et a trepido thymele summissa Latino. » *Derisoremque Latinum*. Mimus proprie

is appellatur, qui alios imitatione scurrili exprimit, et propinat deridendos. Vid. epigr. XXIX, lib. 9.

7. *Innocuos censura*. Susceperat Domitianus, ut auctor est Suetonius in ejus vita, cap. 8, et severissime exercuerat morum correctionem, in famosa scripta etiam asper, quæ non sine auctorum ignominia aboleverat. Excusat ergo censori epigrammata Martialis, quæ in vitiorum insectationem, non in personarum infamiam composita, ludi sunt innocui, nec reprehendendi. Vide igitur Suetonium in Domitiano, cap. 8. Ed.

8. Cum interrogatione legit Gruterus: *Lasciva est nobis pagina?* lepidus enim videtur, ut nec neget de se, nec fateatur. Interrogatio tamen displicet Gronovio, qui posterius est delendum censet. — *Vita proba*. Lege lib. IX, epigr. XXIX, vers. 5 ad 8, ubi eadem sententia de mimo Latino.

## VI.

RESPONDET MARTIALI IMPERATOR. \*

Do tibi Naumachiam, tu das Epigrammata nobis.  
Vis puto cum libro, Marce, natate tuo.

\* In plerisque ad *Marcum* inscribitur; quod mutavimus. — In codice Palatino inscribitur *Naumachias*, quod Grutero placet. Ad *Marcum* in aliis et edd. vett. Musambertius Abbavill. melius futurum ait, *Cæsar Martiali*. In nonnullis: *Sub personam Cæsaris, ad Poetam*.

1. *Do tibi naumathiam, tu das epygrammata nobis*. Junt. an. 1512. *Do tibi Naumachias*, codex Palatinus. — *Do tibi*. Inducit Domitianum,

exiguo vel intempestivo carminum munere quasi iratum, et respondentem: « Dum edo Naumachiam, tu offers nobis librum: factum bene scilicet; commodum adest aqua, in quam malum poetam, cum importuno suo dono, mittamus. » Vide lib. V, epigr. LII. — De Naumachia, lib. spect. epigr. XXIV.

2. In eadem Junt. *nature pro natate*. — *Natate*; mergi in æquore amphitheatrali, poeta malus cum malo libro. ED.

## VII.

DE LEONE CÆSARIS.

ÆTHEREAS aquila puerum portante per auras,  
Illæsum timidis unguibus hæsit onus:  
Nunc sua Cæsareos exorat præda leones,

\* Lemma est *De Aquila et Puero* in cod. Bodleiano.

1. *Æthereas*, etc. Quum olim Aquila a Jove missa, vel ipse Jupiter mutatus in aquilam, Ganyemedem Trois filium portaret, hæsit puer sine damno inter ungues timidos, scilicet aquilæ metuentis ne læderetur, vel excideret. Vid. libri V, epigramma LV. Plinius, libro

XXXIV, cap. 8. Ovidius. Met. X.

2. Codex Vossianus habet, *exit onus*.

3. Musamb. citat, *Hinc sua, etc.* Junt. anno 1512, penes editorem in margine exhibet: *exarmat præda leones*. — *Nunc sua*. Id est, propria. Leoni magis propria est præda lepus, quam aquilæ puer: leonis igitur leporem aperto rictu discurs-

Tutus et ingenti ludit in ore lepus.  
 Quæ majora putas miracula? summus utrisque  
 Auctor adest : hæc sunt Cæsaris, illa Jovis.

5

rentem excipientis et dimittentis illæsum majus est miraculum, quam aquilæ puerum portantis incolumem. ED.—*Cæsareos*. A Cæsare exhibitos.—*Exorat*. Exorare est orando aliquid impetrare. « Lanificas nulli tres exorare puellas Contigit. » Lib. 4, epigr. LIV.

5. *Summus*. Uterque deus est, nam Domitianus deus appellari voluit, cujus jussu captum leporem dimittebat leo, sicut Jove jubente et Ganymedem rapuit incolumem aquila. Vide infra epigr. xv, xxiii, xlv, xlvi, xlix, lii, lxi, cv, quæ sunt ejusdem argumenti.

## VIII.

AD MAXIMUM, DE COLUMBA STELLÆ.\*

STELLÆ delictum mei columba,  
 Verona licet audiente dicam,  
 Vicit, Maxime, passerem Catulli.  
 Tanto Stella meus tuo Catullo,  
 Quanto passere major est columba.

5

\* In hoc epigrammate nil variant codd. aut libri impressi.

1. *Stellæ columba*. — Laruntius Stella, poeta Patavinus Papinii Statii carminibus clarus, et de quo plurima apud Martialem mentio, columbam amicæ suæ deflevit, ad imitationem passeris Catulli. Columba pro opere de columba sumitur, causa nempe pro effectu. Vid. lib. VI, epigr. xxi, et lib. VII, epigr. xiv.

2. *Verona*. Patria Catulli, urbs

Italiæ nota, ad fluvium Athesim, a Gallis olim condita, et ab eorum duce Brenno dicta primum Brenona. Justin. lib. 20.

4. *Meus tuo*. Martialis admirator et amicus Stellæ: Maximus, admirator et forte concivis Catulli. ED.

5. *Quanto passere*. — Confirmandumne fuerit, an rejiciendum hoc Martialis judicium invidiosa in dubio reliquit vetustas, quæ Stellæ carmina delevit, nec cum Catulli carminibus comparanda reliquit. ED.



## IX.

DECIANI DOGMA LAUDAT.\*

QUOD magni Thraseæ, consummatique Catonis  
 Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis;  
 Pectore nec nudo strictos incurris in enses;  
 Quod fecisse velim te, Deciane, facis.

Ὅτι τό, τε Θρασέα μεθέπεις, τό, τε δόγμα Κάτωνος,  
 Ὡς' ἀφομοιοῦσθαι τῶνδε τρόποις ἐθέλεις.  
 Κ' οὐ ξιφέων ἀκμαῖσιν ἀπαντᾶς σῆθει γυμνῶ,  
 Ὅρρα θέλωμι ποιεῖν σ', ὦ Δεκτανέ, ποιεῖς.

\* Lemma in Thuan. *Ad Decianum*. — Deciani constantiam laudibus extollit poeta, omnia stoicorum dogmata profitentis, excepto illo quod Catoni placuit, nempe mortem esse obeundam, ubi vita intolerabilis. Ed.

1. In Junt. an. 1512, *consummatique Catonis*: forte; *Quod magni Thraseæ casum, summique (vel magnique) Catonis*. — *Magni Thraseæ*. Constantis viri, imo virtutis ipsius, inquit Tacitus XVI annal. cap. 21; qui a Nerone, tantam probitatem non sustinente, mori jussus, alacriter venas porrexit incidendas, sanguinem libans Jovi Liberatori. — *Consummatique*. Omnibus numeris absoluti viri, stoici perfectissimi. — *Catonis*. Qui ne Cæsarem victorem videret, se Uticæ interfecit, cui hinc cognomen Uticensis. Homo, ut ait Velleius, per omnia diis quam hominibus propior, etc. Vide infra, epigr. LXXIX, v. 9.

2. In codice Vossiano, *salvus et*

*esse velis*: alii, *talis ut esse velis*, id est, eorum similis. Calderinus legit, *servus ut esse velis*, quem vide in editione Langii, an. 1617. — *Dogmata*. Instituta stoicæ disciplinæ, quam sequebantur Thræas et Cato, quæ summum bonum in virtute ponebat, sed docebat quoque mortem esse ultro lacesendam periculi vel ignominie vitandæ causa. Contra sentiebat Decianus, licet stoicus. — *Salvus*. Vivus. Ita stoicam virtutem amas ut vitam non oderis, et adversam ferre fortunam vivendo, quam efugere moriendo, malis. — Legunt nonnulli in secundo versu, *talis ut esse velis*; sensus est: sic stoicos sequeris, ut esse, et porro vivere diu stoicus velis.

3. *Pectore nec nudos* Junt. anno 1512. Male.

4. *Quod fecisse*, etc. Recte agis meo judicio, nec aliter te facere velim: laudanda est ab omnibus tua sententia.

Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam : 5  
 Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Μισῶ, ὃς εὐτελέως ψυχῆς ὠνήσατο δόξαν·  
 Αἰνῶ, ὃς αἰνεῖσθαι νόσφι μόρου δύναται.

5. *Nolo virum, etc.* Non probo virum, qui famam constantiæ et fortitudinis emit morte; nihil enim facilius. Hunc probo qui eam vita sancte, ut facis, acta consequitur mereturque.

X.

IN COTTAM.\*

BELLUS homo et magnus vis idem, Cotta, videri :  
 Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

\* In eadem Junt. inscribitur : *Jocatur in coctam. Mox, Cocta videri, et cocta pusillus homo est.* in magnis esse nequit. Cotta igitur, si bellus homo sit, non est magnus homo, sed pusillus et tenuis. Vide lib. II, epigr. VII; lib. XII, epigr. XXXIX, et lib. III, epigr. LXIII. Gallice, bellus, *joli*; magnus, *grand*: *joli* et *grand* non possunt simul convenire in re eadem. ED.

1. *Bellus.* Diminutivum a bono; vocabulum *bellus* de rebus pusillis dicitur. Ait Aristoteles, res parvas venustas esse posse, non pulchras, quia pulchritudo et dignitas, nisi

XI.

DE GEMELLO ET MARONILLA.

PETIT Gemellus nuptias Maronillæ,  
 Et cupit, et instat, et precatur, et donat.

1. *Petit Venustus* in nonnullis codd. ait Ramires de Prado, improbante Musamber. favoreм aucupandum; majora testamento accepturus, quo sperat se a Maronilla institutum iri hæredem. ED.

2. *Donat.* Munera mittit, ad ejus

Adeone pulchra est? immo foedius nil est.  
Quid ergo in illa petitur et placet? Tussit.

3. Junt. an. 1512, *foedius nihil*, metro obstante.

4. *Quid ergo in illa appetitur* habent eadem Junt. et aliæ quædam edd. vett. quod melius putat Heraldus: et sic in Par. an. 1754. *Quid igitur in illa appetitur et placet?* *tussis* in codice Bodl. *tussis* legit etiam Pulmannus, probante eodem

Heraldo: servat idem Par. anni 1754. — *Tussit*. Tussientes vetulas a se amari fingebant pauperes atque avari homines, quod eas brevi morituras crederent, et earum testamentariam hæreditatem habituros se sperarent. Vid. lib. II, epigr. xxvi. Hi *hæredipetæ* apud Petr. satyric. 124, vocantur.

## XII.

### AD SEXTILIANUM POTOREM.\*

QUUM data sint equiti bis quina numismata, quare  
Bis decies solus, Sextiliane, bibis?  
Jam defecisset portantes calda ministros,  
Si non potares, Sextiliane, merum.

\* *Ad Sextilianum* in cod. Thuan.

1. Junt. an. 1512, *bis quinque numismata*. — *Quum data sint*. In variis gradibus amphitheatri sedentes spectatores, si longius produceretur spectaculum, sæpe ab imperatoribus nonnihil accipiebant pecuniæ, ad sitim levandam, aut emenda bellaria. Sic data erant equitibus decem numismata. Quid autem sint illa numismata, nemo affirmare audeat; sed non magni pretii fuisse apparet ex epigr. xxvii infra, ubi æra appellantur. ED.

2. *Bis decies*. Tres a commentatoribus adhibentur sensus: 1° aut bibis viginti haustus; 2° aut bibis

tantum, quantum exæques vices decem numismata; 3° aut bibis decies HS; secundus nobis melior videtur, quum epigr. xxvii infra confirmatus sit. ED.

3. *Calda*. Aqua calida in deliciis habita fuit apud antiquos, vel quam vino infunderent, vel quam solitariam biberent, vel etiam qua lavarentur. Vid. infra, epigr. lxxvii, viii, et ep. 113, XIV.

4. *Si non potasses*. Beverlandus. — *Merum*. Non aqua immixta. — « Aqua toties ebrius esse potes, » lepide ait noster infra, epigr. xxvii, in eundem Sextilianum et de eodem argumentum factum. ED.

## XIII.

DE REGULO, PORTICUS RUINA NON OPPRESSO.

ITUR ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,  
 Canaque sulfureis Albula fumat aquis;  
 Rura, nemusque sacrum, dilectaque jugera Musis  
 Signat vicina quartus ab Urbe lapis.  
 Hic rudis æstivas præstabat porticus umbras,  
 Heu quam pæne novum porticus ausa nefas!  
 Nam subito collapsa ruit, quum mole sub illa  
 Gestatus bijugis Regulus isset equis.

Ἡ τριβὸς εἰν ψυχρὰς τείνει Τρίβουρος ἐρίπνας,  
 Λευκά τ' ἀναβλύζει νάματα θειοβαφῆ.  
 Ἐνθα φύας ἱεράς, καὶ Μουσῶν δάσκιον ἄλσος  
 Σημεῖον πόλεως ἄγχι τέταρτον ἔχει.  
 Τῆδε θέρευς σκιεράς ἔδρας αἴθουσα παρεῖχεν,  
 Ἡ μικροῦ ποιεῖν τλήσει νεοχμὸν ἄγος.  
 Ἡριπεν ἐξαίφνης γὰρ, ὑπόσεγος εὔτε δι' αὐτῆς  
 Ῥήγυλος ἐξελάων ἦγε δῦῖππον ὄχον.

1. *Itur ad Herculeas gelidi* codex Thuan. *Intus ad Herculeas gelidi quam* Beverlandi MS. — *Herculei.* Hercules enim Tibure colebatur. Tibur hodie *Tivoli*, ad *decimum* ab Urbe lapidem.

2. *Ganaque* Par. an. 1754, operarum lapsu procul dubio. — *Cana Albula.* Planitiem Tiburi vicinam intellige, ubi a colore albo quem a venis sulfureis trahunt, aquæ albulae dicuntur. Nunc sunt *Bagni di Tivoli*, aquæ salubres quæ in Anienem fluvium devolvuntur.

3. *Antra nemusque* codex Vos-

sianus. *Rura nemusque sacrum* Junt. — *Dilectaque jugera.* Reguli villa, oratoris, musarumque docti clientis.

4. Idem cod. Voss. *lacus* habet pro *lapis*. Mox, *æstivas præstabat porticus auras*. — *Lapis.* Singula passuum millia signabant Romani posito in via lapide; lapis ergo quartus ponitur pro quarto milliari. Tria passuum millia leucam majorem Gallicam conficiunt.

5. *Rudis.* Inelegans, rusticana.

8. Vulgo *esset*; conjicimus *isset*, quod elegantius. — *isset equis.* Et jam transisset. ED.

Nimirum timuit nostras Fortuna querelas,  
 Quæ par tam magnæ non erat invidiæ.  
 Nunc et damna juvant; sunt ipsa pericula tanti:  
 Stantia non poterant tecta probare deos.

Ἡ ῥα Τύχη μομφῆς ἡμῶν φθόνον οὐκ ἀνέμεινε  
 Τοσσατίοιο μίσους ἄχθει βριθομένη.  
 Τὰ βλάβη ὠφελεί· τῶν κινδύνου ἐστὶν ὄνασθαι·  
 Ὅρθῆ πασὰς ἐοῦσ' οὐκ ἂν ἔδειξε θεούς.

9. *Nimirum tenuit* Pulmannus, i. e. impediit. — *Nimirum timuit*. Antiqui enim, si quid secus contigisset, deos maledictis onerabant, immo eorum statuas confringebant, aut urebant ligneas. Vide lib. VIII, epigr. XL. ED.

10. *Quæ par tam magnæ*. Communem desiderantium, querentiumque, si Regulum, virum probum, interemisset, sustinere non potuisset invidiam.

11. *Nunc tot damna juvant* codex Vossianus. — *Nunc et damna juvant*. Damna quæstui sunt: eodem sensu verbum juvare sumitur, lib. III, epigr. xxxvii: « Irasci tantum felices nostis amici, Non belle facitis,

sed juvat hoc facere. » Ruina enim illius porticus, quamvis damnosa domino, fructui et utilitati est; nam eum docet se curæ esse superis; hoc igitur voluptatis lucrum nollet permutare porticu stante et incolumi. Vid. epigr. LXLXIII infra. — *Sunt ipsa pericula tanti*. Hæc pericula vel magno pretio sunt subeunda, quæ argumento nobis sunt deos esse clementes et justos, viris bonis faventes.

12. Beverlandi MS. *probare Deum*. — *Probare*. Æquos et probos eos esse ostendere. — Longe aliter de Regulo sentit Plinius junior, lib. I, epist. 5. Nescio an idem fuerit.

## XIV.

DE ARRIA ET PÆTO.

CASTA suo gladium quum traderet Arria Pæto,

1. *Casta suo*. Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat: fuerat Pætus in ejus partibus; cui tandem mori coacto uxor Arria porrexit gladium, quo pectus suam

perfoderat, addita hac voce immortalis ac pæne divina: « Pæte, non dolet. » Sic fere Plinius junior, lib. III, epist. 16. Vide Tacitum, Annal. XVI.

Quem de visceribus traxerat ipsa suis :  
 Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;  
 Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

2. Beverlandi MS *strinxerat ipsa*.  
 3. *Si qua fides*. Si quid mihi  
 credis.

4. *Quod tu, etc.* Quia tu me ipsa  
 mihi carior es, tua vulnera gravius  
 quam mea sentio.

## XV.

LUDUS LEONIS CUM LEPORE IN ARENA.\*

DELICIAS, Cæsar, lususque jocosque leonum  
 Vidimus : hoc etiam præstat arena tibi ;  
 Quum pressus blando toties a dente rediret,  
 Et per aperta vagus curreret ora lepus.  
 Unde potest avidus captæ leo parcere prædæ? 5  
 Sed tamen esse tuus dicitur; ergo potest.

\* Vulgo inscribitur *Ad Cæsarem*;  
 quod mutavimus. — Hos leonum  
 leporumque lusus usque ad satieta-  
 tem tractat Martialis in hoc libro :  
 jamque de hoc argumento, lector,  
 epigramm. VII vidisti; infra vide-  
 bis epigramm. XXIII, XLIX, LII,  
 LI et CV : hanc luxuriantis ingenii  
 fecunditatem ipse Martialis censuit  
 excusandam, excusavitque in epigr.  
 XLV et XLVI ad Stellam missis : quæ  
 ad te ipsum missa puto, lector, et  
 vide tu ipse, an excuses. ED.

1. *Delicias leonum*. Leones se lusu  
 delectantes. — *Lususque jocosque*.  
 Quoniam feræ non cædebantur a  
 leonibus. Vide epigr. CV infra.

3. *A dente rediret*. Hoc est, ex  
 leonis dentibus dimitteretur. Vide  
 epigr. VII supra, epigr. XLIX infra,  
 et multa alia.

6. *Ergo potest*. Parcere nempe,  
 quia refert clementiam tuam, o  
 Cæsar; vel quia tibi, ut deo, feræ  
 ipsæ obediunt. Sic lib. spect. epigr.  
 XVII : « Numen sentit et ille tuum. »

## XVI.

AD JULIUM.\*

O mihi post nullos, Juli, memorande sodales;  
 Si quid longa fides, castaque jura valent :  
 Bis jam pæne tibi consul trigesimus instat,  
 Et numerat paucos vix tua vita dies.  
 Non bene distuleris, videas quæ posse negari;  
 Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.  
 Exspectant curæque catenatique labores ;

\* Hoc epigrammate Martialis epicureum illud poeticis vestit coloribus præceptum, ab Horatio sæpe jactitatum, et quod ipse non semel recinit, lib. II, epigr. LIX et XC; lib. IV, epigr. LIV; lib. V, epigr. XXI et LIX; lib. VII, epigr. XLVI; et lib. VIII, epigr. XLIV et LXXVII; scilicet: vivendum hodierno die, ne tibi desit crastinus; nam, ut ait Seneca, «dum differtur vita, transcurrit». ED. — Hoc et quæ sequuntur triginta duo epigrammata locum habent in Junt. anno 1512, et Col. anno 1528, post centesimum quartum, quod inscribitur ad Scævola. Inde inserta sunt quadraginta quinque e libro quarto.

1. Pulmannus *numerande*. Hæc duo verba sæpe confunduntur, ut ap. Stat. Achill. I, 13, Theb. III, 165, et Propert. III, 7, 17. Vide Mitsch. in epist. crit. ad Heyn. p. 62. — *O mihi post*, etc. Transcriptus hic versus ab Ovid. IV, eleg. 1, Trist. « O mihi post nullos unquam memorande sodales. »  
 2. Edd. vett. omnes, Venett. Ald. Junt. Col. Palat. Junii,

Gryph. Domit. Ramir. Pulm. aliæ, exhibent, *castaque jura*; quibus et jungit Par. an. 1754: *castaque jura* servant Scriv. Farnab. Schrevel. et Maittair. — *Longa fides*, etc. Veteris et probatæ amicitiae, per annos 34, fides. Vide epigr. xxxiv, lib. XII.

3. *Bis jam*. Annuo consulatu annos numerabant Romani.

4. *Et numerat paucos*. Vid. lib. VI, epigr. LXX, solos enim dies computabat, quibus genio indulgebat.

5. Junt. anni 1512 habet, *quod posse negari*. — *Non bene*, etc. Non prudenter feceris differendo voluptates in futurum tempus, quod incertum est.

6. *Et solum hoc ducas*. . . . nulla certa est voluptas, præter eam quæ præterit; futura enim morte præripi potest.

7. *Catenatique labores*. Catenatos vocat labores, quod, quasi catena, alii aliis ligati sunt, ita ut unus alterum secum trahat, cohærentem et connexum, aliusque ex alio assidue nascatur.

Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.  
 Hæc utraque manu, complexuque adsere toto :  
 Sæpe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.  
 Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.  
 Sera nimis vita est crastina : vive hodie.

8. Alii, ut Ald. Junt. Gryph. Pulm. legunt *remeant*, forte ex Horatiano illo : « Sic semel emissum volat irrevocabile verbum ». Sic gaudium semel omissum non remeat, sed volat fugitivum.

9. *Complexuque*, etc. Vindica, supinis manibus accipe, obviis ulnis amplectere. — *Adsere*. Ad formulam adserendi alludit. Veteres

enim in libertatem quempiam vindicaturi, manu prendebant adserebantque, adjecta hac voce : *Hum liberali causa manu adsero*. Rad.

10. *Sæpe fluunt imo*, in Junt. manifesto errore. — *Sic quoque*. Etiam si manum fortiter injeceris, sæpe excidunt. Ed.

12. *Vive hodie*. Hoc est, voluptatibus frui.

## XVII.

AD AVITUM, DE SUIS EPIGRAMMATIS.

SUNT bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,  
 Quæ legis hic : aliter non fit, Avite, liber.

2. Male interpungitur in edd. vettt. *sunt mala plura, Quæ legis ; hic aliter*, etc. — *Non fit liber*. Non potest id non evenire in libro qui

multa contineat : non possunt omnia esse optima. Vid. lib. II, epigr. VIII ; lib. VII, epigr. LXXX, ubi eadem fere sententia.

## XVIII.

AD TITUM.

COGIT me Titus actitare causas,  
 Et dicit mihi sæpe, Magna res est.  
 Res magna est, Tite, quam facit colonus.

3. Alii hunc versum interrogatorie legunt, quasi dicat : Illane

res magna est, quam quis ab aratro protractus exercere possit, e ro-



busto colono strenuus rabula mox factus? Videlib. V, XIII, v. 10.—*Res magna est.* Domitius legit per interrogationem, hoc sensu: Estne res magna quam facit colonus? coloni enim agricultura derelicta fiabant cauidici; quasi dicat Poeta: Mihi non placet illud vitæ genus, quod multi sequi possunt. Rami-

resius vero mihi videtur melius sic explicare hunc locum: Colonus, dum colit agros, multam pecuniam congerit, nempe magnam rem facit, neque tamen improbus ille labor, licet fructuosus, mihi arridet. Itaque Titus frustra invitat nostrum Poetam; mavult enim Musas colere, licet steriles, quam facere rem.

## XIX.

AD TUCCAM.\*

QUID te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno  
 In Vaticanis condita musta cadis?  
 Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?  
 Aut quid fecerunt optima vina mali?  
 De nobis facile est: scelus est jugulare Falernum, 5  
 Et dare Campano toxica sæva mero.  
 Convivæ meruere tui fortasse perire:  
 Amphora non meruit tam pretiosa mori.

\* Tuccam avarum reprehendit Martialis qui, quo minoribus convivas suas exciperet impensis, vinum pessimum cum optimo mixtum iis jubebat apponi; sicque Falernum quasi occidebat, quod, Nostris sententia, scelus capitale. ED.

1. *Falerno.* Vinum erat optimum in Campania, Italiæ regione.

2. *In Vaticanis.* Vinum erat pessimum in agro Vaticano prope Romam natum. — *Musta.* Mustum est vinum recens e racemis expressum, atque ideo parum salubre, et male dulce.

5. *De nobis facile est.* Facile tibi

venia daretur, sordide Tucca, si omnes convivas occideres; at quantum scelus et quam inexpiabile, occidere vinum, sublato ejus calore animali, et sapore corrupto! ED.

6. *Pulmannus* aliique legunt, *toxica vina cado.* — *Toxica.* Vaticana vappa, quod est quasi venenum. Toxicum autem a taxo venenosa arbore, vel a verbo τóξος, *arcus*; quia Barbari veneno tela tingunt.

8. *Amphora.* Proprie est mensura liquidorum octoginta libras Romanas continens, hic vero sumitur pro vase vinario.

## XX.

AD ÆLIAM.

SI memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes :  
 Exspuit una duos tussis, et una duos.  
 Jam segura potes totis tussire diebus;  
 Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

1. *Expulit codex Bodleianus.* supersunt dentes. Vide lib. III, epigr. XCII, v. 2; et lib. II, epigr. XLI, v. 6 et 7.  
 4. *Nil tibi quod tollat legit Pulmannus.* — *Nil istic.* Quia nulli

## XXI.

AD CÆCILIANUM.

DIC mihi, quis furor est? turba spectante vocata,  
 Solus boletos, Cæciliane, voras.  
 Quid dignum tanto tibi ventre, gulaque precabor?  
 Boletum, qualem Claudius edit, edas.

1. *Dic mihi*, etc. Sub persona Cæciliani, inhumanum hospitem insectatur, qui non tam vocarat amicos ad convivium ut mensæ indulgerent, quam ut optima quæque vorantem spectarent, cibis vilioribus, potius objectis quam appositis, non bene pasti; idem queritur Juvenalis, sat. V, et Martialis ipse, lib. II, epigr. LXIII, etc.  
 2. *Boletos.* Optimi saporis fungos, quos auro atque argento præfert, lib. XIII, epigr. XLVIII.  
 3. Junt. an. 1512 habet: « Quid dignum tanto ventrique gulæque precabor? » et sic legunt Gruterus et Scriverius. Codex Bodleianus exhibet: « Quid dignum tanto venerique gulæque precabor? »  
 4. *Qualem Claudius.* Claudii uxor Agrippina, imperium filio suo Neroni maturare cupiens, boletum veneno infectum marito hujus cibi avidissimo apposuit, quo extinctus est. Juven. sat. V. « Vilibus ancipites fungi ponentur amicis, Boletus domino; sed quales Claudius edit Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit. » Hinc Nero fungum jocans appellabat cibum deorum, Claudio, ut mos erat Romanis, consecrato et inter deos annumerato. — *Edas.* Scilicet moriaris, inhumane convivator. ED.

## XXII.

DE PORSENA ET MUCIO SCÆVOLA.

QUUM peteret regem decepta satellite dextra,  
 Ingessit sacris se peritura focis.  
 Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,  
 Et raptum flammis jussit abire virum.  
 Urere quam potuit contempto Mucius igne,  
 Hanc spectare manum Porsena non potuit.  
 Major deceptæ fama est et gloria dextræ :  
 Si non errasset, fecerat illa minus.

1. *Dum peteret* Ald. Junt. Gryph. Colin. Pulm. Jun. aliæque vett. — *Quum peteret*. Hæc historia Porsenæ et Mucii Scævolaë satis nota est ex Livio, lib. II; vid. quoque Senecam, epigr. xxiv. — *Satellite*. Scriba scilicet, quem cum rege sedentem pari fere ornatu, obtruncavit.

2. *Injecit* Ald. Junt. Gryph. Colin. Pulm. Jun. aliæque vett. — *Sacris focis*; accenso ad sacrificium foculo.

3. *Sæva miracula*. Mirabilem viri generosi, at sævam et noxiam domino, fortitudinem. — *Pius*. Clementior erga Mucium, quam ipse Mucius erga se.

8. *Fecerat illa minus*. Pro *fecisset* more loquendi græco. Similiter Seneca: « Confecit bellum inermis ac mancus, et illa trunca manu reges duos vicit, Porsenam et Tarquinium. » Enim vero si regem occidisset Mucius, forsitan qui supererant, eum ulturi permansissent usque ad Urbis expugnationem: effecit error, ut Porsena, audita Mucii oratione, timuerit et accesserit; ergo minus fecisset hæc dextra, occidendo regem, quam errando et ignem deinceps patienter tolerando. Vide, lib. VIII, epigr. xxx; et lib. X, epigr. xxv, fictos Scævolas in spectaculis exhibitos.

## XXIII.

DE LEONE ET LEPORE.

QUID non sæva fugis placidi, lepus, ora leonis?

1. *Quid non sæva* in nonnullis exemplaribus; non male, inquit Pulmannus, propter *placidi* quod sequitur; alii *nunc sæva*: utraque

Frangere tam parvas non didicere feras.  
 Servantur magnis isti cervicibus ungues,  
 Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.  
 Præda canum lepus est, vastos non implet hiatus: 5  
 Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

tamen lectio probari potest. Gronovio, ut et Dousæ, *non sæva* vera lectio videtur; Grutero et Scriverio placet *nunc sæva*. Mira ἐνέργεια inest τῷ *nunc*; quasi dicat: Quid nunc timidus fugis ora leonis; qui nunquam alias timendi causam habes? non solet enim leo istius modi vilem prædam venari. Ita *nunc* cum emphasi interdum pronuntiandum. Cf. Spectac. epigr. VIII, et Ovid. Trist. IV, 1, 93.

2. *Frangere*. Dilaniare.

3. *Servantur*. Leones unguium mucronem quadam cura servare testis est Plinius, lib. VIII, c. 15: « Mirum pardos, pantheras, leones, et similia condito in corporis

vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi, aversisque falculis currere, nec nisi appetendo protendere. — *Magnis cervicibus*. Taurorum puta, cervorum, aprorum, etc. Vide epigr. VII, infra, et xv supra.

5. *Vastos*. Leonum.

6. *Dacus puer*. Proprium est magnanimitatis hostibus exarmatis et imbellibus parcere: aquila contemnit muscas, leo lepores; Domitianus pueros Dacorum negligit, viros tantum, quibuscum pugnet, quærit. — *Dacia* comprehendit hodie Transylvaniam, Moldaviam, et Walachiam. — *Cæsaris*. Dacis bellum intulit Domitianus.

## XXIV.

AD COTTAM.\*

INVITAS nullum, nisi cum quo, Cotta, lavaris,  
 Et dant convivam balnea sola tibi.  
 Mirabar, quare nunquam me, Cotta, vocasses:  
 Jam scio, me nudum displicuisse tibi.

\* In hoc epigrammate exhibendo nullo modo variant codd. et impressi.

1. *Invitas nullum*. Sub persona Cottæ carpit effeminatos et molles homines, qui in balneis bene mu-

toniatos subnotabant, quos inde ad convivia, a conviviis vero ad lectum deducerent.

4. *Jam scio*. Quippe mutatio mensura tibi non placuit. Lib. III, epigr. LI et LXXIII; et lib. VII, epigr. LIV.

## XXV.

AD DECIANUM.

ASPICIS incomptis illum, Deciane, capillis,  
 Cujus et ipse times triste supercilium;  
 Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos?  
 Nolito fronti credere, nupsit heri.

1. *Adspicis incomptis illum* in quibusdam libris; in aliis *illum*.

2. *Et ipse*. Licet stoicus severissimus; vid. epigr. IX supra et infra, epigramm. XL. — *Triste supercilium*. Vultus ac frontis austeritatem.

3. Pro *Curios* Pulmannus legit *Varos*; sed recepta lectio magis placet. — *Qui loquitur Curios*. Qui priscorum Romanorum mores duros et rigidam continentiam semper in ore habet, assiduus laudator. ED. — Vel qui grandia et severa verba profert digna probis illis viris; sic Juven. sat. 2: « Qui Curios simulat, et Bacchanalia vivunt. » — *Assertores*. Romam in libertatem asseruit Camillus.

4. *Nolito fronti*. Sic Juven. ibid.

« Fronti nulla fides. » Vid. lib. VII, epigr. LVIII, v. 10. — *Nupsit heri*. Muliebria passus est: « Inter Socraticos notissima fossa cinædos. » Vel etiam vere nupsit, ut Nero Pythagoræ cuidam, Sulp. II Histor. sacræ; ipsi Sporus, Sueton. cap. 28, Ner. Gracchus Cornicini, Juv. sat. 2. Quin etiam eo dementiæ cinædi isti deveniebant, ut existimarent posse se concipere, et beneficia ac medicamenta ad id compararent. Vid. Juven. sat. 2, vers. 140; et lib. XII, epigr. XLII, v. 5 et 6: « Dos etiam dicta est; nondum tibi, Roma videtur Hoc satis? exspectas numquid et ut pariat? »

## XXVI.

AD FAUSTINUM. \*

EDE tuos tandem populo, Faustine, libellos,  
 Et cultum docto pectore profer opus;

\* Hic exemplaria scripta et excusa non variant.

1. *Ede tuos*. Hortatur Faustinum, ad quem multa sunt infra epigrammata, ut sua scripta publici tan-

dem juris faciat, præmiumque laborum, nominis celebritatem exspectet.

2. *Et cultum d. pectore*. Pectus sumitur pro ingenio.

Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,  
 Nec sileant nostri prætereantque senes.  
 Ante fores stantem dubitas admittere famam,  
 Teque piget curæ præmia ferre tuæ?  
 Post te victuræ, per te quoque vivere chartæ  
 Incipiant : cineri gloria sera venit.

3. *Cecropiæ*. Cecrops, gente Ægyptius, migravit cum colonis in Atticam, Actæi regis affinitatem, et regni successionem virtute promeritus est; monstravit olivæ usum, condidit arcem, et urbem Athenas. Pandion quoque regnavit Athenis. Reineccius, de Familiis.

4. *Nostri*. Latini; Poeta ergo intelligit opus Græcis et Latinis laudandum. — *Nec prætereant*. Omne laudis punctum illi tribuant. Metaphora a suffragiis quæ in tabulas cereas referebantur per puncta: e quibus plurimorum censu magi-

stratus *creari*; pauciorum, a populo *agitari*: nullorum, *præteriri* candidatus dicebatur. Horat. ad Pisones: *Centuriæ seniorum agitant*, etc. — *Senes*. Qui maturiores iudicii; vel alludit ad centurias seniorum, ut modo.

7. *Per te*. Te illas evulgante, quasi vitam accipiant.

8. *Cineri gloria*. His verbis hortatur Faustinum, ut vivens et sentiens sua fruatur fama et gloria. Quod ipse de se testatus est, epigr. II supra, lib. V, epigr. XIII, v. 4; et lib. III, epigr. xcv, v. 8.

## XXVII.

## AD SEXTILIANUM.

SEXTILIANE, bibis quantum subsellia quinque  
 Solus : aqua toties ebrius esse potes.  
 Nec consessorum vicina numismata tantum,

1. *Subsellia quinque*. Hoc est, quantum quinque equites qui subsellia in quatuordecim ordinibus occupabant. Est Synecdoche. De Sextiliano jam dictum, epigr. XII supra. Vid. lib. V, epigr. VIII: «Edictum Domini Deique nostri, Quo subsellia certiora fiunt Et puros eques ordines recepit.»

2. *Musamber*. legit cum interrogatione: *aqua toties ebrius esse potes?* — *Aqua toties*. Hyperbole ironica.

3. *Nec consessorum* in ed. Plantiniana, i. e. vel a rege convivii, vel a principe: Junt. an. 1512 habet *confessorum*, errore manifesto. — *Nec consessorum*. Nec tantum ad vinum nummos corrogas ab as-

Æra sed a cuneis ulteriora, petis.  
 Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis; 5  
 Uva nec in Tuscis nascitur ista jugis :  
 Testa sed antiqui felix siccatur Opimi,  
 Egerit et nigros Massica cella cados.  
 A caupone tibi fæx Laletana petatur,  
 Si plus quam decies, Sextiliane, bibis. 10

sidentibus in eodem gradu, sed et petis æra ab ulterioribus cuneis: id est, ab iis qui a fronte infra vel a tergo supra sedent. Sunt qui de missilibus intelligunt, quæ ille bibo undequaque rapiebat. — *Numismata*. Non sportulas integras, quarum unaquæque bis quina numismata continebat (epigr. XII supra); sed summam aliquam reliquam, quæ supererat Sextiliani vicinis, parce hibentibus, nec decem consumentibus nummos.

4. Pro *petis*, Pulmannus legit *bibis*; alii, *a cunctis ulteriora petis*. — *Cuneis*. Ordines theatri, in quibus erant gradus spectantium sive subsellia, vocabantur cunei, quia sensim augebantur, ab ima cavea ad summum theatrum crescendo; ut cuneus ab imo acumine in latum caput crescit.

5. In quibusdam *p<sup>3</sup>mitur vindemia prælis*, i. e. *premitur*; male, propter alliterationem. — *Non hæc*. Vindemia illa, id est, vinum quod bibis, non est pressa Pelignis prælis: non bibis vinum deterioris notæ, quale est Pelignum, vel Tusculanum, sed Opimianum, etc.... — *Pelignis*. Peligni sunt mediæ Italiæ populi, in Abrutio prope Vestinos: in eorum agro erat vi-

num pessimum, ut et in Tuscia. Ea regio nunc dicitur *Valva*. Sulmo, urbs Pelignorum, patria Ovidii.

7. *Opimi*. Lucio Opimio consule, anno ab Urbe condita 633, ante J. C. 119, vini optimi felix et ingens Italia tota proventus fuit: quod, in testas seu amphoras diffusum, in annos 200 duravit.

8. *Egerit*. Promit, profert. Jubes e cella tua afferri vinum Massicum, quod est ruboris pæne fuscii. — *Massica*. Massicus mons in Campania fuit, vini generosi ferax. Nunc est in ea parte Italiæ quæ vocatur *Terra di Lavoro*, in regno Neapolitano. *Monte Marsico* appellatur, inter Minturnas et Calenum.

9. Quidam legunt *Lacetana*. — *Fæx Laletana*. Hoc est, vinum turbidum; lib. VII, epigr. LIII, v. 6: « Et Laletanæ nigra lagena sapæ. » Laletania est pars Catalauniæ, inter Gerundam et Tarraconem.

10. *Si plus quam*. Potiores honesti et moderati non plures quam decem cyathos haurire consueverant. Vidé Lipsium in suo convivio antiq. lib. III, ubi ait: « Decem cyathi summa potio sunt. » Si decimum transit Sextilianus, bibit vile vinum, ut quantitatem qualitate compenset.

## XXVIII.

AD PROCILLUM, CONVIVAM NIMIS MEMOREM.

HESTERNA tibi nocte dixeramus,  
 Quincunces, puto, post decem peractos,  
 Cœnares hodie, Procille, mecum.  
 Tu factam tibi rem statim putasti,  
 Et non sobria verba subnotasti,  
 Exemplo nimium periculoso.  
 Μισῶ μνήμονα συμπότην, Procille.

5

2. *Quincunces*, etc. Quinque cyathos continet quincunx; dividitur enim sextarius (ut As in duodecim uncias) in cyathos duodecim: 1 uncia, 2 sextans, 3 quadrans, 4 triens, 5 quincunx, 6 senus, 7 septunx, 8 bes, 9 dodrans, 10 dextans, 11 deunx, 12 sextarius. — *Peractos*. Exhaustos; itaque ebrius te per jocum invitaram, tu serio et sobrie accepisti.

4. *Rem factam*. Rem facere significat multum lucrari. Horat. « Isne tibi melius suadet, qui ut rem facias, rem Si possis recte, si non, quocumque modo rem? »

5. *Subnotasti*. Lucro lætus, memoriæ fideliter commisisti. Ed.

6. *Exemplo*. Esset enim nimis periculosum exemplum, si quæ ab

ebrio excidunt, essent notanda: et si per jocum dicta vel inter pocula, serio accipias, et sic convivæ periculum crees. Hic tamen de promissionibus tantum vocationum in cœna factis loqui videtur. *Raderus*.

7. In edit. Junt. et aliis vett. Μισῶ μνάμονα συμπότην πρόκιλλε. Heraldus malit μνάμονα συμπόταν. vide Lucian. in Symposio, et Plutarch. Quæst. Sympos. lib. I, c. 1.

— Μισῶ, etc. Odi, o Procille, memorem compotorem. Enim vero lepidam ab ebrio convivatore factam invitationem tam diligenter memoriæ mandare, aliquid habet gulosi avidique hominis, semper quasi in excubiis stantis, si quam forte cœnam arripere, et prætereuntem occupare possit. Ed.



## XXIX.

DE ACERRA.\*

HESTERNO foetere mero qui credit Acerram,  
Fallitur : in lucem semper Acerra bibit.

\* Nihil in hoc epigrammate variant exemplaria.

1. *Acerram*. Nomen est viri in hoc loco; alias thuribulum significat.

2. *In lucem*. Usque in diem. Hesternum convivium nocte inchoa-

tum protrahit in auroram, ideoque hodierno semper mero foetet, non tantum hesterno. Sic quasi excusando gravius accusat : qui totos dies potare Acerram credit, fallitur; potat etiam totas noctes bibo ille indefessus semperque recens.

## XXX.

AD FIDENTINUM, PLAGIARIUM.

FAMA refert nostros te, Fidentine, libellos  
Non aliter populo, quam recitare tuos.  
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam.  
Si dici tua vis; hæc eme, ne mea sint.

1. Est jocus in eundem Fidentinum plagiarium, quem multis infra in locis pungit Noster. Vid. epigr. xxxix, xliii et xliv, lxxiii; et forsitan lxxvii, ubi furem, quem non nominat Martialis, Fidentinum esse conjici potest. Ed.

2 et sq. Nec in hoc quicquam variant aut manuscripti aut libri impressi. Sed male interpungitur in ed. Langii: *Si dici tua; vis, hæc eme, etc.*

4. *Ne mea sint*. Lege lib. II, epigr. xx: « Nam quod emas possis dicere jure tuum. »

## XXXI.

## DE DIAULO MEDICO.

CHIRURGUS fuerat, nunc est vespillo Diaulus.  
Cœpit, quo poterat, clinicus esse modo.

1. *Chirurgus.* Chirurgus qui vulneribus manu facit medicinam nobilior est clinicus (κλίνη, lectus), qui ægros visit, et eorum lectis assidet. Quum igitur e chirurgo fieri clinicus vellet Diaulus, nec ob ingenii tarditatem posset, vespillonis munus sumpsit, mortuos efferentis. — Sic circa lectos versatus est Diaulus, vespillo, quum non posset versari medicus, et clinicus quodammodo factus est; κλίνη enim et lectum et feretrum significat. — *Vespillo.* Sic vocatus a verbo *vesper*, quoniam majores sub noctem sepelebantur. Vid. epigr. xli infra.

2. In omnibus codd. et edd. vett. *Cœpit quod poterat.* Lectio nostra debetur Lipsio, epist. Quæst. I, 5. — *Clinicus.* Clinici medici erant dicti, ἀπὸ τῆς κλίνης: hoc est, a lecto, quod ægrotos lecto jacentes viserent curarentque. Jocans Martialis ait ex chirurgo Diaulum esse factum clinicum, sed non potuisse aliter esse clinicum quam efferendo cadavera, ut indicet Diaulum factum esse vespillonem, qui efferret cadavera, et sic clinicus posset appellari; nam in κλίναις efferebantur mortui: ludit Noster in ambiguitate verbi.

## XXXII.

## DE ENCOLPO, PUERO PUDENTIS.

Hos tibi, Phœbe, vovet totos a vertice crines  
Encolpus, domini centurionis amor:  
Grata Pudens meriti tulerit quum præmia pili,  
Quam primum longas, Phœbe, recide comas.  
Dum nulla teneri sordent lanugine vultus,

1. *D'Orleans* legit *tortos*, quia calamistrati illi capilli et retorti. Aliquando putabam *tonsos* esse legendum, et sic tandem reperio in margine Junt. me penes, hoc modo, *tēsos*. — *Hos tibi*... Encolpus puer servus et amasius Pu-

dentis centurionis, voverat Phœbo crines, si dominus et amator ejus ad primipilarem dignitatem eveheretur; cujus voti reus factus, abscidit comam, lib. V, epigr. lxi. — *Totos.* Hinc pueri mirum desiderium, et voti pretium extollit.

Dumque decent fusæ lactea colla jubæ :  
 Utque tuis longum, dominusque, puerque fruatur  
 Muneribus, tonsum fac cito, sero virum.

6. Sunt qui hoc loco legant,  
*fusæ lactea colla comæ.*

7. Pro *fruatur Pulmannus* habet  
*fruatur. Utraque lectio probari*  
*potest.*

8. *Tonsum, etc.* Compotem voti,  
 ut *Pudens* fiat primus primæ co-  
 hortis centurio. — *Sero virum.*  
 Quo diutius amore ejus fruatur  
 dominus.

### XXXIII.

#### AD SABIDIUM.\*

NON amo te, Sabidi, nec possum dicere quare :  
 Hoc tantum possum dicere, non amo te.

\* *Ad Savidium* in ed. Pulmanni.  
 1. *Non amo te Savidii* idem Pul-  
 mannus. — *Nec possum.* Vel quod  
 tota Sabidii natura, vultus, mores,  
 inter eum et Martialem quamdam  
 crearent *antipathiam* : vel argutius ;  
 merito te odi, neque tamen per

modestiam licet effari odii mei cau-  
 sam : vel propter oris tui impuri  
 graveolentiam non sustineo apud te  
 longiore uti sermone, hoc tantum  
 dico ; non amo te. Hujus sensus  
 fidem facit epigr. XVII, lib. III ;  
 alioquin subtilius videtur.

### XXXIV.

#### DE GELLIA.

AMISSUM non flet, quum sola est Gellia, patrem ;  
 Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrymæ.  
 Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit ;  
 Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

2. *Jussæ.* Fletum juxta ac risum  
 semper paratum habet fœmina. Ju-  
 ven. sat. VI. « Uberibus semper  
 lacrymis, semperque paratis In sta-  
 tione sua, atque expectantibus  
 illam Quo jubeat manare modo. »

3. In edd. vett. Ald. Junt. Colin.  
 Gryph. aliis : *Non luget, quisquis* ; et  
 sic legit Sriverius. *Sic luget, quisquis*  
 in codice Bodl. — Sæpius mordet  
 hanc Gelliam Poeta, lib. III, V et  
 VIH. — *Laudari.* Ob pietatem fictam.

## XXXV.

AD LESBIAM.

INCUSTODITIS et apertis, Lesbia, semper  
 Liminibus peccas, nec tua furta tegis:  
 Et plus spectator, quam te delectat adulter;  
 Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.  
 At meretrix abigit testem veloque seraque; 5  
 Raraque Summœni fornice rima patet.  
 A Chione saltem, vel ab Helide disce pudorem:  
 Abscondunt spurcas et monumenta lupas.  
 Numquid dura tibi nimium censura videtur?  
 Deprendi veto te, Lesbia, non futui. 10

1. *Incustoditis*. Sine janitore. Solebant enim janitores servi ad valvas stare. Ovid. lib. I Amorum, eleg. 6, dominæ janitorem multis versibus alloquitur. — *Et apertis*. Poterant fores non custodiri, et tamen esse clausæ; sed utroque furorem Lesbiæ expressit magis.

2. Pulmannus legit *facta*, sed minus apposite. Vide Tib. I, 2, 34. — *Furta*. Furtiva Veneris gaudia.

5. *At meretrix*. Sic Ovid. Amor. III, 13. « Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti Opposita populum summovet ante sera. » — *Veloque seraque*. Velo ex centonibus januæ appenso, ne per forium rimas intropici possit.

6. *Raraque, si memini* in edd. vett. *Summæni*, pro *Summæni*, jam pridem correxerunt viri docti; aliis placet, ut sit ablativus adjective. — *Summæni*. Contr. pr. *Summæni*;

id est, lupanarium in Summœnio; namque illic habitabant meretrices, unde dicebantur uxores Summœnianæ. Farnab.

7. In quibusdam vett. *vel alaudæ*; in aliis, *vel ab Laide*; legitur etiam *vel ab Iade*; Beverlandi MS. *vel ab Hellade*. Vide Inscript. Sicul. p. 69. — *A Chione vel Helide*. Notissima nempe erant illius temporis scorta.

8. Nonnulli libri habent *et monumenta*, et sic legendum putat Heraldus. Alii *hæc monumenta*. — *Abscondunt*. Has meretrices bustuarias mæchas appellat, lib. III, epigr. xciii, v. 15, quæ scilicet extra urbem inter sepulchra mancipiis vilissimis prostitutebantur.

10. *Deprendi vero*. Schrevelius ann. 1656 et 1671. — *Deprendi*. Hoc verbum solemne est de iis qui in aliquo crimine et re turpi inveniuntur. Gallice: *être pris sur le fait*.

## XXXVI.

AD CORNELIUM.

VERSUS scribere me parum severos,  
 Nec quos prælegat in schola magister,  
 Corneli, quæreris : sed hi libelli,  
 Tanquam conjugibus suis mariti,  
 Non possunt sine mentula placere. 5  
 Quid si me jubeas Thalassionem  
 Verbis dicere non Thalassionis?  
 Quis Floralia vestit, et stolatum  
 Permittit meretricibus pudorem?  
 Lex hæc carminibus data est jocosis; 10

2. *Nec quos perlegat* in omnibus codd. et edd. vett. Sic lib. VIII, epigr. III, olim legebatur *perlegat*, pro *prælegat*. — *Prælegat*. Quum enim versus quidam sint obscœni, non omnia epigrammata leguntur in schola. Vid. lib. VIII, epigr. III, v. 15.

3. Junt. anni 1512 habet, *sed ii libelli*; male.

6. *Thalassionem*. Vide Tit. Liv. lib. I, cap. 9; « Unam (ex Sabinis mulieribus raptis) longe ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo Thalassii cujusdam raptam ferunt; multisque sciscitantibus cui nam eam ferrent, identidem ne quis violaret, Thalassio ferri clamitatum : inde nuptialem hanc vocem factam. » Thalassio ergo carmen erat solenne conviciis Fescenninis joculariter plenum, quod in nuptiis, omni cum verborum lascivia, cani solebat. Ed. — Itaque ineptus videretur, qui Thalassio-

nem verbis honestis celebrari juberet : eodem modo ineptus est ille, qui vult epigrammata scribi verbis non lascivis; epigrammata enim amant verba lasciva, aperta, et dominantia. Vide lib. XII, epigr. XLII; Senecam in Medea, chor. I, vers. 58; Catullum in epithalamio Manlii, etc.

7. *Non Thalassionis*. Non Thalassioni convenientibus.

8. *Quis Floralia*, etc. Si quis poscat, ut in Floralibus (de quibus supra, epigr. III) non nudæ agant meretriculæ; si quis in togatis meretricibus requirat pudorem matronarum, quarum propria est stola; aut si quis stola matronali tegi velit meretrices; desideret idem in epigrammatis verecundiam, quod utique absurdum æque erit. — *Stolatum pudorem*. Id est stolam, pudoris indicem, quæ vestis erat matronarum, et qua uti vetabantur meretrices.

Ne possint, nisi pruriant, juvare.  
 Quare deposita severitate,  
 Parcas lusibus et jocis, rogamus :  
 Nec castrare velis meos libellos.  
 Gallo turpius est nihil Priapo.

15

11. *Nec possunt* uterque Palat. et sic etiam legit *Ramires de Prado*. — *Ne possint*. Vid. Catul. epigr. XVI.

13. *Parces Junt*.

14. *Castrare*. Petulantiam, verba lasciva et libidinosa tollere.

15. *Gallo turpius*, etc. Galli, sacerdotes matris deorum, erant om-

nes castrati. Priapus hortorum præses prægrandi pene (ut Veneris filium decet) conspiciendus. Ut itaque minime deceret Priapum (cujus sola admiratio in hac parte) castrari, ita nec epigrammata (quæ lascivia et aculeo maxime placent) pruritu orbari.

## XXXVII.

AD LUCANUM ET TULLUM.\*

Si, Lucane, tibi, vel si tibi, Tulle, darentur,  
 Qualia Ledæi fata Lacones habent;  
 Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,

Εἴ ποτε σοῖ, Λουκανὲ, καὶ εἴ τοι, Τύλλε, δοθείη,  
 Οἷη τῆς Λήδας μοῖρα Λάκωσι πέλει·  
 Εἴη κ' ἀμφοτέροις ἀγάπης ἔρις ἤδε κρατίστη,

\* Nobile par fratrum, Lucanum et Tullum, laudat Martialis, ut Plinius junior, lib. VIII, epist. 38, et cum Castore ac Polluce confert. Lege epigr. xciv, de Aquino et Fabricio, infra.

1. *Si Lucane*. Si vobis, o Lucane, et Tulle, fratres conjunctissimi, daretur eadem alternis vicibus vivendi et moriendi conditio quæ Castori et Polluci data est, Ledæ Lacedæmoniæ filiiis.... Vid. lib. IX, epigr. civ.

I.

2. *Fata Lacones*, etc. Pollux, quum immortalis esset, quia patrem habebat Jovem, ab eo petiit, ut Castor frater, qui mortalis erat (utpote qui ex Tyndaro patre, licet ex eadem matre natus), simili gauderet immortalitate. Quum recusaret Jupiter, saltem id exoravit Pollux, ut immortalitatem suam cum fratre communicaret, atque ita alternim viverent ac morerentur. Fuit deinde uterque cælo adscriptus et

6

Quod pro fratre mori vellet uterque prior.

Diceret, infernas et qui prior isset ad umbras,

Vive tuo, frater, tempore, vive meo.

Ὡς' ἄλλου σπεύδειν, ἄλλον ὑπερθανέειν·  
Καί κε λέγοι καταβάς ὁ παροίτερος εἰς αἴθρα·  
Ζῆθι τὸ σὸν, ζῆσον τοῦμὸν, ἀδελφὲ, μέρος.

inter ejus constellationes collocatus. 5. Venet. Ald. Junt. Colin. et  
4. *Uterque prior*. Prior mortuus alia vett. *si quis prior*.  
est Lucanus; vid. lib. IX, epigr. LII. 6. *Vive tuo*. Hoc est, in tene-  
Eosdem fratres nominat quoque bris semper manebo, ut tu luce  
Martialis, lib. III, epigr. xx, v. 17. semper fruaris.

### XXXVIII.

AD BASSAM.\*

VENTRIS onus misero, nec te pudet, excipis auro,  
Bassa : bibis vitro : carius ergo cacas.

\* Inscriptio est in cod. Thuan. 2. Cod. Thuan. exhibet : *Basse:*  
*Ad Bassum.* *bibis*, etc. — *Bassa*. Hanc multis  
1. *Misero auro*. Quia stercorei ser- in locis nominat Poeta. Vid. infra  
viebat. Vid. lib. XI, epigr. XII; epigr. xci; lib. IV, epigr. iv et  
Plin. lib. XXXIII, cap. 12. LXXXVII; lib. V, epigr. XLV, etc.

### XXXIX.

AD FIDENTINUM.\*

QUEM recitas, meus est, o Fidentine, libellus :  
Sed male quum recitas, incipit esse tuus.

\* In hoc epigrammate nil variant videbuntur. De Fidentino, vilioris  
exemplaria scripta, aut excusa. notæ Poeta, agit adhuc epigr. LIV  
2. *Sed male*. Versus enim, licet infra, et epigr. xxx supra, et forsall  
boni, si male pronuntientur, mali epigr. LXVII, infra.

## XL.

DE DECIANO. \*

Si quis erit, raros inter numerandus amicos,  
 Quales prisca fides, fama que novit anus;  
 Si quis Cecropiæ madidus Latiaque Minervæ  
 Artibus, et vera simplicitate bonus;  
 Si quis erit recti custos, mirator honesti,  
 Et nihil arcano qui roget ore deos;  
 Si quis erit magnæ subnixus robore mentis,  
 Dispeream, si non hic Decianus erit.

\* In omnibus, *Ad Decianum*; eundem Decianum, stoicum philosophum, cujus supra epigramm. IX, dogmata laudavit, et ad quem misit epigr. XXV, nunc magnifico extollit Martialis præconio, amicus amicum. De eodem quoque mentio est, infra, epigr. LXII, v. 10. ED.

2. In Venet. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. et aliis vet. *fama que novit avos*. Vide lib. XII, epigr. IV, 4, et Catull. carm. LXVIII, 45. — *Quales*. Priscos illos propter amicitiam sincere cultam decantatos, Pirithoum et Theseum, Damona et Pythiam, Pyladem et Orestem, etc. — *Fama anus*. Id est, fama vetusta, diuturna, multis retro seculis celebrata.

3. *Cecropiæ*. Atticæ. Cecrops rex primus fuit Atheniensium. Minerva Attica pro Græcarum litterarum cognitione ponitur. Latia pro latina eruditione. Vid. epigr. XXVI sup. — *Madidus*. Non leviter tin-

ctus litteris, sed omnino imbutus.

4. *Simplicitate*. Simplicitas ac bonitas summa olim hominis probi atque pæne sola commendatio erat. Postquam vero hæ virtutes aliorum malitiæ, calliditati et fraudi expositæ esse cœperunt, *bonos, simplices, minime malos, εὐθεις, χρηστούς*, appellarunt homines parum cautos, et sæpe stolidos. *Herald*.

5. In iisdem edd. et multis aliis, *imitator honesti*. Lect. nostram servant Thuan. et optimi quique codices, eamque probat Gronovius.

6. *Arcano ore*. Nam qui clam deos precabantur, improba vota facere censebantur. In quos Persius invehitur, sat. II: « Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros Tollere de templis, et aperto vivere voto. »

8. *Ne valeam, si non* in marg. Junt. ap. Ed. — *Decianus*. Vide supra, epigr. IX et XXV, et infra lib. II, epigr. v.



## XLI.

IN INVIDUM.\*

QUI ducis vultus, et non legis ista libenter,  
Omnibus inideas, livide; nemo tibi.

Ὅς συσπᾶς τὰ πρόσωπα, καὶ ἄσμενος οὐ τὰ δ' ἐπέργως,  
Πᾶσι σὺ μὲν, μήδ' εἷς, βασκαε, σοὶ φθονέοι.

\* In omnibus sic, *Ad Lividum*. in Plantinianis hic κυριακῶς scribitur littera majuscula; est enim mobile nomen. Hanc opinionem adoptare minime dubitavimus. Ed. — *Nemo tibi*. Ille enim omnium miserimus est, cui nemo invidet.

1. *Qui rugas vultus* in marg. Junt. penes Editorem. — *Ducis*. Rugis vultum contrahis.

2. *Ramires de Prado* legit *livide*, litera minori; cum hac nota: Male

## XLII.

IN CÆCILIAM.\*

URBANUS tibi, Cæcili, videris.  
Non es, crede mihi. Quid ergo? verna es.  
Hoc quod Transtiberinus ambulator,

\* Hoc epigrammate, urbanitatem a scurrilitate secernit Martialis, Cæciliam quemdam inducens, quem egregie urbanum se existimantem, illepidissimo cuique circulatori, rustice et male dicaciter jocanti comparat. Ed.

1. *Urbanus*. Egregie lepidus.  
2. *Verna*. Servus nempe qui domi natus est ex ancilla, sumitur hic pro scurra impudenti et procaci. De vernularum importuna licentia

et scurrilitate multa sunt apud Horatium, Senecamque, etc.

3. Junt. an. 1512, et Colin. 1528, *transtiberinus*. — *Hoc quod*. Nempe hoc es, quod est ille, etc. Sequuntur exempla hominum scurriliter procacium, quales sunt abjectæ conditionis homunciones. — *Ambulator*. Mercator circumforaneus vias obambulans, vilissimas merces clamitando vendendas, et dictis quibusdam scurrilibus emptores aucu-

Qui pallentia sulfurata fractis	
Permutat vitreis : quod otiosæ	5
Vendit qui madidum cicer coronæ :	
Quod custos dominusque viperarum :	
Quod viles pueri salariorum :	
Quod fumantia qui tomacla raucus	
Circumfert tepidis coquus popinis :	10
Quod non optimus Urbicus Poeta :	

pando. — *Transtiberinus ambulator.* In ea parte Urbis, quæ trans Tiberim erat, habitabant Judæi, viliores personæ, et cætera plebecula quæ sordidissimis victitabat serviitiis. Cic. XII Attic. 23. Olim apud Romanos Judæi præcipue, circumeuntes per urbem, offerebant sulfurata, gallice *des allumettes*, ut pro illis vitrea fracta reciperent. Et hodie Romæ multi ex eo genere sic vitam tolerant. De more autem veteri adducenda sunt testimonia Juvenalis, cujus carmina continet sequens nota; et Nostri XII, epigr. LVII, 14. ED.

4. *Sulfurata.* Gallice *allumettes*, quæ vitreis fragmentis commutari solere docet etiam Juvenalis, sat. V, 46: «Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam Quassatum, et rupto poscentem sulfura vitro.» Et lib. X, epigr. III, v. 3: «Quæ sulfurato nolit empta ramento Vatiniorem proxeneta fractorum.»

5. *Otiosæ.* Qui plebeculæ feriatæ, Circo scenæque vacanti et duas res anxie optanti, Panem et Circenses, cicer maceratum venditat.

6. *Madidum cicer.* Hoc est, crudum et aqua maceratum, quo facilius coquatur.

7. *Quod custos.* Præstigiator qui

collo et brachiis implicitas circumferebat vyperas, quasi incantatas, ut innoxia essent: vel adversus noxiarum ferarum morsus se medicamentis munierat sanarave, ut theriacis et alexipharmacis quæ venalia gestabat fidem faceret; ejusmodi vero homines dicteria scurrilia in quemvis jaciebant.

8. *Pueri.* Aut servi, aut filii; dicaces ut qui in tabernis negotiantur. — *Salariorum.* Salarium dicuntur qui salsamenta vendunt.

9. *Tomacula.* Farcimina quædam quæ nomen habent a frequenti incisione; nam *τέμνω* significat incido; ex porcorum abdomine, testiculis, et carnibus minute concisis fiebant.

10. *Circumfert Junt.*

11. *Non optimus Urbicus.* Id est, Exodiorum et Attellanarum scriptor: erant autem hæ Attellanæ fabulæ urbanissimis jocis refertæ, quo risus excitaretur; et ideo auctores earum dicebantur Urbici, quasi urbani. Poeta hoc loco non absolute dicit Cæcilium assimilari Urbico poetæ, sed non optimo; ut hodieque videmus apud nostrates aliqua exodia comædiarum urbanissima, et multi artificii; alia vero insulsa et ineptissima. Sic Rami-

Quod de Gadibus improbus magister :  
 Quod bucca est vetuli loquax cinædi.  
 Quare desine jam tibi videri,  
 Quod soli tibi, Cæcili, videris :  
 Qui Galbam salibus tuis, et ipsum  
 Possis vincere Sextium Caballum.  
 Non cuicumque datum est habere nasum.  
 Ludit qui stolidi procacitate,  
 Non est Sextius ille, sed caballus.

15

20

resius. — *Urbicus poeta.* Intelligit histrionum quoddam genus et poetarum, qui versus pessimos popello decantant in triviis, atque ita captant vulgi aures, quæstus gratia. Quibus tamen, quum inter multa illepide dicta excidant quædam dicta facete, non optimo eorum comparandus est Cæcilius, qui nihil urbani habet. Ed.

12. *Ramires de Prado* malit improbis, ut lib. V, epigr. LXXIX; Juv. sat. 11, 162. — *Quod de Gadibus.* Gades urbs et insula est in extrema Hispania, ad meridiem, ad freti Gaditani angustias, *Cadix*. Hic parum pudicæ quædam saltationes vigeant ac docebantur a magistris in varias regiones inde prodeuntibus. Vid. lib. V, epigr. LXXIX, v. 26. et lib. VI, epigr. LXXI, v. 2.

13. Alii legunt, *dicax cinædi*; Junt. Colin. aliæ vett. habent, *loquax Cynædi*. — *Vetuli.* Si ad profligatissimam cinædorum impudentiam, eamdemque loquacissimam accedit senectus, ætas loquacissima, fit importunissima garrulitas.

16. *D'Orleans* legit *Gabam*. — *Galbam.* Stolidus ille Cæcilius Gal-

bam et Sextium Caballum a se sperari posse existimabat. Fuit Galba Cæsaris Augusti scurra, qui in Mæcenatis gratiam doctus erat vigilantiter stertere naso. Juv. sat. V, v. 4. Fuit quoque Sextius Caballus scurra insignis, qui sub Vespasiano ejusque filiis floruit; Raderus tamen Sestium Gallum vere dici putat, de quo Suetonius, cap. 42 Tiberii.

18. *Non cuique datum est conj. Ramires de Prado*, contra leges poeticas; nil mirum, quum tam felix poeta sit, et, ut Sidonius diceret, Carminator, ut unum Prudentii versum sic legerit: « Quos lana terret discolor in stipite. » — *Habere nasum.* Hoc est, argute joculariter derisionis enim sedes est nasus, epigr. IV supra.

19. Post *Ludit* interpungunt Ald. Junt. et Colin.

20. Sunt qui legant *Cestius*, corruptum ex *Sestius*, ut alii legunt ἀρχαιῶς pro *Sextius*. — *Sed caballus.* Non est Sextius Caballus, ille facetus et urbanus, sed caballus, quadrupes bellua, dimidia tantum nominis parte dignus.

## XLIII.

DE PORCIA UXORE BRUTI. \*

CONJUGIS audisset fatum quum Porcia Bruti,  
 Et subtracta sibi quæreret arma dolor:  
 Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?  
 Credideram, satis hoc vos docuisse patrem.  
 Dixit, et ardentem avido bibit ore favillas.  
 I nunc, et ferrum, turba molesta, nega!

\* *De Portia* Ald. Junt. Gryph. Colin. et aliæ vett.

1. Beverlandi MS. *factum*. — *Porcia*. Filia Catonis Uticensis, uxor Bruti, qui pugnans contra Augustum occubuit in campis Philippicis in Thessalia; cujus morte audita, Porcia vitam finiit haustis carbonibus accensis.

3. Sunt qui legant conjunctim: *mortem non posse negari Credideram fatis hoc docuisse*, etc. quasi dicat, invitis etiam fatis mortem impediri non posse in « homine mori certo. » — *Negari*. Impediri. Catonis morituri celebratur illa vox: « an ne-

scis paulisper spiritu represso aut capite ad parietem illiso emori licere? »

4. *Vos docuisse*. Quum se graviter Cato ferro vulnerasset, impeditus fuit ab amicis ne se omnino conficeret, passusque est ab iis vulnus obligari, ac somni cupiditate simulata, quum eosdem abire compulisset, solutis quibus obligatum erat vulnus vinculis, inserta per illud manu, viscera sibi et vitam avulsit.

6. *I nunc*. Vox est insultantis. Vid. lib. spectac. epigr. xxiii, vers. ult. « I nunc, et lentas corripe, turba, moras! »

## XLIV.

IN MANCINUM, AVARUM CONVIVATOREM.

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,  
 Et positum est nobis nil here, præter aprum:  
 Non quæ de tardis servantur vitibus uvæ,

2. *Here*. Vocabulum vetus pro *heri*: hesternæ die.

3. *De tardis vitibus*. Propterea quod uvæ in vitibus asservabantur

Dulcibus aut certant quæ melimela favis :  
 Non pyra, quæ lenta pendent religata genista, 5  
 Aut imitata breves punica mala rosas.  
 Rustica lactantes nec misit fiscina metas,  
 Nec de Picenis venit oliva cadis.  
 Nudus aper; sed et hic minimus, qualisque necari  
 A non armato pumilione potest. 10  
 Et nihil inde datum est; tantum spectavimus omnes.  
 Ponere aprum nobis sic et arena solet.

fere usque ad putationem vitium. Lib. III, epigr. LVIII, v. 8. « Hic post novembres, imminente jam bruma, Seras putator horridus refert uvas. » Nam id erat proprium vitium putandarum tempus. Collige ex hoc versu famelicum hoc convivium hiberno tempore fuisse; nam enumerantur fructus qui servari solent. Ramiresius.

4. Edd. Junt. Colin. et aliæ vett. habent *melimella*. — *Melimela*. Sunt poma quædam exigua, quæ a melleo sapore μελίμηλα (μέλι, miel; μήλον, pomme) sunt vocata. Nonnulli ea putant esse poma quæ gallice dicuntur *Pommes de Paradis*.

5. Sunt qui pro *lenta* legant *longa*; et sic in Beverl. MS. *Non pira quæ lenta* Ald. Junt. Gryph. Colin. aliæ. — *Lenta*. Flexibili. — *Pendent*. In cella. — *Genista*, *Genêt*; fruticis genus molle et sequax, ut salix et spartum, unde fiunt nodi ac retinacula.

6. Gronovius ex optima membr. Thuan. legit *punica grana*, probante Heinsio ad Ovid. Met. X, 736. Punicum malum granatum est. — *Imitata breves*. Flos mali punici exiguæ rosæ similis est, inclusus primum cortice duriori, mox in cali-

ces sese aperiens....etc.... Ergo non intelligas punica mala brevitate temporis imitari rosas, sed figura potius et colore. Sic Ramiresius. Raderus autem, teste Plinio, lib. XVI, cap. 44, arbitratur non aliam ob causam dictum punica mala imitari breves rosas, quam quod malum punicum sit brevis ævi in genere arborum, ut rosa florum.

— *Punica mala*. Poma granata, quæ in agro Carthaginiensi insignia.

7. Pulmannus, *lactentes*. Cod. Beverlandi et Thuan. *fasina metas*. — *Rustica lactantes*, etc. Nec e calatho rustico, in quo servabantur aut formam accipiebant, extracti, in mensam allati fuere casei lacte stillantes, ad similitudinem metæ circensis, id est, inversi turbinis seu pyramidis, coagulati. Vid. lib. III, epigr. LVIII, v. 35. ED.

8. *Picenis*. Ager Picenus est in Italia, ad oram maris Adriatici; hodie *la Marche d'Ancône*. Ibi olivæ nobilissimæ.

9. *Nudus aper*. Sine aliis obsoniis.

10. *A non armato pumilione*. Quem homuncio nanus, etiam exarmatus, sua manu sola occidere posset. ED.

11. *Inde*. Ex apro.

12. *Ponere aprum*. Hoc est, ex-

Ponatur tibi nullus aper post talia facta :  
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

hibere. Ponere significat etiam cibos apponere, unde lusus Poetæ.  
14. *Caridemus* Junt. et Colin. —  
*Sed tu ponaris.* Hoc est, apponaris, aut potius objiciaris discerpendus

ab eo apro, a quo dilaniatus fuit Charidemus quidam jussu Domitiani, de quo Suetonius in Domitiano : sic sordida tua pœnas det avaritia.

## XLV.

AD STELLAM. \*

LASCIVOS leporum cursus, lususque leonum,  
Quod major nobis charta, minorque gerit,  
Et his idem facimus : nimium si, Stella, videtur  
Hoc tibi; his leporem tu quoque pone mihi.

\* Libri in hujus epigrammatis lectione nihil variant.

1. *Major minorque.* Pro quacunque charta ponitur; vel intellige Martialem misisse Stellæ longum epigr. cv, cum uno ex epigr. vii, xv, xxiii, xlix, etc. quæ omnia sunt brevia; inde dicitur charta

majorque minorque. — Martialem enim de eo argumento duo tantum epigr. composuisse, eo tempore quo epigr. præsens *ad Stellam* fecit, conjiciendum est ex his verbis *bis idem facimus.* ED.

4. *Pone mihi.* Ad cœnam vocato : quod mihi non erit injucundum.

## XLVI.

DE LIBRO SUO. \*

EDITA ne brevibus pereat mihi charta libellis,  
Dicatur potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

\* Nulla lectionis varietas est in exemplaribus, nisi quod hemistichium græcum omisit Colinæus; ut exhibet ed. Juntina, vix legendum est. Magis miror utramque mendam, quam et in textu et in notis

reliquerat Farnabius, cl. Schrevelium in omnes suas edd. (ann. 1656, 1661, 1670) transtulisse et retinuisse; scilicet, τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

1. *Edita ne.* Ne membrana vacua

et inutilis supersit, nullis scriptis carminibus (gallice : ne derelinquantur paginæ *en blanc*), imitabor Homerum, qui sæpius idem

repetit, maxime vero τὸν δ' ἀπαμειβόμενος, quod Virgilius interpretatus, *Quem contra*. Ita ego sæpius recurro ad leonem et leporem.

## XLVII.

AD HEDYLUM.\*

QUUM dicis propero, fac si facis, Hedyle, languet  
Protinus, et cessat debilitata Venus.  
Exspectare jube : velocius ibo retentus.  
Hedyle, si properas, dic mihi, ne properem.

\*Inscribitur in Venet. Ald. Junt. Gryph. Colin. Pulmann. Junian. Delph. aliis, *Ad Ædillum*; aliæ habent *Ad Æditam* (vel *Hedylam*), quod verum esse contendit *Ramires de Prado*, contra nitentibus Grutero, Gronovio, Scriverio.

1. *Hedyle*, vel *Ædile*, vult Petrus Scriverius, hic et v. 4. *Hedyla* Farnabius. — *Quum dicis propero*, etc. Omnino autem *Hedyle*, *Hedylam* fecerunt haud dubie, qui flagitium imminuere voluerunt. Sic, quod in aurem tibi dictum sit, in cod. Thuan. ubicumque Martialis scripserat *cunus*, pudicus librarius fecerat *monstrum*. Nec explicatione opus; hoc enim tantum dicit, ista non imperari, nec venire ad interdictum. Mei si arbitrii res sit, in talibus epigrammatis, quorum res vel materia non potest tangi, nisi violetur pudor, tantum notari velim quæ ad latinitatem et eruditionem pertinent. Veluti hic. — *Fac si facis*. Formula elegans, et vox impatientiæ adversus lentos in opere quocumque. Seneca de be-

neficiis, lib. II, cap. 5 : « Inde illæ voces quas ingenuus dolor exprimit : Fac si quid facis ; et, Nihil est tanti ; Male mihi jam neges ; ubi in tædium adductus animus incipit beneficium odisse, dum expectat. » Gronov. — *Hedyle*. Ita scribendum bene docuerunt Gruterus et Scriverius. Est enim Ἡδύλος, quo nomine Poeta epigrammatum scriptor bis laudatur ab Athenæo. Apud Martialem est mollis ac pathici nomen fictum, ut hic et lib. IX, epigr. LVII. *Idem*. — *Hedyle, languet Protinus. Hedyle, vel Ædile*, legendum vult P. S. non esse se stupidum, qui ad Veneris metam blandis verbis instigetur ; verum equum satis sua sponte currentem, nisi intempestive interpellatur. Gruterus, hic metamorphosin quamdam se gloriatur effecisse, non consulto Mercurio aut Venere, et ex fœmina virum exhibuisse nobis, sed cinædum ; nam *Ædilus* pro cinædo taxatur, lib. IV, epigr. LII.

3. *Velocius ibo retentus*. Ovidius, Met. III : « Sic ego torrentem, qua

nil obstabat eunti, Lenius et mo- saxa tenebant, Spumeus et fervens  
dico strepitu decurrere vidi : At et ab objice sævior ibat. » *Gro-*  
quacumque trabes obstructaque *novius.*

## XLVIII.

## DE DIAULO MEDICO.\*

NUPER erat medicus, nunc est vespillo Diaulus :  
Quod vespillo facit, fecerat et medicus.

\*In hoc epigrammate nullo modo variant exemplaria scripta, aut libri impressi. Hic tamen in Junt. ann. 1512, et Colin. 1528, sequuntur quadraginta quatuor ex lib. II epigrammata; quorum primum est « De littoribus Altini. »

2. *Quod vespillo.* Hoc est, quum esset medicus nempe imperitus, efferebat ægrotos; hoc est, occidebat, ut nunc factus vespillo effert mortuos. Vid. epigr. xxxi supra, et lib. VIII, epigr. lxxiv, ubi eadem fere sententia.

## XLIX.

## DE LEONE ET LEPORE.

Rictibus his tauros non eripuerunt magistri,  
Per quos præda fugax itque reditque lepus :  
Quodque magis mirum, velocior exit ab hoste,  
Nec nihil a tanta nobilitate refert.

1. *Rictibus his.* Omnis custodum amphitheatralium conatus et industria non potuit tauros a leonum dente præstare tutos : tutus autem per se ipsum lepus, per rictus terribiles impune comneat et incolumis elabatur. Ed.

2. *Per quos præda furax* Junt. et Colin.

4. *Quum nil a tanta nobilitate refert* in quibusdam vett. *mobilitate* legendum autumat Scriverius : per-

peram, inquit Ant. de Rooy; *nobilitas* eleganter ponitur pro *leone nobili*. Vide infra ad lib. V, epigr. xxxii; consule porro Cel. Cæneg. ad Avian. Fab. XXIV, 2. Contra *ignobiles feræ* dicuntur, quæ non adeo generosæ ac fortes. Curt. lib. III, cap. 8. — *Nec nihil.* Hoc est, aliquid : vires alacriores scilicet atque animos accipit a leonis fortitudine. Alii legunt : *Quum nihil a tanta mobilitate refert* : nihil vulneris scilicet



Tutior in sola non est quum currit arena, 5  
 Nec caveæ tanta conditur ille fide.  
 Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris;  
 Ad quæ confugas, ora leonis habes.

accipit in tanto cursu et recursu, ingressu et egressu. Minus bene. Vid. epigr. VII sup. et multa alia.

5. *Tutior in sole* Junt. — *Sola arena*. In qua non sunt feræ.

6. *Caveæ fide*. Cavea est locus in quo aluntur, continenturque feræ. Fidelis dicitur quia eas custodit, tutasque præbet.

7. *Improbe*. Lascive, ludibunde.

## L.

LICINIANUM IN HISPANIAM PROFICISCENTEM AD VITAM  
 RUSTICAM ET GENIALEM HORTATUR. \*

VIR Celtiberis non tacende gentibus,  
 Nostræque laus Hispaniæ,  
 Videbis altam, Liciniane, Bilbilim,  
 Aquis et armis nobilem,

\* *Ad Licianum de Hispaniæ locis* Junt. an. 1512. *Ad Lycianū*, etc. Colin. 1528. Vid. Turneb. lib. XXIII, cap. 24. Ramiresius censet sic lemma emendandum esse: *Ad Licianum de vita rustica*; illud enim, *de Hispaniæ locis*, ab aliquo sciolo additum.

1. *Celtiberis*. Celtiberi sunt Hispaniæ Tarraconensis populi a Gallis circa Garumnam positus, qui Celtæ vocabantur, oriundi, qui quum venissent ad Iberum Hispaniæ flumen, ibique consedissent, addiderunt suo nomini nomen fluminis juxta quod consederant; et Celtiberi sunt vocati. Nunc magna est pars Aragoniæ et Castellæ. — *Non tacende*. Clarissime, decus et columen Hispaniæ. Vid. epigr. LXII infra, v. 11.

3. *Liciniane in multis*. — *Altam Bilbilim*. Hispaniæ Tarraconensis oppidum, Martialis et Liciniani patriam, cujus situs hodie ignoratur; pagum esse nunc apud *Catalayud* affirmat Ferrarius, nomine *Baubola*, seu *Bambola*. — Negat autem hispanus *Ramires de Prado*, quod *Catalayud* in plano sit, *Bilbilis* autem *alta* fuerit, id est, in monte sita. Vide de Liciniano, Plin. lib. IV, epist. 11; et de *Bilbili*, Plin. lib. XXXIX, cap. 14.

4. *Aquis et armis non autem equis* legendum censet *Ramires de Prado*, et intelligit *Salonem*, infra v. 12. Vide lib. IV, epigr. LV, et lib. XIV, epigr. XXXIII. — *Aquis et armis*. Sic cum *Ramiresio* legimus, tum quod *Bilbilitanorum* equorum nulla us-

Senemque Caunum nivibus, et fractis sacrum 5  
 Vadaveronem montibus;  
 Et delicati dulce Botrodi nemus,

quam mentio; tum autem quod Salonis fluvii, qui Bilbilim alluit, aquæ durando ferro ad cudenda arma nobilissimæ; ut infra v. 12. « Salone, qui ferrum gelat. » Vid. quoque lib. IV, epigr. LV, et lib. XIV, epigr. XXXIII. — Sane in itinerario Antonini fit mentio aquarum Bilbilitanarum quas inde patet fuisse inclytas aliqua dote; et Justinus, lib. XLIV, Bilbilim fluvium nominat, ferrum durantem, quem Barrius in Salonem juxta Bilbilim exonerari tradit; sed *Ramires* putat Justinum Bilbilim appellasse Bilbilis fluvium, cujus nomen non curavit quærere. — *Armis*. Bilbilitani cæteris Hispaniæ populis præstabant in cudendis armis ferreis, in tingendis gladiis, et veterem adhuc famam retinere dicuntur.

5. Alii, *sterilem que Calvum*. *Senemque Catum* in veteri meo codice, inquit Pulmannus, quem Anglia suppeditavit, manifesta scriptura est, quam Turnebus etiam de suo exemplari profert, ut Catus mons sit editus, alta nive obrutus, et, ut ita dicam, nimio senio candens. *Sterilemque canum* in Venet. Ald. Junt. Colin. Plant. aliis. *Senemque Caunum, nivibus* legunt alii; Caunum enim montem non procul a Bilbili tradit Mariana, lib. I, cap. 3. Qui *calvum* legunt intelligunt de Vadaverone monte. In edd. antiquiss. *effractis* pro *et fractis*; montem enim Vadaveronem, sacrum, ut scribit Plin. IV, c. 24, promontorium, fractum et in in-

sula positum tradit Hieron. Paul. de Hispania. — *Senemque Catum nivibus*. Albicantem nivibus induratis et senescentibus. Caunus est mons Aragoniæ ad septemtrionem, versus Castellæ veteris fines, prope Turiasonem urbem, sex leucis distans ab Ibero fluvio: nunc *Moncayo* dicitur. Caunum montem non procul a Bilbili tradit Mariana, lib. I, cap. 3. Vid. Ferrarium, in suo lexico geographico. — *Et fractis sacrum*. Et montem Vadaveronem a reliquis montibus separatum; sacros esse montes putabant antiqui, ac multi cuiuspiam deo consecrati erant. Vocatur iste mons nunc *Vadavicorn*. — Hieronymus Paulus, lib. V, de fluminibus et montibus Hispaniæ: quidam, inquit, non temere montem Celtiberiæ esse existimant ab aliis effractum et in insula positum quæ nunc *Vadavicorn* vocatur.

6. Sunt qui divisim legant *Vadaveronem*; et sic Venet. Ald. Junt. Colin. et Gryph.

7. Gruterus ex Palat. legit *Botrodi*. Turnebus et vetustus quidam codex *Boleti*: quum tamen *Botrodi* oppidi infra meminit in Celtiberis siti, quod a Tiberio Graccho dirutum refert Polybius, retinendum *Botrodi*. Vid. l. XII, epigr. XVIII. v. 11. — *Delicati*. Deliciis pleni, quippe quod arboribus, umbris et fontibus abundat. — *Botrodi*. Botrodius nemus Hispaniæ Tarraconensis in Celtiberis ubi olim oppidum fuisse, nunc vicum apud Segobrigam ur-

Pomona quod felix amat.  
 Tepidi innatabis lene Congedi vadum,  
 Mollesque Nympharum lacus; 10  
 Quibus remissum corpus astringas brevi  
 Salone, qui ferrum gelat.  
 Præstabit illic ipsa figendas prope  
 Vobisca prandenti feras.  
 Æstus serenos aureo franges Tago, 15

hem scribit Perottus ex Polyb. teste Ferrario.

8. *Pomona*. Dea hortorum et fructuum, a *pomis* dicta.

9. *Tepidi natabis lene cogedi vada* in Venett. Ald. Junt. Colin. etc. *Tepida natabis lene Congedi vada* Domitius Calderinus. *Tepidi natabis lene*, etc. Pulmannus. *Tepide natabis lene*, vel *leve* Turnebus. *Tepidum* Heraldus. *Tepidi innatabis* alii. Vide Var. notas. — *Tepidi innatabis*. Natationi dabis operam in fluvio Congedo leniter fluente, ac solibus æstivis tepido. Vocatur hodie Congedus vel Cogedus, *Rio di Codes*, vel *Congedo*, et in Salonem, nunc *Xalon*, influit.

10. *Mollesque nympharum lacus*. Lacus enim Nymphis sacri: et Nympha quasi lympha. — *Molles*. Non rapidi, sed leviter stagnantes; et omnis aqua mollis.

11. Junt. et Colin. *astringes*. — *Remissum corpus*. Aquis enim Congedi, et lacubus Nympharum tepentibus corpus relaxatur, et pori aperiuntur. — *Astringas*. Etenim corporis meatus claudit aqua frigida; frigus omnia contrahit. — *Brevi Salone*. Id est, non profundo; fluvius est qui illabitur in Iberum, hodie *Xalon*. — *Brevi* adverbium

est, inquit Sipontinus, hoc est, statim.

12. *Qui ferrum gelat*. Vid. supra not. 4.

14. *Voberta* in iisdem edd. et aliis vett. alii *Voberca*, quæ circumsepta silvis, præstabit copiam ferarum figendarum. — *Vobisca*. Sive, ut alii legunt, *Voberca*. *Bobierca*, et *Bubierca* teste Varrerio, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in finibus Celtiberorum ac regni Aragonii, inter Bilbilim ad boream 3, et Segontiam ad meridiem 13 leucis. Sic Ferrarius. Illic sane ejusdem nominis erat silva, in qua magna ferarum copia. — *Prandenti*. Hoc est, prandio accumbens venari poteris et ex mensa feras jaculis configere. ED.— *Voberca prandenti feras*. Alii legunt *prendenti*, id est prendens venatione bestias, auctore Isidoro, Orig. X: « Quatuor sunt venatorum officia, vestigatores, indagatores, aleatores, pressores seu pressores. » Et ibi per pressores seu pressores intelligunt qui agitant seu insequuntur feras. Virg. Georg. III, 413: « Ingen-tem clamore premes ad retia cervum. » ED.

15. In Ald. Junt. Colin. Gryph. *franges* pro *franges* sive *frangens*. —

Obscurus umbris arborum.  
 Avidam rigens Dircenna placabit sitim,  
 Et Nemea, quæ vincit nives.  
 At quum December canus, et bruma impotens  
 Aquilone rauco mugiet; 20  
 Aprica repetes Tarraconis littora,  
 Tuamque Laletaniam.  
 Ibi illigatas mollibus damas plagis  
 Mactabis, et vernas apros,  
 Leporemque forti callidum rumpes equo: 25  
 Cervos relinques villico.  
 Vicina in ipsum sylva descendet focum

*Æstus serenos.* Calores æstivos, qui sereno cælo sunt majores, mitigabis merso in aquis Tagi corpore, tectus et latens sub arboribus ad ripam consitis. — *Aureo franges Tago.* Tagus, Taio, fluvius Hispaniæ celeberrimus, oritur in Castella nova, et duabus infra Ulisipponem leucis Oceano miscetur; aureas arenas eum volvere omnes auctores et experientia nunc docet.

17. Alii recens *Decreta*, vel *Derceta*, vel *Dercelia*; alii *frigens*. Sed duo Palatt. legunt *rigens Dercenna*, non *Dircenna*, ut est in edd. vett. — *Dircenna.* Fons Hispaniæ gelidissimus, apud Bilbilim urbem, in Salonem fluvium labens.

18. Palatt. *Nutha*. — *Et Nemea.* Sive *Nutha*; fons quoque gelidissimus.

19. *Canus.* Albus propter nives. — *Impotens.* Sæva præter modum.

21. *Aprica.* Soli exposita. — *Tarraconis.* Est urbs clementi cælo subjecta, in ora Catalauniæ, inter Barcinonem et Dertusam; nunc *Tarragone*.

22. *Tuamque Lacetaniam* in Palatt. — *Laletaniam.* Laletani populi fuere Hispaniæ Tarrac. inter Indigetes ad ortum et Cosetanos ad occasum, ubi nunc magna pars est Catalauniæ, inter Gerundam et Tarraconem, et versus oram maris Mediterranei. Plin. lib. III, c. 3. Vide quoque sup. epigr. xxvii.

24. Alii *vernos*, Turnebus, Gruterus, alii legunt *vernas apros*. — *Vernas apros.* Hoc est, illic natos: legunt alii *vernos*; male meo iudicio, quum de hieme loquatur Poeta.

25. In quibusdam *rumpens equo*. — *Rumpes.* Defatigabis ac tandem perimes.

26. *Cervos relinques.* Non comedendos, sed captandos: currendi celeritas, et difficultas capiendi mire delectant venatorem; utraque major in leporina quam in cervina venatione.

27. *Descendet.* Quasi sponte sua ligna silvæ focum agrestem instruent; facile domum portabuntur, quia in propinquo.

Infante cinctum sordido.  
 Vocabitur venator, et veniet tibi  
 Conviva clamatus prope :  
 Lunata nusquam pellis, et nusquam toga,  
 Olidæque vestes murice :  
 Procul horridus Liburnus, et querulus cliens,  
 Imperia viduarum procul.

30

28. *Infante cinctus* Junt. et Colin.  
 — *Sordido*. Villici filio pannoso  
 et squalidulo.

29. *Venabitur vocatus* legunt alii,  
 i. e. conviva quem voles e vicinis.  
 Vide lib. III, epigr. LVIII, v. 41.  
 — *Venator*. Venationis tuæ socius  
 ad cœnam invitabitur.

30. *Clamatus*. Non servo opus  
 erit ad invitandum eum quem, ut  
 pote vicinum, ipse voce tua po-  
 teris e propinquo appellare, in  
 cœnam.

31. *Lanata* legere placet Colero ;  
 sed quo jure recepta lectio solli-  
 citari queat, non videt Heraldus.  
 — *Lunata nusquam pellis*. Id est,  
 non aderunt nobiles Romani, qui-  
 bus moris erat Lunæ formam in  
 calceis gestare ut significarent se  
 ab Evandro genus suum repetere  
 qui ipse a Luna ortum se dicebat ;  
 vel non aderunt nobiles, quibus in  
 calceis lunulæ formam gestare mo-  
 ris erat, litteram scilicet C, notam  
 centenarii numeri patriciorum a  
 Romulo institutorum. Vide et con-  
 jecturas Plutarch. Probl. 76. —  
*Nusquam toga*. Non togati anteam-  
 bulones, clientes et cæteri sportu-  
 larum salutationumque asseclæ,  
 lib. X. epigr. XLVII, vers. 4 ; et  
 epigr. LI.

32. *Olidæque*. Hoc est, viri pur-  
 pura induti : teter quippe odor

proveniebat ex lotio quo tempera-  
 batur purpura. — *Murex* est pisci-  
 culus e cujus succo vel sanguine  
 fit purpura.

33. *Procul horridus Liburnus*.  
 Romæ Liburni (species hominum  
 ingenti statura, et robusto corpore  
 insignita) ut sarcinatores, lectica-  
 rii, uno verbo quando viribus opus  
 erat adhibebantur. Exinde in om-  
 nibus vicis, viisque urbis obvii  
 fiebant, et hoc est quod Nostro  
 grave videtur propter fœditatem  
 habitus vultusque hujus gentis, et  
 propterea vitæ rusticæ, ubi hi Li-  
 burni non inveniuntur, delicias ce-  
 lebrat. Sic Juvenalis, III, 240.  
 « vehetur Dives, Et ingenti curret  
 super ora Liburno. » Cf. Ruperti  
 hic (Nostr. collect. t. I, p. 159),  
 et Boettgeri *Sabina*, vers. gall. p.  
 375. ED. — *Querulus cliens*. Fre-  
 quentibus querelis patrono mole-  
 stus, et sæpius ab eo cibos, vestes,  
 præsidium, etc. efflagitans.

34. *Imperia viduarum*. Viduæ di-  
 vites et orbæ colebantur ab hæredi-  
 petis qui multas ab iis molestias  
 devorare cogebantur. — Vel in-  
 tellige viduas, mortuis viris omnia  
 in familia administrantes, clienti-  
 bus et libertis, etc. imperantes.—  
 Arrogantius autem imperant fe-  
 minæ quam viri, ut ait Juvenal.  
 « Intolerabilius nihil est quam fe-

Non rumpet altum pallidus somnum reus : 35  
 Sed mane totum dormies.  
 Mercetur alius grande et insanum sophos :  
 Miserere tu feliciū ;  
 Veroque frueri non superbus gaudio ,  
 Dum Sura laudatur tuus. 40  
 Non impudenter vita, quod reliquum est, petit ;  
 Quum fama, quod satis est, habet.

mina dives. \* Vid. Nost. Juvenal. vol. I, pag. 370 et 415. ED.

35. *Rumpet*, qui tua sub galli cantum ostia pulsat. — *Pallidus*, anxius, causæque suæ metuens.

37. In nonnullis vett. *sophōs* — *Grande sophos*. Σοφῶς sapienter : frequentissima erat acclamatio eorum, qui recitantis scripta laudabant : *insanum sophos* vocat quod insanus homo ab insana plebe expectabat.

38. *Miserere tu feliciū*. Alii has acclamationes et plausum popularem magno pretio laboreque aucupentur : tu felices illos, revera miserimos, et forensibus negotiis æternum implicitos existima dignos commiseratione. ED.

39. *Veroque frueri*. Verum gau-

dium appellat Martialis vitam genialem, a labore atque ab omni cura immunem. — *Non superbus*. Non ambitiosus, non levis populi aura inflatus.

40. *Dum Sura laudatur tuus*. Hunc Suram suorum versuum laudatorem, et in Aventino monte ad Dianæ templum habitantem nominat lib. VI, epigr. LXIV, v. 13 ; cujus quidem, causarum patroni, et Romæ in foro versati, fit mentio apud Ælium Spart. in Hadriano.

41. Alii pro *petit* legunt *perit*. — *Non impudenter*. Jure merito otium partes sibi vindicat, quum fama suas implevit ; atque ita laudat Licinianum, qui famam adeptus sibi jam vacare debebat, non ignavus et segnis judicandus.

## LI.

JOCUS EX HOMERO IN COCUM.\*

SI tibi Mistyllus cocus, Æmiliane, vocatur :  
 Dicetur quare non Taratalla mihi ?

\* Hic nulla lectionis varietas est in libris manuscriptis aut excusis.

1. *Si tibi Mistyllus*. Jocus est in

I.

Æmilianum, qui Mistyllum vocaverat cocum, non alia forte de causa quam quod apud Homerum

legerat μίστυλλον τ' ἄρα τᾶλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελόισιν ἔπειραν: *secabant sane et alia (fercula) in frusta, et verubus figebant*; nec erat potior ratio cur primum carminis verbum usurpasset, quam sequentia, quæ sunt τ' ἄρα τᾶλλα. Attamen Æmilianus videtur fuisse argutus homo, qui quoties vocabat cocum suum, *Mistylle*, utebatur voce imperante verbi

μιστύλλω, hoc est, *seco*, quæ factus esset jocus, ut quoties vocaret cocum, imperaret etiam ut scinderet opsonia. Similis est jocus apud Petronium. « Vides, inquit, illum qui opsonium carpit? Carpus vocatur, itaque quotiescumque Trimalcio dicit Carpe, eodem verbo et vocat et imperat, » quod faciebat et Æmilianus.

## LII.

## AD LEPOREM.

NON facit ad sævos cervix, nisi prima, leones.

Quid fugis hos dentes, ambitiose lepus!

Scilicet a magnis ad te descendere tauris,

Et, quæ non cernunt, frangere colla velint?

Desperanda tibi est ingentis gloria fati:

Non potes hoc tenuis præda sub hoste mori.

1. *Non facit.* Non convenit leoni nisi caput taurorum, aprorum, etc. Vid. epigr. xxiii supra. — *Prima.* Id est, primarum et nobilium ferarum.

2. *Ambitiose.* Qui ambis gloriam pereundi a leone. Sic vulpes leoni, apud Fontanium, lib. VII, fab. 1:

Vous leur fites, seigneur,

En les croquant, beaucoup d'honneur. Ed.

4. Alii *velint* sine interrogatione; nos legimus, *frangere colla velint?* interrogatorie, ut monuit Musambert. in libello contra Ramiresium.

— *Non cernunt.* Propter exiguitatem.

5. *Ingentis fati.* Hoc est, mortis: vinci quippe a fortibus nonnulla laus est. Sic Ovid. lib. V, *Metamorph.* 191: « Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras, A tanto cecidisse viro. » Vid. lib. *Spectac.* epigr. xxxi. — Conferri possunt cum isto epigrammate multa hujusce libri, in quibus Martialis omni modo idem argumentum retractat. Vid. epigr. vii, xv, xxiii, xlv, xlvi, xlix, et infra epigr. lxi et cv. Ed.

## LIII.

QUINTIANUM FACIT ASSERTOREM.\*

COMMENDO tibi, Quintiane, nostros :  
 Nostros dicere si tamen libellos  
 Possim, quos recitat tuus Poeta :  
 Si de servitio gravi queruntur,  
 Assertor venias, satisque præstes,  
 Et, quum se dominum vocabit ille,  
 Dicas esse meos, manumque missos.

5

\* Artificiosum epigramma est, et totum allegoricum; nam persistit ab initio ad finem in metaphora desumpta ab assertione et vindicta libertatis; rogatque Quintianum, ut plagiarium poetam absque dubio Fidentinum, plagii reum faciat, quod versus Martialis liberos jam et a domino manumissos compingat in servitutem.

2. *Nostros dicere si tamen libellos Possim, quos recitat tuus Poeta.* Hæc correctio non eo pertinet quo putat Raderus, quod subrepta jure quidem nostra sint, re autem et usu, furis; sed ad malam Fidentini recitationem, qua bonos et pulchros Martialis versus, ita male legendo deformaret, ut vix idem auctor suos agnosceret, ut dictum est supra, epigr. xxxix: «Sed male quum recitas, incipit esse tuus.»

3. *Tuus.* Id est, quasi tibi servus, seu familiaris.

4. *Si de servitio, etc.* Si mei libelli queruntur se in servitutem redigi a Fidentino, quum sint liberi, tu eos defende, esse liberos

asserte, ac vindica; immo da prædes quibus illis cautum sit.

5. *Assertor venias.* Notum est servum non posse de liberali causa agere sine assertore; et quemvis assertorem esse posse, qui in libertatis favorem si semel causa cecidisset, iterum ac tertio poterat de eadem agere (L. I, C. de assertore tollendo.) Et hæ actiones *assertiones perfusorie* vocabantur, auctore Jac. Cujacio, ad L. XIII, *de excusationibus.* Assertionem secundam appellat secundam actionem in causa liberali, ad quam prima ut præjudicium adsumitur. Et quum hæ assertiones ter quaterve fierent, ideo dixit: «Hoc si terque quaterque clamitaris.»

7. *Dicas esse meos.* Hic formulam litis vindiciarum lepide insinuat Noster. In antiquo enim jure Romano, rei vindicatio non nisi præsentis re fieri poterat. Sic quum de servo ageretur in liberaali causa, actor, seu qui se dominum esse prædicabat, coram prætore, festucam tenebat, deinde hominem ap-



Hoc si terque quaterque clamitaris,  
Impones plagiaro pudorem.

prehendebat, et ita dicebat : HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO SECUNDUM SUAM CAUSAM, SICUT DIXI, ECCE TIBI VINDICTAM IMPOSUI; et simul homini festucam imponebat. Adversarius vero seu assertor libertatis dicebat contra hunc hominem esse sui juris, seu quia se ingenuum profitebatur, seu quia manumissus fuerat a domino, et deinde festucam eidem homini imponebat. Tunc prætor seu ipse de causa cognoscebat, seu potius judicem constituebat qui de facto cognosceret. Cf. GAI. Comm. IV, § 16 et sqq. ED. — *Manuque missos.* Eamdem allegoriam hominis liberi, qui injuste detinetur in servitute, persequitur hoc sensu : Versus meos manumisi, id est, edidi in lucem; nec plagiarus debet eos detinere, tanquam sui essent.

9. *Plagiaro.* In jure romano Plagiarius vocabatur is qui servos seu mancipia aliena sollicitat, celat, suppressit, L. LII, § 12, D. *de furtis.* Plagiarius quoque habetur, qui liberum hominem sciens dolo malo vendit, emit, donat, celat, in vinculis habet. De his criminibus, qui generali nomine plagium vocantur, lata fuit LEX FABIA *de plagiaris*, incerto Urbis anno. Hæc sancivit, ut humiliores de hoc crimine convicti, aut in metallum damnarentur, aut in crucem tollerentur, et honestiores, adempta dimidia parte bonorum, in perpetuum relegarentur. Conf. Paul. Sent. Recep. V, 30 (B). ED. — *Impones.* Acclamatione tua plagiarus Poeta pudore victus cedit, et versus a me manumissos sinet ea libertate frui, qua illos curavi donandos. ED.

## LIV.

### AD FIDENTINUM, PLAGIARIUM.\*

UNA est in nostris tua, Fidentine, libellis  
Pagina, sed certa domini signata figura;

\* Eundem Fidentinum, quem jam (epigr. xxxix et xliii supra) perstrinxit, nunc et insectatur; qui subreptis Nostri carminibus quædam addebat de suo, furti, ut putabat, dissimulator, sed re vera proditor et index, quum deridendi ejus versus non manifestius secernendi paterent inter cæteros Mar-

tialis, quam corvus inter cycnos, inter togas violaceas vestis gallica, testa fictilis crystallina inter vasa, et pica inter lusciniæ. Vid. lib. X, epigr. c. ED.

1. *Tua.* Est pagina a te composita inter meos epigrammaton libellos, quos recitas ut tuos.

2. Beverlandi MS. *si grata.* —

Quæ tua traducit manifesto carmina furto.  
 Sic interpositus villo contaminat uncto  
 Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus : 5  
 Sic Aretinæ violant crystallina testæ :  
 Sic niger, in ripis errat quum forte Caystri,

*Signata.* Sed illa pagina, celandi furti causa interposita, tam inepte et illepide scripta est, ut quem habeat auctorem declaret signetque evidenter. Ed.

3. Turnebus, *Advers.* lib. XIII, cap. 24, legendum esse censet *crimina*. — *Traducit.* Trans urbem aut per arenam ducebantur sontes, ut essent omnibus spectaculo et ludibrio. Inde verbum *traduco* sæpe sumitur pro *irrideo*, *ridendum propino*, *palam accuso*. — *Manifesto carmina furto.* Furtum apud Romanos duplex erat, manifestum et non manifestum. Manifestum dicebant illud esse quod dum fit deprehenditur, vel quod eo loco deprehenditur ubi fit, vel etiam donec perferret eo quo fur destinasset, vel denique quando eam rem fur tenens visus fuerit. Huic sententiæ, quæ tamen postea non obtinuit, alludit Noster quum dicit Fidentinum furto manifesto reum esse, quia epigrammata Martialis tanquam sua publice recitaverat et inde rem furtivam tenens visus fuerat. Non manifestum furtum erat, quum sic fur non deprehenderetur. Pœna furti manifesti ex lege XII Tabularum capitalis erat; nec manifesti pœna dupli. Cf. Gaj. *Comm.* III, § 184. Ed.

4. *Sic interpositus vilis*; et *filo* etiam legitur; *vicio* in aliis. *Sic interposito vilis contaminat uncto* codd.

Scriverii et Salmasii, quæ vetus lectio est, teste Musambertio. Raderi testantur lectionem codices minus interpolati. Unguine enim splendorem *villo* conciliabant, atque ita Tyrianthina adulterata venditabant. — *Villo contaminat uncto.* Bardocucullus erat vestis Gallica crassioris fili, villis sordida longis atque oleo unctis. Bardi, Gallorum cantores et poetæ, hac veste utebantur: habebat illa quoddam capitis tegmen qui cucullus a forma vocabatur; nam proprie cucullus est papyraceum involucrium, quo pigmentarii utuntur. Ut igitur sui villi uncti sordibus inquinare potuisset romanas togas vestis illa, sic sordebant versus Fidentinî inter versus Martialis.

5. *Urbica.* Romana. — *Lingonicus.* Lingones sunt Galliæ populi. Vid. lib. XIV, epigr. cxxviii. — *Tyrianthina.* Vestes erant violaceæ, quarum color e purpura et viola factus (τύριος, Tyrius; ἴον, viola; ἄνθος, flos.)

6. *Arretinæ* Ald. Junt. Colin. et aliæ vett. — *Sic Aretinæ.* Aretium urbs Etruriæ, nunc *Arezzo*, ubi fictilia vasa fiebant.

7. Beverlandi MS. *erant cum forte.* — *Caystri.* Cayster fluvius Ioniæ, ex Phrygia magna oriens, ac inter Ephesum et Colophonem in mare decurrens: illic magna olorum copia. Nunc vocatur *Chiay*.

Inter Ledæos ridetur corvus olores :  
 Sic ubi multisona fervet sacer Atthide lucus,  
 Improba Cecropias offendit pica querelas.  
 Indice non opus est nostris, nec vindice libris :  
 Stat contra, dicitque tibi tua pagina, Fur es.

8. *Ledæos olores*. Quoniam Jupiter sub forma cyni Ledam compressit.

9. *Atthide* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. et aliis; *Attide* in aliis; *alite* in Beverlandi MS. — *Fervet Atthide*. Attica, subaudi *alite*, significatur Philomela, Pandionis regis Atheniensium filia: Cecropia dicitur, id est Atheniensis, a Cecrope, rege primo Atheniensium. Ejus cantus querelæ appellantur, quia videtur adhuc queri de injuria sibi a Tereo rege illata. Ovidius, Met. VI, 412.

10. Pro *offendit*, quod exhibent edd. antiquiss. Venet. 1471, Bosch. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. alii, ut Pulmannus, Junius, etc. legunt *effundit*. Nostram lectionem optime restituit Scriverius; sed Gruterus

mallet *offundit*. — *Offendit*. Moleste interstrepit.

11. Sunt qui legant *judice*. Voces *vindex*, *index*, et *iudex*, sive *judex*, sæpius confunduntur a librariis. — *Indice*. Hoc est, accusatore; tui enim versus meis conjuncti indicant te furem. *Index* dicitur qui crimen aliquod indicat. — *Nec vindice*, qui eos asserat in libertatem. Vid. præcedens epigramma.

12. *Stat contra*. Metaphora desumpta a subselliis judiciorum ubi patroni adversi sedebant, accusator contra defensorem; et quando dicebat accusator stabat: stare igitur contra, est surrexisse accusatorem vel defensorem ad dicendum. Sic Ramiresius, ex Ciceronis oratione pro Sexto Roscio Amer. — *Fur es*; plagiarius scilicet.

## LV.

### AD FUSCUM.\*

Si quid, Fusce, vacas adhuc amari,  
 Nam sunt hinc tibi, sunt et hinc amici;

\* Lemma est in Vaticano et Beverlandi MS. *Ad Fuscum P. Præt. in Dacis*. Juvenal. IV, 111: « Qui vulturibus servabat pectora Dacis. » In Ald. Junt. Colin. etc. *De amicorum judicio*. Veterem inscriptionem,

*Ad Fuscum*, præfert Ramiresius; vel utramque conjunctam: *Ad Fuscum, de Amicorum judicio*.

1. *Si quid, Fusce*, etc. Hoc est, Si novo amico locus sit apud te. De Fusco, vid. lib. VI, epigr. LXXVI.

Unum, si superest, locum rogamus;  
 Nec me, quod tibi sum novus, recuses:  
 Omnes hoc veteres tui fuerunt.  
 Tu tantum inspice, qui novus paratur,  
 An possit fieri vetus sodalis.

Fuit Cornelius Fuscus præfectus cohortium prætorianarum, sub Domitiano, magnæ apud principem auctoritatis.

5. *Omnes hoc.* Quia scilicet novi fuerunt, ut ego, eo tempore quo primum eos in familiaritatem tuam recepisti. ED.

## LVI.

AD FRONTONEM, DE VOTO VITÆ SUÆ.\*

VOTA tui breviter si vis cognoscere Marci,  
 Clarum militiæ, Fronto, togæque decus,  
 Hoc petit, esse sui, nec magni, ruris arator;  
 Sordidaque in parvis otia rebus amat.  
 Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,

\* *Ad Frontonem* in plerisque. Nostrum lemma inscribitur in edd. vett.

2. *Fronto.* Fuit hic Fronto, juxta Raderi conjecturam, cum Trajano postea imperatore consul, in cujus consulatu periit Domitianus: vir quum multis rebus præclare gestis, tum singulari in eruditos et literatos amore clarus, cujus meminit Juven. Sat. I, v. 15.

4. Barthius legit *Sobriaque*. — *Sordidaque.* Sine cultu et venustate urbana; sic Virgilius, eclog. II, 29: « O tantum libeat mecum tibi sordida rura, Atque humiles habitare casas, et figere cervos! »

5. *Quisquam picta.* Sensus est:

nemo, cui obtigit modicus fundus, in quo possit præda a se venando capta genialiter vivere, dummodo mente sana sit, velit superbas divitum colere fores, salutator matutinus. ED. — *Picta frigora.* Per metalepsim pro *atria divitum* ad frigiditatem incrustata marmore Laconico, natura quidem variegato, sed et arte insuper picto, teste Plin. lib. XXXV, cap. 1. In his clientes mane ambulabant, expectantes intromitti salutatum, et deducere amicum magnum anteambulones. — *Spartani saxi.* Marmor nobile quod instar herbarum virebat, ut clarum ex aliquot Statii locis.

Et matutinum portat ineptus Ave;  
 Cui licet exuviis nemoris rurisque beati  
 Ante focum plenas explicuisse plagas?  
 Et piscem tremula salientem ducere seta,  
 Flavaque de rubro promere mella cado?  
 Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,  
 Et sua non emptus præparat ova cinis?  
 Non amet hanc vitam, quisquis me non amat, opto:  
 Vivat et urbanis albus in officiis.

6. *Et matutinum.* Ironice dictum de communibus istis amicis, ab alio ad alium quotidie verbum *Ave* transferentibus, et patronos osculando vexantibus. ED.

7. Antiqua lectio erat: *Cui licet exigui nemoris rurisque beati: Gruterus exuviis nemoris rurisque beato dedit ex cod. Palat.*

8. Sunt qui hic legant *exposuisse.* — *Explicuisse plagas.* Evacuare ante focum casses et retia, prædis plena.

9. *Salientem.* Palpitantem. — *Seta.* Linea piscatoria quæ sæpe fit e setis equinis.

11. *Inæquales.* Tenuioris fortunæ homines mensas inæqualibus quandoque pedibus fultas habebant. Ovid. Met. VIII, « Mensæ sed erat pes tertius impar; Testa parem

fecit. » Hunc locum sic exornavit Fontanius noster:

La table, où l'on servit le champêtre repas,  
 Fut d'ais non façonnés à l'aide du compas:  
 Encore assure-t-on, si l'histoire en est crue,  
 Qu'en un de ses supports le temps l'avait rompue.  
 Baucis en égala les appuis chancelans  
 Des débris d'un vieux vase, autre injure des ans.

PHILÉMON ET BAUCIS. ED.

12. *Non emptus.* Id est, lignum ex proprio nemore desumptum. Ligna caro pretio emebantur Romæ.

14. Pro *albus in officiis*, ed. Junt. an. 1512 nos penes, habet in margine, *ēptus in officiis*, i. e. *emptus.* — *Albus.* Id est, toga alba indutus inter anteambulorum et niveorum Quiritum officia; aut cretatus et candidatus in comitiis. Sic Lipsius Elect. lib. I, cap. 13. Vel denique (vid. lib. X, epigr. XII, v. 9) candida facie, nec fuscatus sole rustico.

## LVII.

### AD CAUPONEM.

CONTINUIS vexata madet vindemia nimbis.

Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum.

2. In edd. vett. *Non potes, ut cuperes, quod Musambertio magis* placet. Vid. lib. IX, epigr. xcix. — *Vendere Copo merum* optimus codex

Palatinus. — *Ut cupias.* Sensus est : me cupientium merum vendere, Etiam si cupias bonus et fidus esse, sed contra vino aquam admiscen- tamen nequis. Sic argute caupo- tium : quod a Romanis transiit ad num perfidiam notat Poeta, mini- nostræ ætatis caupones vitium. ED.

LVIII.

AD FLACCUM.\*

QUALEM, Flacce, velim quæris, nolimve puellam?  
 Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.  
 Illud quod medium est, atque inter utrumque probamus.  
 Nec volo, quod cruciat; nec volo, quod satiat.

\* In hoc epigrammate nulla le- *satiat.* Facilior copia fastidium pa-  
 ctionis varietas exstat in codd. rit. Vid. lib. IV, epigr. xxxviii et  
 4. *Quod cruciat.* Difficilis enim lxxxii, ubi sensus idem aliis verbis  
 morositas parit odium. — *Quod* repetitus.

LIX.

DE PUERI PRETIO.

MILLIA pro puero centum me mango poposcit :  
 Risi ego ; sed Phœbus protinus illa dedit.  
 Hoc dolet, et queritur de me mea mentula mecum,  
 Laudaturque meam Phœbus in invidiam.  
 Sed sestertiolum donavit mentula Phœbo  
 Bis decies : hoc da tu mihi, pluris emam.

1. *Millia centum.* H. S. Nostræ monetæ 781 libr. — *Mango.* Puero- rum scilicet negotiator, quos in Venerem frangebatur.

3. In Ald. Junt. Colin. Gryph. et aliis vett. *Et queritur, dolet hoc mea, etc.*

4. *Meam in invidiam.* Usque adeo ut illi invideam.

5. *Sed sestertiolum.* Quippe Phœ- bus draucus rem fecerat mentula,

juxta sententiam Juven. Sat. I, 40. « Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem : Partes quisque suas ad mensuram inguinis hæres Accipiat. »

6. *Bis decies.* 15625 libr. nostræ monetæ. — *Tu mihi.* Rursus hic fatetur Martialis, quod jam epigr. xxiv supra dixit, non naturæ largam liberalitatem se expertam : unde Cottæ displicebat.

## LX.

AD FLACCUM DE SPORTULA. \*

DAT Baiana mihi quadrantes sportula centum :  
 Inter delicias quid facit ista fames?  
 Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli:  
 Tam male quum cœnem, cur bene, Flacce, labor?

\* Hujus epigrammatis inscriptio fuisse debuit, *Ad Flaccum de secessu Baiano*, inquit Ramires de Prado; nam, ut existimat, cum aliquo potentiori Martialis secesserat in Baias, ubi sportula dabatur communis. Hoc negat Musambertius.

1. *Dat Baiana*. Potentiores suis clientibus dabant sportulam, quæ erat vimineus calathus, quo primum opsonia, postea vero pecunia data est; unde sportula frequenter pro cibo vel pecunia usurpatur. Noster autem Poeta forte Baias comes tunc ierat Flacci, a quo quum perexiguam sportellam accepisset, conqueritur. *Baiæ*, vulgo *Baia*, oppidum Campaniæ ad sinum Baianum inter Puteolos et Cumas.

— *Quadrantes centum*. 25 asses. Quadrans erat quarta pars romani assis.

2. *Quid facit*. Exiguam sportulam centum quadrantum famem appellat, quia non satiabat esurientem. Lib. III, epigr. VII, v. 4.

3. *Redde Lupi*. Quum tam male cœnet, male quoque lavari optat in balneis obscuris, qualia erant Lupi et Grylli, mercenariorum balneatorum. Vid. lib. II, epigr. XIV, v. 12. Lupi balnea ventis infestabantur.

4. Beverlandi MS. *laver*; et sic in cod. Voss. *laves* cod. Thuan. — *Tam male*. Nam male cœnanti thermæ vel suavissimæ non placent. Vid. lib. III, epigr. XII, v. 3.

## LXI.

DE LEPORE ET LEONE.

INTRES ampla licet torvi lepus ora leonis,  
 Esse tamen vacuo se leo dente putat.  
 Quod ruet in tergum, vel quos procumbet in armos,

3. Loco *Procumbet* in quibusdam edd. vet. legitur, *prorumpet*. —

*Quod ruet*. Tu nullum habes prope tergum, nullos armos in quos ruat

Alta juvencorum vulnera figet ubi?  
 Quid frustra nemorum dominum regemque fatigas? 5  
 Non nisi delecta pascitur ille fera.

leo, prædas minores dedignatus. — *Armos*. Armi sunt in pecudibus, qui in hominibus humeri.

4. *Juvenorum*. Juvencis a se inferri solita. Vide supra, epigr. VII, XV, XXIII, XLV, XLVI, XLIX, LII, et

infra, epigr. CV, in quibus luxuriantis ingenii fecunditati indulget Martialis. Ed.

6. Barthius legit, *Non nisi dejecta*; quod non improbant viri docti.

## LXII.

AD LICINIANUM\*, SCRIPTORES UNDE.

VERONA docti syllabas amat vatis:  
 Marone felix Mantua est:  
 Censetur Apona Livio suo tellus,

\* *Ad Licinianum, Scriptores unde* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. aliis.

1. *Syllabas*. Versus scilicet: syllabis constant pedes, quibus constant versus. Vel intellige versus hendecasyllabos, seu Phaleucos (sic appellatos a nomine eorum inventoris) quorum in Catullo magnus numerus. — *Docti vatis*. Catullus, quem vocat quoque doctum Tibullus, lib. III, eleg. VII, natus est Veronæ, anno ab Urbe condita 667.

2. *Marone*. Virgilius natus est in vico, qui Andes vocabatur, non procul ab urbe Mantua, anno ab urbe condita 684.

3. Legitur etiam *Aponi*, quod verum putat Cagnerius. Aponus autem fons est prænobilis, unde tota regio Patavina illustrata est;

in cujus laudem Claudian. et Cassiodor. plenis quasi velis sese effuderunt. — *Censetur*. Laudatur, æstimatur. Censeri dicebantur qui profitebantur apud censorem nomen suum, genus, tribum, liberos, maxime vero et rem familiarem, quæ latine census dicitur. Equites censebantur quadringentis millibus H. S. Proletarii capite censeri dicebantur, quia nihil præter se ipsos in censum referebant. Quum igitur alicujus bona significare vellent Romani, dicebant: Hic censetur quadringentis, sexcentis, etc. hinc ortus est elegantissimus dicendi modus, *censeri pulchritudine, censeri virtute*; sic Apona censetur Livio, historicorum principe, qui sub Augusto et Tiberio floruit et ex cujus 142 libris, supersunt tantum 35. — *Apona*. Aponus, *Abano*,



Stellaque, nec Flacco minus.  
 Apollodoro plaudit imbrifer Nilus; 5  
 Nasone Peligni sonant.  
 Duosque Senecas, unicumque Lucanum  
 Facunda loquitur Corduba.  
 Gaudent jocosæ Canio suo Gades;  
 Emerita Deciano meo. 10  
 Te, Liciniane, gloriabitur nostra,  
 Nec me tacebit Bilbilis.

vicus cum fonte et balneis in agro Patavino, unde T. Livius ortus dicitur, a Patavio quinque mill. pass.

4. *Stella*. Hujus opera non exstant. Vide supra, epigr. VIII, et libri VII, epigr. XIII. — *Flacco*. Qui scripsit octo libros Argonauticon, quos Vespasiano dedicavit.

5. Nonnulli legunt *gaudet imbrifer*. Ed. Junt. penes editorem in margine habet: *Apollodore tibi papyrifer Nilus*; quæ lectio forte reponenda, si aliquo bono codice confirmaretur. *Papyrifer Nilus*, *linifer Nilus*, etc. passim leguntur apud Poetas; *imbrifer Nilus* nullibi, credo, nisi apud hodiernum Martialem. — *Apollodoro*. Nobili poetæ comico, Alexandrino, Menandri æmulo. — *Imbrifer Nilus*. Qui inundatione sua, vice imbrium, qui in Ægypto rari, fungitur in terra irriganda.

6. *Peligni*. Populi Italiæ, ubi erat Sulmo, patria Ovidii, a quo commendatur, regio, nunc *Valva*. Ovid. de Ponto, lib. IV, epigr. XIV, 49: « Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo. »

7. *Duosque*, etc. Patrem rhetorem et declamatorem; filium philosophum et tragicum. Vide lib. IV, epigr. XL, v. 2. — *Lucanum*. Senecæ philosophi ex fratre nepos fuit; perire jussus a Nerone, cui propter æmulationem artis poeticæ invisus erat, sibi venas incidit.

8. *Corduba*. Urbs Hispaniæ; hodie *Cordoue*.

9. *Jocosæ Gades*. Hispaniæ populi ad fretum Gaditanum, choreis et saltationibus mire dediti. Vide epigr. XLII supra. Vulgo *Cadix*. De *Canio*, vid. epigr. LXX, infra.

10. *Emerita*. Urbs Lusitaniæ, hodie *Merida*. De Deciano, vide supra, epigr. IX et XL.

11. *Te, Liciane* in Ald. Junt. Colin. Gryph. et Junian. aliisque vett. *Liciniane* testatur codex Vossianus.

12. *Bilbilis*. Urbs in Celtiberia, Martialis et Liciniani patria, de qua mentio incidit supra, epigr. L, v. 3. Videat lector quæ ad hunc locum adnotavimus, et varias eruditorum de hac urbe sententias ibi inter se comparet. Ed.

## APPENDIX AD EPIGRAMMA LXII.

## AD LECTOREM.

Omnibus hoc vitium fuit operum antiquorum commentatoribus, ut, quem suis interpretationibus illustrabant scriptorem, eum supra cæteros omnes laudibus extollerent immodicis; ita ut, ubi nihil venusti, venustissima, nihil acuti, acutissima, nasuta sagacitate semper odorarentur, clementiores operis, quam operis ipse pater, miratores.

Inde fit, ut unumquemque poetam aut oratorem, ubi scriptis ejus impalluit explicandis, protinus numen veluti perfectum sibi commentator effingat, effectumque primus ipse veneretur: cujus liber, veluti sacellum inviolabile; syllaba quæque, religiosum sacelli ornamentum; quod despiceret, stoliditas; removere, nefas; evertere sacrilegium, omni Apollinis ira puniendum: quid plura? Interpretum sententia, qui antiquus, idem irreprehensibilis: quasi non omni tempore humana peccaverit incuria! quasi non semper nævis distincta fuerit venusta corporis politissimi superficies!

Hæc nos dicentes forsitan brevi deridebis, lector, quum nos hujus commentatorii moris simul videbis derisores, simul imitatores: enim vero quam accurata subtilitate feliciorem verborum juncturam appeterent scriptores antiqui, et quam improbo labore rem unamquamque legentibus præberent verbo aptissimo et vere suo perspicuam, nobis est animus tibi animadvertendum subdicere, epigrammatis hujus LXII, quod primo oculorum conjectu nihil nisi enumeratio videtur, verba tibi explicando.

Quod autem tibi dicturi sumus, puta nos primum non dicere, sed multis auctoribus, et præsertim Ramiresio, scribere, non febre miratrici, ut ita dicam, correptos, sed in justam Martialis laudem conversos.

Etenim attente notanti cuilibet singula hæc vocabula, *amat, felix est, censetur, plaudit, sonant, loquitur, gaudent, gloriabitur, tacebit*, continuo patet, nullum ex iis loco suo moveri potuisse, et in alium importari, nisi dilabente carminis elegantia, sensusque hebescente subtilitate:

Verona docti syllabas amat vatis.

Scripsit amatoria Catullus: omnem ex amore quæritanti laudem, amor justa maxime merces et maxime decens: itaque *amantem* Lesbæ *amans* patria remuneratur.

Marone *felix* Mantua est,

*Infelix* ab agrorum divisione dicta a Virgilio Mantua, eadem *felix* alumni sui laude civitas: cujus quidem ager contrahitur modicis circumscriptus finibus; fama autem, nullas temporum aut locorum hæsuras inter angustias, dilatatur.

*Censetur* Apona Livio suo tellus,  
Stellaque, nec Flacco minus.

Patavinæ urbis regio, aurea camporum ubertate dives, et multiplici naturæ benignitate luxuriosa, nullis tamen amplioribus censetur opibus, quam copiosa gloriæ messe ex Apollineo illo civium suorum triumviratu recollecta.

*Apollodoro plaudit imbrifer Nilus.*

Plausibus sistrorum et crepitaculorum sonitibus Isidem deam comitabantur, et nobilium virorum, divinam imaginem in terris quasi referentium, adventus celebrabant Ægyptii. (Vid. Stat. *propemptic.* Metio Celeri, lib. III *Silvarum*; Tibull. ad Deliam; Ovid. *Metam.* lib. X, etc.)

*Nasone Peligni sonant.*

Pelignorum regio multis aquarum canalibus et fluviorum decurrentium lapsu altisonans, altius tamen reboat Ovidii laudibus, quæ quidem quum decantentur in ripis, aquæ plana superficie longius repercutiuntur.

*Duosque Senecas, unicumque Lucanum*

*Facunda loquitur Corduba.*

Proprium est facundiæ, loqui.

*Gaudent Jocosæ Canio suo Gades*

*Emerita Deciano meo.*

Omni ludorum *gaudiorumque* generi dediti Gaditani, Canio *gaudent*; nulla justior iis lætandi causa, quam quod Canium ediderint, ipsorum nomen cum suo nomine posteritati commendaturum: secundo versu subauditur verbum *gaudent*, quia Emerita ejusdem regionis civitas, iisdem moribus.

*Te, Liciniane, gloriabitur nostra*

*..... Bilbilis.*

*Gloriosus* natura sua Celtiber, suique laudator ambitiosus:

*Nec me tacebit Bilbilis.*

In quo animadvertenda Martialis modestia.

Hæc sunt, lector, quæ tibi meditanda subjici volumus, ut alia meditandi inde occasionem arriperes; quæ si non omnino vera, et quadam ex parte subtiliora judicaveris, quamdam saltem tibi afferent utilitatem, si accuratam dicendi elegantiam, usurpatam a Veteribus, tibi persuadeant esse potissimum imitandam. Ed.

## LXIII.

DE LÆVINA CASTA, ET AD BAIAS ADULTERA.

CASTA, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,  
 Et quamvis tetrico tristior ipsa viro,  
 Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno,  
 Et dum Baianis sæpe fovetur aquis,  
 Incidit in flammis, juvenemque secuta, relicto  
 Coniuge, Penelope venit, abît Helene.

Σόφρων, οὐδὲ πάλαι σεμναῖς εἴκουσα Σαβίνας  
 Λαβίνη, στυφνοῦ τ' ἀνδρὸς ἀτεγκτοτέρη,  
 Συχνάκι Λουκρίνω, καὶ Ἀόρνῳ ἐνεψιῶσα,  
 Καὶ θερμοῖς Βαιῶν ὕδασι θαλπομένη,  
 Ξείνω ἔρωτι δάμη, τόν τ' ἄνδρα λιποῦσα, νέω μὲν  
 Ἔσπετο· Πηνελόπη δ' ἦλθεν, ἀπῆλθ' Ἑλένη.

\* *De Lævina casta, et ad Baias adultera* lemma est in Ald. Junt. Colin. Gryph. et aliis vett. *De Lævina* in cod. Thuan.

1. *Sabinis*. Quarum mores sancti et incorrupti erant. Juven. sat. VI, vers. 163. « Intactior omni Crinibus effusus bellum dirimente Sabina. »

2. *Tetrico tristior*. Alienior a jocis et deliciis quam maritus ipse, severus homo et austerus.

3. In Ald. Junt Colin. Gryph. aliisque, *præmittit*: *per et præ* in compositione sæpe confunduntur a librariis. Vide nos ad Tibull. IV, 1, 175. — *Lucrino*, etc... Id est, utitur publicis balneis in lacu Lucrino, Avernoque et Baiis. Lacus Lucrinus inter Puteolos et Baias,

olim erat celebris, sed terræ motu, anno 1538, absorptus est, restat tantum lutosa palus, quæ vocatur *mare morto*. — *Averno*. Avernus lacus, Cumis Baiisque proximus appellatur hodie *Lago d'Averno*, vel *di Tripergola*.

4. *Baianis*. « Quæ diversorium vitiorum esse cæperunt. » Seneca, epist. 51.

5. *Incidit in flammis*. Per antithesim opponit thermarum aquis flammis amoris inhonesti.

6. Pulmannus legit, *abît Thymele*, improbante Musambertio. — *Penelope venit*. Id est, casta: *abit Helene*, hoc est, adultera. Harum historia satis nota est. *Abît* ultima syllaba producitur propter contractionem pro *abiiit*.

## LXIV.

AD CELEREM.\*

UT recitem tibi nostra rogas Epigrammata. Nolo.  
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

\* In hoc epigrammate nil variant exemplaria, vel scripta, vel excusa.

2. *Sed recitare.* Inde occasionem arripere tuorum mutua vice reci-

tandorum. Vid. lib. V, epigr. LXXIV; lib. VII, epigr. 11; vel mea carmina retinere memoria, aliis ut tua recitaturus. Prior sensus magis mihi placet. ED.

## LXV.

AD FABULLAM SUI LAUDATRICEM.\*

BELLA es; novimus: et puella; verum est:  
Et dives; quis enim potest negare?  
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,  
Nec dives, neque bella, nec puella es.

\* In plerisque: *Ad Fabullam ambitiosam*; quod mutavimus. *Ad Fabullam ambitiosam in laude* in edd. vett.— In hoc epigrammate Fabullam quamdam deridet venustate quidem et divitiis insignem, sed quas a natura vel fortuna acceperat dotes, se superbe laudando, obscurantem. ED.

1. *Bella.* Vid. supra, epigr. x, hujusce libri.

2. Videtur Rutgersio scribendum: *Quis et id potest negare?*

3. *Sed dum te.* Modestia enim et

verecundia commendantur puellæ. Plinius Junior, lib. I, epist. 8. « Etenim si alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi solent, quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se aut de suis disserentis. »

4. *Nec dives.* Idem Plinius, ibid. « Quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente, vanescit. » — De eadem aut altera Fabulla est epigr. LXXIX, lib. VIII, in qua eam acrius carpit Martialis. ED.

## LXVI.

AD CÆCILIANUM, DE GENERE ET DECLINATIONE FICUS.\*

QUUM dixi, ficus, rides quasi barbara verba,  
 Et dici, ficos, Cæciliane, jubes.  
 Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:  
 Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

\* Hoc epigramma est grammaticis crux; ideo scædata ab iis epigraphæ, additis ineptis verbis, *De genere et declinatione ficus*, quæ omnino expungenda sunt. » *Ramires*. Musambert. malit: *In Cæcilianum*.

1. *Quum dixi*, etc. Multiplex hujus epigrammatis exposita fuit ab interpretibus explicatio. Inter omnia quæ disseruerunt, unum tantum adoptavimus sensum, quem verisimilem maxime judicamus. Ed. — *Ficus*. *Ficus*, ùs, quartæ declinationis, est fructus; *Ficus*, i, secundæ autem, est morbus. (Vid. lib. IV, epig. LII; lib. VII, epig. LXXI; lib. XII, epig. XXXIII.) Igitur, ait Martialis, quum ego vocem hanc *ficus* (accus. plur.) posui in quarta declinatione, me rides, quasi loquar barbare parumve

latine; visque dici *ficos*, quasi vox *ficus* (fructus) esset secundæ declinationis; ego vero tibi respondeo, vocem illam *ficus*, quum significat fructum, recte dici in quarta declinatione; quum autem significat ulcus turpe quo laboras, esse secundæ. Dicemus ergo, ficus arboreas, et tuos ficos.

2. *Et dixi* Junt. anno 1512.

3. *Dicemus ficos* legunt nonnulli, improbante recte Ramiresio.

4. Alii legere malint, *tuas*. Vide Richard. Johnsonium Nottingham. in lib. Animad. in Lillii Gramm. — *Ficos tuos*. Morbum seu vitium podicis, quandoque ex pædicatione ortum, quum intumescit caro, et instar ficus excrescit. — *Tuos*. Hoc morbo laborabat Cæcilianus. Ed.

## LXVII.

AD FUREM DE LIBRO SUO.\*

ERRAS, meorum fur avare librorum,

\* Invehitur in plagiarium, carmina a Martiale edita ementem a bibliopola, et recitantem ut sua; eumque monet, ut emat ab ipso

I.

poeta versus nondum vulgatos, nec bibliopolæ traditos, si sua furta velit non deprehendi. Ed.

1. *Fur avare*. Avarus est qui fa-

8

Fieri poetam posse qui putas tanti,  
 Scriptura quanti constet, et tomus vilis.  
 Non sex paratur aut decem sophos nummis.  
 Secreta quære carmina, et rudes curas,  
 Quas novit unus, scrinioque signatas

mam poeticam, pretii rem inæstimabilis, pretio contendit sibi vindicare vilissimo. Ed.

2. Gronovius legit : *posse qui putas tanto, Scriptura quanti constat.* — *Tanti..... Scriptura quanti.* Qui vis haberi poeta, emendo sex aut decem nummis unum exemplar meorum versuum, et ut tuum legendo. Ed.

3. *Scriptura.* Labor librarii transcribentis. — *Tomus.* A verbo *τεμνω*, *scindo* : id est, operis longioris, in partes secti, pars quædam; quæ quidem si in spiram involveretur, poterat æque vocari tomus et volumen : sed contra non omne volumen erat tomus; sex enim Persii satyras in unum volumen redigas, non erit tomus, quia opus integrum. — *Vilis*, parvi pretii.

4. *Sophos.* Acclamatio erat eorum qui recitantibus applaudent. Vid. sup. epigr. IV, v. 7; et epigr. I, v. 37. — *Nummis.* Sestertiis. Sestertius nummus valet asses Gallicæ monetæ duos; ita fuit appellatus quasi semistertius, quia valebat asses tres dempto semisse, sive duos et semissem. Exprimi solebat duabus L. L. cum S. nempe (duæ *libræ* sive asses et *semis*). Postea duæ L. L. junctæ sunt, et facta est littera H, unde obtinuit usus ut illa nota, H S, sestertius significaretur. Sestertium, neutri generis, valet mille sestertios, masculini.

5. *Secreta.* In scrinio (quod ut

vox *secretas* a verbo *secerno* venit) adhuc recondita. — *Rudes curas.* Carmina non edita. Rude est, quod nondum usu attritum est : metaphora ducitur a nummis, qui, recens cusi, apparent rudes et asperi, usu deteruntur ac lævigantur.

6. *Quas novit unus.* Hic incipit lepidam metaphoram a similitudine filiæ virginis, nondum passæ virum, et chartæ virginis, nondum lectorem passæ, ductam. Hanc solus auctor, illam solus pater novit; ut filia virgo abditur a parentibus, sic charta a poeta in scrinio; altera legentis manu, altera viri duro mento nondum trita est. Ed. — *Scrinioque signatas.* Romani, sicut antiquiores populi, exteriores codicum tabulas, loris, aliisque ligamentorum speciebus munire solebant ad constringenda volumina. Sæpius tamen, uti illis mos erat fere in omnibus vitæ negotiis, imo vilioribus, annulis signatoriis illos signabant, ita ut apud eos *signare libros* nihil aliud esset quam *cludere libros*; eo quod ubi epistolæ codicillique signabantur, id indicium erat illos clausos esse, haud secus ac e contrario *resignare* aliquando generatim significavit *aperire, dissolvere*. Atque sic Horatius, Epist. I, 13, v. 2 : « Augusto reddesignata volumina, Vinni. » Ed. — Scrinia erant plutei, armaria, loculi in quibus acta, libelli, commentarii, et literaria monumenta

Custodit ipse virginis pater chartæ,  
 Quæ trita duro non inhorruit mento.  
 Mutare dominum non potest liber notus.  
 Sed pumicata fronte si quis est nondum, 10  
 Nec umbilicis cultus, atque membrana,  
 Mercare : tales habeo; nec sciet quisquam.

asservabantur, Plin. VII, 25. ED.

7. *Virginis*. Junius vult virginem chartam esse, ex qua nullum transcriptum est exemplar; edita enim exemplaria quasi partus sunt codicis, manu poetæ scripti. ED.

8. *Quæ trita duro*, etc. Sic Salmasius explicat hunc locum: Quum legerent chartarum volumina Romani, partem adhuc involutam mento subiciebant, primorem vero partem subinde explicantes, ambabus tenebant manibus, legebantque: sic mento attrita, pilosa quadam lanugine horrebat charta, ut fit apud nos in libris vetulis sæpe ac diu manu lectoris evolutis. — Potest quoque intelligi hic locus de basiis quæ captat libellus. Vid. supra epigr. IV, v. 7; lib. IV, epigr. LXXXVII; lib. X, epigr. XCIII; lib. XIV, epigr. LXXXIV.

10. *Sed pumicata fronte*. Libri olim radebantur, circumcidebantur, itemque pumice lævigabantur. Ante inventam circumcisionem (*la rogure*) libros fuisse *pumicatos*, hoc est pumice politos, testatur Isidorus, VI, 2. Pumex enim (*la pierre ponce*) erat lapis cavernosus quo corpora lævigabant Veteres, teste Ovidio, I, de Arte Amandi: « Ne tua mordaci pumice crura teras. » Deinde in aliis etiam rebus ac cum primis in libris poliendis, pumices usurparunt, teste Plinio, XXXVI,

21. Speciatim frontes pumice poliebantur; quod testatur Ovidius, Trist. I, eleg. 1: « Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes, Hirsutus sparsis ut videare comis. » Conf. pereruditissima CH. GOTT. SCHWARZII dissertatio II, *de ornamentis librorum*, p. 80, Lips. 1756, in-4°. ED.

11. *Nec umbilicis cultus*. Id est, bacillis cedrinis vel buxeis super quos membranæ involverentur: quibus in volumen complicatis, in medio utrimque apparebat lignum, et ideo dicebatur similitudine quadam *umbilicus*: et quum is non assueretur membranæ, nisi et opere jam absoluto, hinc natum proverbium, *ad umbilicum perducere*, id est, *absolvere* librum. Umbilicis autem affigi solebant capitula cornea, ossea, vel eburnea, ornatus causa, quæ plerumque coloribus pingebantur et vocabantur cornua. Ita Ramiresius. — *Atque membrana*. Membrana bicolor a Persio dicitur, quia introrsum candida erat (qua parte scribebatur), extrorsum autem croceo vel purpureo colore imbuta.

12. *Mercare tales ab eo nec sciet quisquam* in Ald. Junt. Colin. et aliis vett. *abeo* habent codd. Palat. *habeo* cod. Put. unde Heraldus sic scribendum putat: *Mercare tales; habeo; nec sciet quisquam*. Scriverius:



Aliena quisquis recitat, et petit famam;  
Non emere librum, sed silentium debet.

*Mercare* : tales habeo, nec scilicet. Alii, *Mercare* : tales habeo; nec sciet quisquam. Melissus, et postea Ant. de Rooy, conj. *Mercare* tales adeo; cujus meminit etiam Heraldus; adeo pro propterea, ut sæpius; vel vim explendi habet. Vide Duker. ad Flor. I, 18, 25, et Snakenburg. ad Curt. III, 7, 5. Pro *sciet* tamen idem Ant. malit *sciat*, h. e. cura

quibuscumque potueris modis, ne quisquam resciscat. — *Tales habeo*, nondum editos, quos tu emas.

13. Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Delph. aliæ, et *quærit famam*, contra metrum.

14. *Sed silentium*. Dare auctori ut sileat, permittatque te sua recitare pro tuis, non librum autem a bibliopola vulgatum emere.

## LXVIII.

AD CHÆRILUM. \*

LIBER homo es nimium, dicis mihi, Chærule, semper.  
In te qui dicit, Chærule, liber homo est.

\* *Ad Cerylum* lemma est in Beverlandi MS. *Ad Chærulum* in edd. vet.

1. *Liber homo es nimium*. Id est, nimium dicacis animi, qui nemini parcis.

1. 2. *Ceryle* in eodem MS. *Liber homo est?* per interrogationem, in risum, placet Musambertio et Th. Marcilio.

2. *Liber homo est*. Hoc est, sine negotiis (gallice, *désœuvré*), qui tempus terit in salibus aspergendis super vile tuum et obscurum caput. Vid. epigr. LXI, lib. V; et LXII, lib. XII. Ed.—Vel sic intellige: Qui in te dicit, homo est liber, id est, ingenuus, cujus est libere dicere quæ sentiat. Jocus est in ambiguitate vocabuli *liber*.

## LXIX.

DE RUFO. \*

QUICQUID agit Rufus, nihil est nisi Nævia Rufo.  
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.

\* *De Ruffo et Nævia* in Ald. Junt. et Colin.

1. *Ruffus*. ... et *Ruffo* in iisdem.  
2. *Si tacet*. Insanum quippe suum

Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit; una est

Nævia : si non sit Nævia, mutus erit.

Scriberet hesterna patri quum luce salutem; 5

Nævia lux, inquit, Nævia, lumen, ave.

Hæc legit, et ridet demisso Nævia vultu.

Nævia non una est : quid, vir inepte, furis?

erga Næviam amorem gestu significabat.

3. Juntina nostra in margine scriptum habet, *annuit : una est* : et hanc veram esse lectionem quovis pignore contenderem.

5. *Scripserat* in Beverlandi MS.

6. In eodem MS. *numen*, quod citat etiam Heraldus.

8. *Nævia non vana est* Beverlandi MS. *fuit pro furis* in eodem. — *Nævia non una est*. Ludit in ambiguitate verbi *una* : supra enim di-

xerat *una est Nævia*, id est, de Nævia sola loquitur Rufus; deinde ait, *non una est*, quia duplex est, uxor duorum : habebat enim adulterum cujus et uxor dicebatur; nam adulterium unius matrimonium vocabatur, ut ait Seneca de Beneficiis, lib. III, cap. 16 : « Infrunita et antiquata est, quæ nesciat matrimonium vocari unius adulterium. » Vide lib. III, epigr. xcii.

8. *Furis*. Quasi castam insano prosequeris amore. Ed.

## LXX.

AD MAXIMUM.\*

COEPIT, Maxime, Pana quæ solebat,  
Nunc ostendere Canium, Terentos.

\* Hoc epigramma *Ad Naximum* inscribitur in Junt. anno 1512.

2. *Nunc ostendere Canium*. Pan et Satyri risu perpetuo lasciviunt : quum ego ridentem Canium Poetam deridere velit, ait, non ostendi amplius statuam Panos in Terento, ridentis habitu illic formatam; sed Canium, qui æque rideret ac Pan. Lib. III, epigr. xx. Canius erat festivus poeta Gaditanus. Vid. supra, epigr. Lxii, v. 9. — *Terentos*. Erat

locus in campo Martio, de quo lib. IV, epigr. 1, v. 8, et lib. X, epigr. Lxiii, v. 3, ubi ara subterranea Ditis et Proserpinæ, a Romanis antiquitus constituta, et alta humo sic occultata, ut paucis nota esset. Terentus autem est appellatus, quia terebat seu occultabat istam aram, vel quia Tiberinis aquis, ad cujus ripam erat, atterebatur. Val. Max. lib. II, cap. 4. De hac voce *Terentus* Rutgers. lib. IV, var. cap. 10.

## LXXI.

AD LIBRUM.\*

VADE salutatum; pro me liber ire juberis  
 Ad Proculi nitidos officiose lares.  
 Quæris iter? dicam: vicinum Castora canæ  
 Transibis Vestæ, virgineamque domum.  
 Inde sacro veneranda petes Pallatia clivo, 5  
 Plurima qua summi fulget imago ducis.  
 Nec te detineat miri radiata Colossi,  
 Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.  
 Flecte vias hac, qua madidi surt tecta Lyæi,  
 Et Cybeles picto stat Corybante tholus. 10

\* *Ad librum suum* inscriptio est MS. Beverlandi.

— Caio Julio Proculo se excusat quod non ad eum salutandum mane veniat, mittendo librum, in quo scribendo ita fuit occupatus, ut salutatum ire non posset. ED.

1. *Vade salutatum.* Martialis domus erat ad Pilam Tiburtinam, ut ipse testatur, in septima regione Urbis, « Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ; » Proculi vero domus erat in Palatio, regione decima, ad lævam templi deum Matris. Mediam viam hic describit Martialis.

2. *Officiose.* Hæc salutatio togata, inter officiorum genera. — *Lares.* Dii sunt domestici qui in ædibus privatim colebantur, sumpti pro domo ipsa.

3. *Castora.* Templum Castoris et Pollucis, quod in foro erat. — *Canæ Vestæ.* Vesta vocatur Cana,

quia Saturni, deorum antiquissimi, filia erat, et Cybeles. — *Virgineam.* Domum Vestalium.

5. *Clivo.* Monte Palatino.

6. *Aurea qua summi marg.* Junt. ap. Editorem. — *Imago.* Statua equestris Domitiani.

7. Beverlandi MS. et cod. Thuan. *radiata Coloris.* — *Nec te detineat.* Vid. lib. Spect. epigr. II, v. 1.

8. *Rhodium opus.* Colossus intellige, 60 cubitorum, inter septem orbis miracula recensitum. Sunt qui, ut hunc locum, sic libri Spectaculorum versum interpretentur de statua Domitiani, quam egregiis versibus descripsit Statius.

9. *Lyæi.* Ita vocatur Bacchus, a λύω, solvo, quia curas solvit.

10. *Et crudeles* in Beverlandi MS. et cod. Thuan. — *Tholus.* Camera ædificii, in fastigiatum acumen desinens, in qua trabes coeunt et conveniunt, ibidem scutum af-

Protinus a læva clari tibi fronte Penates,  
 Atriaque excelsæ sunt adeunda domus.  
 Hanc pete; ne metuas fastus, limenque superbum :  
 Nulla magis toto janua poste patet;  
 Nec propior quam Phœbus amat, doctæque sorores. 15  
 Si dicet, Quare non tamen ipse venit?  
 Sic licet excuses, Quia qualiacumque leguntur  
 Ista, salutator scribere non potuit.

fixum a quo dona suspenduntur. Sumitur aliquando ea vox pro omni ædificio cujus fastigium est rotundum. — *Picto Corybante*. Erant Corybantes sacerdotes Cybeles: eorum multæ imagines pictæ cernebantur in ejus templo. Dicti sunt a voce græca κορύπτειν, quæ significat caput saltando jactare, quia illi sacerdotes velut insano furore correpti saltabant, vel a voce κόρυς, *galea*, quod galero quodam, instar galeæ facto, uterentur. Corybantes feruntur fuisse infantis Jovis custodes. Vidend. quæ adnotavimus lib. IV, epigr. 1, v. 2.

11. In multis, *clari sub fronte*. Cod. Thuan. *clari tibi fonte*; unde quidam V. D. legendum censet, *clari sub fonte*, et Gronovii lectionem damnat. « Ego in duobus scriptis reperi: *clari tibi fronte*; idque verum est. Protinus inquit, a læva adeundi tibi Penates fronte clari, hoc est, illustria antepagmenta habentes. » Gronovius. Eamdem lectionem citat Pulmannus. — *Penates*. Proprie dii domestici, ita dicti quia in penitiori domo colebantur. Pro tota domo sumuntur. — *A læva... fronte*; id est, a læva parte templi Cybeles, Proculi domum invenies.—Alia alii intelligunt: ad

lævam templi (subaud. *partem*), invenies penates *claros fronte*, id est, illustria antepagmenta habentes.

12. *Excelsæ domus*. Domus sui Proculi.

13. *Hac pete*; in quibusdam vett. *Hanc pete* corr. Gruterus.

14. *Magis patet*. Ob domini affabilis humanitatem.

15. *Nec potior quam Phæbus amat* Beverlandi MS. et cod. Thuan. — *Nec propior*. Nec ulla domus Phæbo musisque gratior.

16. *Ipsè*. Martialis.

17. *Scilicet* legunt Pulmannus aliique nonnulli. — *Quia qualiacumque*. Quia non fuisset illi otium scribendi hæc, qualiacumque sint, epigrammata, si salutandi officiis vacasset. Ejusdem est argumenti epigramm. cix infra: « Sed tibi non multum est unum si præsto togatum: Multum est hunc unum si mihi, Galle, nego. Ipse salutabo decima, vel serius, hora: Mane tibi pro me dicat *avere liber*. » Et lib. XI, epigr. xxiv: « Dum te prosequor, et domum reduco, Aurem dum tibi præsto garrienti, Et quidquid loqueris facisque laudo, Quot versus poterant, Labulle, nasci? Hoc damnum tibi non videtur esse, etc. » Ed.

## LXXII.

AD SOMNUM.

NÆVIA sex cyathis, septem Justina bibatur;  
 Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.  
 Omnis ab infuso numeretur amica Falerno;  
 Et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni.

1. *Nevia* in quibusdam codicibus mendose; in aliis *Lævia*. Ex hoc epigrammate patet, quamvis in nonnullis vett. manuscriptis diphthongum *æ* simplice *e* scriptam videamus, Romanos eamdem diphthongum binis elementis scribere consuetos. Pro *cyathis* in codd. quibusdam *calathis*. Vide var. notas, et var. lect. ad lib. II, epigr. xv. — *Nævia sex*: Veteres solebant tot haurire cyathos, quot literas includebant amicæ, vel amici, vel imperatoris nomina. *Nævia* sex habebat literas propter diphthongum *æ*, quæ duabus æquivalet; sex ergo cyathos exhauriendos esse dicit Poeta, in honorem *Næviæ*. Vide lib. VIII, epigr. LI, v. 21; lib. IX, epigr. xciv; lib. XI, epigr. xxxvi.

3. *Omnis ab*. Sic enim amicæ nomen conjectandum relinquebant,

ubi exhaurirent tot cyathos, quot essent literæ in ejus nomine. Quum cyathus exiguus esset haustus, ait Ramiresius de Prado fuisse pocula sex cyathorum, nomine *semisses*, quinque, nomine *quincunces*, etc., quæ postulabant Veteres, unoque haustu bibebant, prout nomen sex, quinque, etc. etc., literas complecteretur. — *Falerno*. Optimum Campaniæ vinum. Vid. sup. epigr. xix.

4. *Tu mihi, Somne*. Alludit ad veterem morem, quo ad somnum conciliandum poscebatur ultimum poculum, Mercurio tanquam somni præsidi consecratum; pocula autem apud Græcos sacra erant tria; primum Διὸς σωτήρης, *Jovis servatoris*; secundum ἀγαθοῦ δαιμονος, *boni dæmonis*; tertium Ἑρμῶ, *Mercurii*, quod ultimum hauriebatur in ejus honorem.

## LXXIII.

AD FIDENTINUM.

NOSTRIS versibus esse te Poetam,  
 Fidentine, putas, cupisque credi?

2. *Fidentine*. Hunc plagiarium jam pupugit supra, epigr. xxx, xxxix, liii et liv, et forsitan epigr.

lxvii, in quo furem de quo loquitur esse Fidentinum non insulse conjici potest. Ed.

Sic dentata sibi videtur Ægle,  
 Emptis ossibus, Indicoque cornu :  
 Sic, quæ nigrior est cadente moro, 5  
 Cerussata sibi placet Lycoris.  
 Hac et tu ratione, qua Poeta es,  
 Calvus quum fueris, eris comatus.

4. *Emptis ossibus.* Factitios dentes, ut nos, Veteres auro vinciebant. Inde quum cautum esset lege decemvirali ne cadaver sepeliretur auro addito, decemviri aurum quo dentes vinciuntur, exceperunt. Vid. Cic. de Legibus, lib. II, in fine. — *Indicoque cornu.* Hoc est, ebore, quo significat dentes eboreos. Elephas potissimum in India nascitur.

5. Ed. Junt. anno 1512, *calente moro.* — *Cadente.* Quum morum cadit, maturum, et ideo nigerri- mum est. ED.

6. *Cerussata.* Cerussa genus est pigmenti quo illinitur vultus ad candorem conciliandum. Plin. lib. xxxv, cap. 6. — *Sibi placet.* Sibi candida videtur.

7. *Hac etiam ratione* in eadem, cum Ald. Junt. aliisque; sed male.

8. *Eris comatus.* Emptis nempe aut surreptis capillis. Notum adagium, *calvus comatus*, id est, homo qui fraude aliqua videri vult quod non est: sic emptis aut surreptis versibus vult videri poeta ille Fidentinus.

## LXXIV.

AD CÆCILIANUM. \*

NULLUS in urbe fuit tota, qui tangere vellet  
 Uxorem gratis, Cæciliane, tuam,  
 Dum licuit: sed nunc positis custodibus, ingens  
 Turba futurorum est: ingeniosus homo es.

\* Lemma in cod. Thuan. est *Ad Mecilianum*; et in ipso epigrammate, vers. 2, *Meciliane*.

3. *Positis nunc custodibus.* Nitimur enim in vetitum omnes, *cupimusque negata*, ut ait Ovidius, eleg. 4, lib. III Amorum, v. 17.

4. *Ingeniosus homo es.* Qui callido artificio efficere potuisti, ut uxor deformis peteretur; dentesque ex-

acuiisti amatoribus, incustoditam prius negligentibus. Vel etiam ingeniosus homo es, quia sic augendæ tuæ rei familiaris viam invenisti, muneribus scilicet nunc allatis ab amatoribus, qui contra ab uxore pretium antea accipiebant, nec eam tangebant gratis. Vid. lib. VII, epigr. LXXV, et lib. XI, epigr. LXIII.

## LXXV.

AD PAULLAM.\*

MŒCHUS erat : poteras tamen hoc tu, Paulla, negare.  
Ecce vir est : numquid, Paulla, negare potes?

\* Hic nulla lectionis varietas in eodd. exstat, vel libris impressis.

1. *Mæchus*, etc. Increbuit suspicio consuetudinis tuæ cum mæcho dum viveret prior maritus, post-

quam vero illo elato nupsisti suspecto illi mæcho, fecisti suspicioni fidem, rem propemodum fassa. Vide epigr. xxii, lib. VI: « Non nubis, Proculina, sed fateris. »

## LXXVI.

DE LINO.\*

DIMIDIUM donare Lino, quam credere totum,  
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

\* Nec in hoc epigrammate quicquam variant aut libri manu exarati, aut excusi.

2. *Mavult perdere dimidium*. Quum enim mutuuum non redderet Linus,

qui totum credidisset, totum perdidisset nolens; qui vero dimidium mavult eidem donare, perdit tantum alterum dimidium volens. Sic melior est ejus conditio. ED.

## LXXVII.

AD FLACCUM.\*

O mihi curarum pretium non vile mearum,

\* Valerium Flaccum, octo librorum Argonauticorum scriptor, de quo mentio, epigr. lxii, v. 4, supra, hortatur, ut, relicta poesi quæ parum quæstiosa est, ad forenses se

conferat eloquentiam, quæ valde lucrosa. ED.

1. *Pretium non vile*. Dignus sane ea amicitia, qua res tuas curo, tuæque consulo semper utilitati, ut

Flacce, Antenorei spes et alumne Laris,  
 Pierios differ cantusque chorosque sororum :  
 Æs dabit ex istis nulla puella tibi.  
 Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ : 5  
 Hæc sapit, hæc omnes fœnerat una Deos.  
 Quid possent hederæ Bacchi dare? Palladis arbor

nunc consulo, quum tibi persuadeam musas esse relinquendas. ED.

2. *Antenorei spes et alumne Laris.* Civis Patavinus. Trojanus Antenor (Virg. Æneid. lib. I) Paduam urbem, vel Patavium condidit, sic appellatam quia est ad Padum. — *Laris.* Lares qui sæpius pro ædibus, hic pro urbe sumuntur.

3. *Pierios differ cantus, cantusque sororum* citat Langius ex ed. Pulmanni. — *Differ.* Suspende in aliud tempus, quum præsens necessitas postulet, ut rem facias.

4. Junt. anno 1512 extstis. — *Ex istis nulla puella.* — Nulla musa.

5. *Quod petis a Phœbo, nummos* in quibusdam; *Quid petis a Phœbo, nummos* legendum censet Gronovius; ita certe Schrevelius. — *Quid petis a Phœbo.* Quid opes exspectas ab Apolline? ipse pauper est; quid erunt ejus alumni clientesque? At Minerva magnas habet in arca sua divitias, quas caudicibus largiatur suis cultoribus.

6. *Hæc super hæc omnes, etc.,* in marg. ed. Junt. penes editorem, unde forsitan proba lectio elici possit, *Hæc super hos omnes, etc.,* id est, Minerva fœnerat, et supplet divitias præter omnes hos deos, Apollinem scilicet et musas. At vide var. notas. — *Hæc sapit.* Qui ditissimus est, idem sapientissimus; vid. Horat. lib. II, sat. 3, 74: "Omnis

enim res, Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris Divitiis parent, quas qui contraxerit, ille Clarus erit, fortis, justus... Sapiensne? etiam! et rex, Et quidquid volet." — Sic quoque Bo-læus noster, epist. 5, 91 :

Dans mes coffres tout pleins de rares qualités,  
 J'ai cent mille vertus en louis bien comptés. ED.

— *Fœnerat.* Tantas habet opes, ut mutuam dare pecuniam possit Diis omnibus, egentibus scilicet, et æs alienum contrahere coactis. ED. — Alii intelligunt; Arca Minervæ tribuit omnes deos, id est, quidquid separatim conferunt cæteri dii, una simul confert, potentiam, pulchritudinem, ingenium, etc.

7. *Quid possunt hederæ* Ald. Junt. Colin. aliæ vett. — *Quid possent hederæ Bacchi dare?* Poetæ, qui sunt in tutela Bacchi, coronabantur hederæ, quæ huic deo sacra erat; Virg. Eclog. VII. — Sterilis autem est hederæ; at olea baccas profert quarum pondere ramos depressos habet; hoc est, friget poesis, fervet ac ditescit forum. Est Phædri Apologus, lib. III, fab. XVII, in quo Palladem collaudat Jupiter, quod cæteris diis steriles ad gloriæ speciem eligentibus arbores, illa olivam propter fructum elegisset; inde vera scilicet sapientiæ dea, nam lucri odorem sapere, vera est sapientia.



Inclinat varias pondere nigra comas.

Præter aquas Helicon, etserta, lyrasque dearum

Nil habet, et magnum sed perinane sophos. 10

Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permesside nuda?

Romanum propius, divitiusque forum est.

8. Cogitabam, pro *varias*, *gravidas*, vel *curvas*; quibus epithetis passim utuntur auctores, ubi de fructuum abundantia agunt: sed abstineo, postquam *τὸ varias* sæpius olivis tribui didicerim; unde et *bicolor bacca* oliva dicitur Ovidio *Metam.* VIII, 664. An autem, pro *nigra*, legendum *pigra*? vel quia oleæ tarde crescunt; vid. Varr. de *Re Rust.* I, 41, et Virg. *Georg.* II, 3; vel quia arbores non inepte *pigræ* dici queunt, quum, ramis fructuum pondere gravatis, non tam faciles motant cacumina. An scripsit forte, *Inclinat vario pondere pigra comas*? Haud temere tamen *τὸ nigra* rejecerim: tum, quia explicari potest *umbrosa*; oleæ certe et umbræ gratia scerebantur (Plin. *N. H.* XV, 18): tum vero, quia *nigra* pro *viridi* accipi potest. Ovid. *Fast.* IV, 139. » *Ant. de Rooy.* — *Varias comas.* Quia virides una parte, altera candidiores sunt.

9. Langius ex ed. Pulmanni citat: *cytharamque deorum.* Junt. ann. 1512, exhibet, *hyrasque deorum*; aliæ, *lyrasque deorum.* — *Helicon.* Bœotiæ est mons, Phocidi vicinus, non procul a Parnasso, qui et ipse Apollini sacer est et Musis.

10. Codex Palat. atque alius quo usus est Heraldus habebant, *sed per inane*; unde ille conj. *sed perinane.* Sic etiam legit Heins. ad Ovid. *Art.* I, 337. Alii *semper inane.* — *Sophos.*

Acclamatio erat qua recitantes poetæ excipiebantur, sed nihil emolumenti accipiebant. Vide epigr. iv, supra, v. 7.

11. *Permessidos unda* ed. antiq. Ferrar. anno 1471. Venett. Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ. *Permesside lymphæ* legit Janus Guilielmus ex codice. *Permesside unda* citatur in edit. *Barbou* 1754. Lectionem nostram ex optimis codicibus dederunt Gruterus et Scriverius. — *Cirrha.* Unus est e verticibus Parnassi; alter Nysa dicitur. — *Permesside.* Permessis fluvius ex Helicone dilabatur.

12. *Romanum*, etc. Forum Romanum, idemque vetus dictum, erat omnium antiquissimum; additum aliud deinde a Cæsare fuit, Julium nuncupatum, ac deinde Palladium, quum Domitianus illud instaurasset; tertium ab Augusto. Accessit quartum Nervæ quod transitorium dicebatur. Additum denique Trajani forum, sive Ulpium. — *Propius* quam Cirrha et Helicon, qui sunt procul, in Græcia. — *Divitius.* Verbum antiquum. *Ditius* in usu frequentiori est. Lege Bolæum, sat. I:

Faut-il donc désormais jouer un nouveau rôle?

Dois-je, las d'Apollon, recourir à Bartole,

Et feuilletant Louet allongé par Brodeau,

D'une robe à longs plis balayer le barreau?

Mais à ce seul penser je sens que je m'égare.

Moi? que j'aïlle crier dans ce pays barbare, etc.

En.

Illic æra sonant : at circum pulpita nostra,  
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

13. Janus Guilielmus Verisim. lib. III, cap. 19, ex quodam cod. legit *ad Circum et pulpita nostra*; recenset enim loca poetis veluti consecrata, *Circum*, in quo ludi fiebant et spectabantur fabulæ; *pulpita*, e quibus recitabantur poemata; *cathedras* grammaticorum, e quibus explicabantur. — *Illic æra sonant*. In foro nempe, ubi pecuniam accipiunt caudidici.

14. *Et steriles cathedras*. Nullum

emolumentum affèrentes. Juv. Sat. VII, 203: « Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ. » — *Basia sola*. Sciendum est olim non solum iis qui scripta sua publice recitarunt ab auditoribus varie acclamatum, sed eos pariter ac libros ipsos, tunc si placuissent, amplexu atque basiis exceptos esse. Hac de re Noster loquitur, epigr. IV, supra: « Dum basia captas, etc., et forsàn quoque epigr. LXVII, v. 8. Ed.

## LXXVIII.

DE CHARINO.\*

PULCHRE valet Charinus, et tamen pallet,  
Parce bibit Charinus, et tamen pallet.  
Bene concoquit Charinus, et tamen pallet.  
Sole utitur Charinus, et tamen pallet.  
Tingit cutem Charinus, et tamen pallet. 5  
Cunnum Charinus lingit, et tamen pallet.

\* *De Carino*, lemma est in Ald. Junt. Colin. et aliis vett.

—Enumerat Martialis omnia quæ ad corpus colorandum sunt accommodata; integram valetudinem; parcum potum, nam qui large bibunt, solent hydropisi vel alio morbo pallere; bonam concoctionem, nam crudi pallidi sunt; solis usum, qui colorabat, unde colorarii dicebantur, qui cutem curabant ad so-

lem; uncturam corporis, sive oleo ad solem, sive etiam fuco, quem quasi decolorant ac pallidum reddunt morbidi: hæc omnia quin experiretur Charinus, pallebat tamen, quia turpi vitio laborabat, quod notat ultimo versu poeta.

4. *Sole utitur*, etc. Hic versus deest in quibusdam membranis, et edd. vett. Ald. Junt. Colin, etc.

6. *Et tamen*. Ironice, pro *et ideo*.

## LXXIX.

## DE FESTO. \*

INDIGNAS premeret pestis quum tabida fauces,  
 Inque ipsos vultus serperet atra lues;  
 Siccis ipse genis flentes hortatus amicos  
 Decrevit Stygios Festus adire lacus.  
 Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,  
 Aut torsit lenta tristia fata fame:  
 Sanctam Romana vitam sed morte peregit,

Εὔτε νόσος πονέοντα παρίσθημα θλίβε, καὶ ἤδη  
 Ὄψιν ὄλην λειχὴν εἶρπ' ἐπιβοσκόμενος,  
 Παρφάμενος γνωτοῖς ἀριδάκρυας αὐτὸς ἄδακρυς  
 Φῆσος ἔγνω διαβάς εἰς αἶδαο, θανεῖν.  
 Οὐδ' ἐμίγη ποτῶ καθαρὸν σόμα φαρμακόντι,  
 Οὔτε πολυχρονίη τὸν μόρον εἶλκε τριβῆ.  
 Ῥωμαίη σεμνήν βιοτὴν σφρήγισσε τελευτῆ,

\* Festum quemdam, Domitiani imperatoris amicum, laudat, quod fœdissimo morbi genere correptus ferro sibi necem consciverit.

1. *Indignas*. Affectas morbo immerito, a quo viri virtus eas vindicare debuisset. Ed. — *Pestis tabida*. *Mentagra* vel *Lichen*, scabies quædam, quæ a mento in collum pectusque serpit.

2. *Inque suos* Grut. Scriv. Farn. Schrevel. etc. *Inque ipsos* Venet. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Lang. Delph. aliæ: et sic legit *d'Orleans*. Vide Gronov. inter var. notas, ad epigr. cxii. *Inque duos Barbou*, Par. anno 1754, errore manifesto pro *suos*.

3. *Siccis genis*. Oculis non lacrymantibus magnanimam testatus fortitudinem. Ed.

4. *Stygios adire lacus*. Sponte mori.

5. Janus Guilielmus Verisimil. lib. III, cap. 19. legendum putat *palluit*, ut apud Virg. *Æn.* VIII, 709, de Cleopatra veneno peritura: «pallem mortem futura.» Hoc improbat Musamb. contra Ramires. legens: *Nec tamen obscæno pia polluit ora veneno*. — *Obscuro*. Quod arcana vi nocet, imisque in præcordiis clam sævit. — *Polluit*. Veneno extincti colorem referunt lividum.

7. *Romana morte*. Sed gladio vitam abruptit, quod mortis genus

Dimisitque animam nobiliore via.  
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis  
Fama potest : hujus Cæsar amicus erat.

10

Καὶ γενναιοτέρῳ πότμῳ ἀφῆκε πνοήν.  
Τοῦδε μόνον τιμᾶν δύναται πρὸ μύροιο Κάτωνος  
Αἰών. τοῦδε φίλος Καῖσαρ ἐτύγχαν' ἑών.

Lucretiæ , Catoni , Bruto , etc. placuit.

8. Venet. Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ vett. exhibent, *nobiliore rogo* : et Ramires de Prado, nescio unde, citat *nobiliore loco*. Musambertius e membranis affert, *nobiliore via* : codex Heraldi habet *vita*, et quod confirmat lectionem nostram ex optimis libris restitutam. Vid. var. notas. *Nobiliore modo* fortasse reponendum putat Wake-

field. in Sylv. crit. part. IV, § 169. — *Nobiliore via*, i. e. vulnere facto; honesta igitur et ampla porta, non autem fœdo meatu quem aperiebat mentagra, emisit animam.

9. *Catonis*. Vid. epigr. IX, et XLIII, v. 4 supra.

10. *Hujus Cæsar* : se enim interemit Cato metu aut odio Cæsar; at vero Domitianus Imp. hujus Festi amicus fuit. Majoris est animi, vitam relinquere beatam. ED.

## LXXX.

AD ATTALUM, ARDELIONEM.

SEMPER agis causas, et res agis, Attale, semper :  
Est, non est quod agas, Attale, semper agis.  
Si res et causæ desunt, agis, Attale, mulas.  
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

Perstringit Noster unum ex istis Ardelionibus, quos sic describit Phædrus, lib. II. Fab. 5 : « Est Ardelionum quædam Romæ natio Trepide concursans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens, Sibi molesta et aliis odiosissima. ED.

1. In Junt. penes editorem margini scriptum legitur : *Semper agis causas, dum agitur res, Attale, sem-*

*per*. Mox vs. 3, *agis, Attale, nugas*.

— *Attale*. Vid. Martialem nostrum lib. II, epigr. VII.

4. *Agas animam*. Id est, pereas. Lusus epigrammatis est in ambiguitate verbi *ago*, quod significat facere, *ante se ducere, expellere*, etc. Similiter lusit Seneca, epist. 24; « quid egeris tunc apparebit, quum animam ages. » Vid. et lib. IV, epigr. LXXIX.

## LXXXI.

AD CANUM. \*

SPORTULA, Cane, tibi suprema nocte petita est.  
Occidit, puto, te, Cane, quod una fuit.

\* In hoc epigrammate nihil variant aut exemplaria scripta, aut typis excusa.

—Avarum quemdam Canum deridet qui nocte ipsa qua mortuus est, sportulis vacaverat postulandis: inde ait poeta eum mœrore confectum, quod unam tantum accepisset.

1. *Sportula*. Olim dabatur clientibus cœna recta; eam Nero in

sportulam mutaverat, hoc est in cibis qui e patroni mensa mittebantur in *sporta*, sive *calatho*, ad clientes in atrio expectantes: denique pro *sportula* et cibis, data est pecunia, nempe centum quadrantes. Domitianus, antiquato Neronis edicto, revocavit cœnas rectas, et sportulam sustulit. Vid. lib. III, epigr. VII et XIV, etc. — *Una fuit*. Quod avaro luctuosissimum.

## LXXXII.

AD SOSIBIANUM.

E servo scis te genitum, blandeque fateris,  
Quum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

1. *A servo* cod. Thuan. *E servo* omnes alii libri. Musambertius in libello contra Ramires de Prado ipsissimam Valerii manum esse contendit: *E serva scis te genitum*, etc., qua conjectura nihil certius videtur Heraldo. At consule var. not. — *E servo*. Sosibianus ex adulterio nobilis matronæ cum servo natus erat, et illius matronæ virum, cuius filius putabatur, *dominum* blandiendo vocitabat: Recte facis, inquit vates; tu ex illius servo natus es: verna es igitur ejusdem, non

filius. — Quod nempe mater adultera ex servo suscepisset Sosibianum: vel forte melius legendum *E serva*; quum enim *partus ventrem sequatur*, ex serva et patrefamilias natus Sosibianus servus est, et patrem habet eundem et dominum. Vid. epigr. LXXXV, infra. « Uxorem habendam non putat Quirinalis: Quum vult habere filios et invenit Quo possit istud more; futuit ancillas, Domumque et agros implet equitibus vernis. Paterfamilias verus est Quirinalis. »

## LXXXIII.

DE REGULO.

HÆC, quæ pulvere dissipata multo  
 Longas porticus explicat ruinas,  
 En quanto jacet absoluta casu!  
 Tectis nam modo Regulus sub illis  
 Gestatus fuerat, recesseratque;  
 Victa est pondere quum suo repente;  
 Et postquam domino nihil timebat,  
 Securo ruit incruenta damno.  
 Tantæ, Regule, post metum querelæ,

Ἐν πολλῇ κόνει ἡ σοὴ ριφεῖσα,  
 Μακρὸν ῥυσμὸν ἐρειπίων ἀπλῶσα,  
 Ποίῳ πτώματι κεῖται ἡμούουσα;  
 Ἀκμὴν ταῖσδ' ὑπὸ Ῥήγυλος σέγγησιν  
 Αἰώρης ἐλάσας ὄχημ' ἀπῆλθε.  
 Βρίθει δ' ἀχθομένη δέδουπεν ἄφνω.  
 Χ' ὡς μηθὲν περὶ δεσπότη τρέουσα  
 Πτώσει ἤριπεν ἀσφαλῆς ἀθῶφ.  
 Τόσσου, Ῥήγυλε, κινδύνου μετ' αἶσαν,

1. *Hæc quæ.* Ejusdem argumenti est epigr. XIII, supra. — *Pulvere dissipata.* Cum ingenti pulvere colapsa.

3. *Absoluta casu.* Hic casus fuisset mors Reguli; quæ quum universam hominum invidiam excitasset, non fuisset expers criminis casus; inde dicit porticum absolutam *casu*, quasi dicat absolutam *crimine*. ED.—Vel, quam felici casu innocens, et ideo absoluta, jacet!

7. In Ald. Junt. et Colin. *Et postquam dominum.*

8. *Securo damno.* Suo damno et periculo tantum.

9. Janus Rutgersius var. lect. lib. VI, cap. 11, *Tutæ* scribendum putat, postquam evasisset Regulus. — *Tantæ post metum querelæ.* Postquam liberati sumus metu damni quod ingentes querelas excitasset fortunam incusantium, negantiumque providentiam. Sic epigr. XIII,

Quis curam neget esse te Deorum,  
Propter quem fuit innocens ruina?

10

Τίς σ' οὐκ ἀθανάτων μέλημα φαίη,  
Πτῶσις οὐ χάριν ἀβλαβῆς ἐτύχθη;

supra, v. 9 : « Nimirum timuit nostras Fortuna querelas, Quæ par tam magnæ non erat invidiæ. » ED. 10. *Quis neget.* Vid. hujus libri epigr. XIII, v. 12 : « Stantia non poterant tecta probare deos. » ED.

## LXXXIV.

DE MANNEIA.\*

Os et labra tibi lingit, Manneia, catellus :  
Non miror, merdas si libet esse cani.

\* *De Manuella* inscribitur in Venet. Ald. Junt. et Colin.  
1. In iisdem *lingit Manuella.* — *Os et labra.* Ora et labia Manneia fœtida fuisse notat, canes quippe lambendis immunditiis delectantur, quæ tetro odore non superant fœditatem tui oris. Juven. sat. 10 : « Bona tota feruntur Ad Phialen ; tantum artificis valet halitus oris ! »  
2. Pro *libet*, alii legunt *licet.* — *Esse.* Edere.

## LXXXV.

DE QUIRINALI.\*

UXOREM habendam non putat Quirinalis,  
Quum vult habere filios ; et invenit  
Quo possit istud more : futuit ancillas,

\* Salse notat Quirinalem equitem Romanum, qui cælebs quum esset, innumeros ex ancillis suscipiebat liberos.  
interrogationis nota sic legunt : *Quum vult habere filios, et invenit. Quo possit istud modo? — Istud. Habere filios, nec tamen uxorem ducere. — More.* Id est, ratione sibi in morem conversa. ED.  
2. 3. Junius, ed. Plant. Langius, Pulmannus, aliique nonnulli cum

Domumque, et agros implet equitibus vernis.  
Pater familiæ verus est Quirinalis.

5

4. *Et agros.* Libidinem notat Quirinalis, qui non solum domesticas ancillas et urbanas, sed etiam villicas inibat, ex quibus magnum proventum habebat puerorum. — *Equitibus vernis.* Verna servus est domi natus; *equitibus* autem dicit, quia Quirinalis eques erat. Hybridæ vocabantur qui ex viro et fœmina non ejusdem conditionis sic nascebantur.

5. *Paterfamilias* Heraldus, Scriv.

Farnab. Schrevel. Maittair. *Barbou*, etc. *Pater familiæ* in edd. vett. — *Pater familiæ.* Pater familiæ vel paterfamilias est, qui nullius potestati subditus, in sua potestate filios et servos habet. Hoc blando nomine, debitæ in servos mansuetudinis dominus quasi admonebatur. Vid. Senec. epist. 47, Sed hic verum dicit poeta patrem familiæ Quirinalem, quod ejus familia ab ipso esset genita.

## LXXXVI.

IN PRÆCONEM STOLIDE FACETUM.\*

VENDERET excultos colles quum præco facetus,  
Atque suburbani jugera pulchra soli:  
Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse  
Vendere: nil debet; fœnerat immo magis.

Quæ ratio est igitur? servos ubi perdidit omnes, 5

\* Inducitur præco quidam, qui dum vult officiosus seu facetus videri in excusando Mario fundum vendente, ne quis eum inopia et æris alieni gravitate id facere existimet, fingit Marium servos et pecora in eo fundo amisisse, ideoque vendere: nec intelligit inde fugari omnesemptores, agrum pestilentem sibi parare minime cupientes. ED.

— *De Mario* in multis, quod mutavimus. *De præcone* lemma est in cod. Bodl.

1. *Facetus.* De facetiis et dicitate præconum multa veterum

testimonia. Vid. Cic. pro Quintio, Sextio, Nævio, et secundo de Oratore, et item in Bruto de Granio præcone. Vid. quoque Apul. lib. VIII, *Metamorph.*

3. Editio Juntina nostra anni 1512, ascriptum habet margini: *Errat, ait, si quis Mario putat ista necesse Vendere;* et hæc lectio forte reponenda est, ut versus claudatur melius.

4. *Fœnerat.* Immo aliis mutuam dat pecuniam, nedum ab iis accipiat. Vid. supra, epig. LXXVII, v. 5. ED.

5. In quibusdam codd. *servos ibi*



Et pecus, et fructus, non amat inde locum.  
 Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet  
 Omnia? sic Mario noxius hæret ager.

*perdidit omnes.* — *Servos ubi.* For-  
 san falso, ut ex verbis *excultos* et  
*pulchra* conjici potest, subjecit cau-  
 sam præco stolidus seu malitiosus,  
 qua emptores omnes ab emendo de-  
 terruit. Ed.

6. Alii pro *amat*, legunt *amet*. —  
*Non amat.* Phædrus, lib. I, fab. 8:

« Nemo libenter recolit, qui læsit,  
 locum. »

8. *Noxius.* Non quia pestilens,  
 quod effinxerat forte præco: sed  
 quod non posset se liberare ære  
 alieno Marius, quum eum non ven-  
 deret. Ed. — *Hæret.* Remanet in  
 ejus dominio, non venditur. Ed.

## LXXXVII.

VICINUS NON VICINUS.\*

VICINUS meus est, manuque tangi  
 De nostris Novius potest fenestris.  
 Quis non invidet mihi, putetque  
 Horis omnibus esse me beatum,  
 Juncto cui liceat frui sodale?  
 Tam longe est mihi, quam Terentianus,

5

\* Lemma hujus epigrammatis  
 mutavimus, quod varie inscribitur.  
 Alii legunt *De Novio micropsycho*  
 (μικρός, *petit*; ψυχή, *âme*), et intel-  
 ligant de Novio homine avari ani-  
 mi et pusilli ingenii, qui vicinos  
 nunquam invitabat: alii *De Novio*  
*microspico* (μικρός, *petit*, *rare*; spe-  
 cio, *je vois*), et intelligunt homi-  
 nem raro apparentem et in suis  
 ædibus reconditum, etc. Ed. *De*  
*Novio vicino* inscribitur in codice  
 Bodl. *De Novio micropsico* in Thuan.  
*De Novio microspico* in antiq. edit.  
 Ferrar. ann. 1471. Venet. Ald.  
 Junt. anno 1512; Colin. 1528, et

Pulman. probante Scaligero: in  
 aliis, *De Novio microspicio*, vel *mi-*  
*cropsigo*, vel *microsopo*. Beverlan-  
 dus legit (Μικροσκοπία) *microscopo*:  
 et sic conj. Vossius. Vid. var. not.  
 In multis *micropsycho*.

5. *Juncto.* — In junctis ædibus  
 habitante.

6. *Terentianus.* Qui tunc erat  
 præfectus Ægypto, cujus Syene  
 urbs, sub tropico Cancri ad Nilum  
 sita, quæ hodie ab aliis appellatur  
*Guegere*, ab aliis *China*, ab aliis  
 vero *Asna*: romani imperii tunc  
 terminus. Quidam putarunt hunc  
 Terentianum fuisse politissimum

Qui nunc Niliacam regit Syenen.  
 Non convivere, nec videre saltem,  
 Non audire licet : nec urbe tota  
 Quisquam est tam prope, tam proculque nobis.  
 Migrandum est mihi longius, vel illi.  
 Vicinus Novio, vel inquilinus  
 Sit, si quis Novium videre non vult.

illum de re metrica scriptorem, qui hodieque exstat; quod negat Ramires. de Prado, quod ille Maurus fuerit natione, libertus forte alicujus Terentiani. Hic autem eques, saltem romanus, ex familia Terentia in aliam per adoptionem translatus, quod apparet ex ejus nominis terminatione : sic enim eorum qui adoptabantur nomen detorquebatur : Publius Cornelius

Scipio, qui ex familia Æmilia in Corneliam adoptatus est, nomen Æmilianum sumpsit.

11. *Migrandum est.* Præsentem enim nunquam video; forte et absentes mutuo vel occurrēmus, vel nos videbimus.

12. *Inquilinus.* Qui nempe in Novii ædibus conductis habitat. Gallice, *locataire*. Quo quis enim Novio propior, eo remotior. Ed.

## LXXXVIII.

AD FESCENNIAM POTRICEM.\*

NE gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,  
 Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

\* Fescenniam irridet quod hesternum vini fœtorem voratis pastillis dissimulare contenderet; quo remedio gravior odor prodebat. Vid. lib. V, epigr. iv.

— *Ad Fesceniam* lemma est in edd. vett.

1. *Ne gravis.* In primis juris romani temporibus, quatuor erant uxoris divortio repudiandæ causæ : furtum, adulterium, infanticidium, et vini usus, qui tam severe romanis feminis erat interdictus, ut

vinum bibisse illis pro capitali crimine esset. Hinc oscula cognatorum quibus earum abstinentia explorabatur. Ed.

2. *Pastillos Cosmi.* Pastillos a Cosmo myropola confectos. Pastilli sunt massulæ rotundæ planæque, a *pane* diminutive dictæ, quod parvi panis formam referant; quas ex pulvisculis odoratis conflatas vorabat Fescennia, ut halitus suaveoleret. De Cosmo vid. lib. II, epigr. LV, v. 1, et epigr. LXXXII, v. 26. Ed.

Ista linunt dentes jentacula : sed nihil obstant,  
 Extremo ructus quum venit a barathro.  
 Quid quod olet gravius mistum diapasmate virus,  
 Atque duplex animæ longius exit odor?  
 Notas ergo nimis fraudes, deprensaque furta  
 Jam tollas, et sis ebria simpliciter.

3. In omnibus *obstat*. Pro *obstat* Musambertius in libello contra Ramiresium conj. *obstant*, ut ad *jentacula*, sive pastillos, respiciat: hoc etiam malit Ant. de Rooy. firmat codex Thuan. ubi legitur *obstent*; quod etsi non omnino bene, viam tamen parat ad veram lectionem. — *Ista linunt dentes*. Emendant oris extremi fœtorem, non autem tetrum odorem qui a ructante stomacho, tanquam a barathro, venit. — *Jentacula*. Isti pastilli a te jejuna sumpti. Non jentabant nisi pueri, ægri, aut luxuriosi.

4. *Extremo ructus* in MS. Beverlandi. *Extremo ructus quin veniat barathro* in margine Junt. nostræ. — *Quid quod olet*. Anima, sive halitus, vini et pastillorum odore

mixtus, longius propagatur, duratque diutius, et simul olet fœdus. — *Diapasmate*. Diapasmata proprie dicuntur ea quæ siccis odoribus constant sine oleo aut alio liquore, ut pulvis quem Cyprium vocabant qui crinibus inspergebatur, a voce *διαπάζω*, *inspergo*. Vid. Plin. lib. XXI, cap. 19, ubi mentio de diapasmate ex rosis aridis confecto. Hic sumitur pro odore pastillorum. — *Virus*. Halitus gravis.

7. *Deprensaque furta*. Vitium quod cum cura tegitur, furtum appellatur a Poeta.

8. In eadem Junt. margini adscriptum: *sic ebria semper eris*. — *Ebria simpliciter*. Candide, et sine fallaciarum involucris. Vide lib. III, epigr. XLII, v. 3, et lib. VI, epigr. VII, v. 6.

## LXXXIX.

## EPITAPHIUM ALCIMI PUERI.\*

ALCIME, quem raptum domino crescentibus annis

Ἄλκιμε, παῖδ' ὃν ἔτι τῷ δεσπότη ἀρπαχθέντα

\* *Ad Alcimum* in plerisque. In cod. Bodl. inscribitur: *Epitaphium Alcimi pueri*. — Alcimus servus erat, seu puer Martialis, in ipso

ætatis flore raptus, quem in agro Labicano sepelieverat.

1. *Alcime, quam* in Junt. anno 1512, operarum lapsu.

Labicana levi cespite velat humus;  
 Accipe non Phario nutantia pondera saxo,  
 Quæ cineri vanus dat ruitura labor;  
 Sed fragiles buxos, et opacas palmitis umbras,  
 Quæque virent lacrymis roscida prata meis.

Γῆς Λαβικανῆς βῶλος ἐπημφίασε,  
 Λάζευ οὐ Παρίου ὄγκους λύγδοιο, νεκροῖσιν  
 Οὓς πόνος ἠλέματος τεῦξε μινυνθαδίους.  
 Πύξου δὲ κλαδαράς, φυλλάμπελά τε σκιδέντα,  
 Καὶ λειμῶνας ἐμοῖς δάκρυσιν ἰκμαλέους.

2. Ant. de Rooy prætulit *velet*, ex consueta bene defunctis precandi formula. Sic infra lib. V, epigr. xxxiv, v. 9, et lib. IX, epigr. xxx. v. 9. Quam emendationem probat vir quidam doctus, in epist. crit. ad eundem Antonium. — *Labicana humus*. Via Labicana ducit a porta Esquilina ad Labicum mediterraneum Latii pagum; hodie *Strada di Valmontone*. — Sepulchra juxta vias publicas poni moris erat, ut prætereuntes admonerentur mortalitatis. — *Levi cespite*. Hoc est, non superbo tumulo; vel potius alludit ad formulam antiquam *S. T. T. L.* hoc est, *sit tibi terra levis*. Vid. lib. V, epigr. xxxiv, v. 9 et 10.

3. *Pario* in quibusdam: *nutantia* in Junt. et ab antiqua manu mutatum in *imitantia*. — *Non Phario*. Non pyramides, obeliscos, et statuas, quibus tumulos ornabant Ægyptii. Vide lib. Spect. epigr. 1: «Barbara pyramidum, etc.» Pharos colonia et oppidum Ægypti, in exigua insula prope Alexandriam. In ea insula erat ingens turris, Pharus quoque dicta, quæ navigantibus

iter commonstraret ac portum. — Alii legunt *Pario*. Paros insula est Ægei maris, ubi marmor insigne. — *Nutantia*. Ædificia altissima videntur nutare.

4. *Quæ cineri nanus* Junt. anno 1512; *nanus* et *vanus* similia sunt in codd. antiq. Vide Burm. ad Propert. IV, 9, 33.

5. *Sed fragiles buxos*. Sepulchra designabantur in agris, et in fronte ponebatur scriptio, quæ contineret latitudinem et longitudinem soli sepulchro destinati, quod spatium soli sacrum erat. (Vid. Horat. lib. I, sat. 8, v. 10.) In hoc spatio erigebantur obelisci, vel ponebantur arbores ad decorationem loci: tum potissimum illæ quæ perpetuam retinent viriditatem, buxi, lauri, cupressi; hoc felicibus umbris convenire credebatur, floresque ideo serebantur, qui diutius durabant.

6. In antiqua H. Buschii editione legitur, *humida certa meis*; unde *serta* conjiciebat Arntzenius, professor et gymnasiarcha Zutphan. Cf. Ovid. Trist. III, 3, 82, et Tibull. II, 7, 14. Ed. Ferrar.

Accipe, care puer, nostri monumenta laboris :  
 Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.  
 Quum mihi supremos Lachesis perneverit annos,  
 Non aliter cineres mando jacere meos.

10

Λάζου, φίλιε κοῦρε, πόνων μνημεῖον ἐμεῖο ·  
 Ἐνθάδε τοὶ τιμῆς αἴσα τέθηλεν ἀεὶ.  
 Ὅπποτε μοι Λάχεσις διακλώσαι λοίσθιον ἤμαρ,  
 Οὐκ ἄλλως κέλομαι λείψανα κεῖσθαι ἐμά.

1471. Venet. Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Pulman. aliæ habent etiam *humida*. Nostram testantur lectionem codd. Bodl. Thuan. Arondell. Grut. et Scriv. — *Prata*. Cespitem, meis lacrymis quasi guttulis rorigeris humidulum. ED.

7. In edd. vett. *monumenta doloris*, quod habet etiam cod. Arondell. *labori* citat Langius ex Pulmanni editione. — *Monumenta laboris*. Buxos, cespitem, et simul carmina.

8. *Hic tibi perpetuo*. Id de perpetuitate suorum carminum auguratur Poeta, ut dixit lib. X, epigr. 11, v. 11: « At chartis nec furta nocent, nec sæcula prosunt; Solaque

non norunt hæc monumenta mori. »

9. *Lachesis pervenerit* in omnibus edd. vett. Error inde natus est, quod literæ *n* et *v* sæpe commutantur a librariis; sic *nox* et *vox*, *nervos* et *vernos*, *nos* et *vos*, *neuter* et *venter*, *noster* et *voster* vel *vester*, *venerat* et *neverat*, et alia quamplurima. — *Lachesis*. Una e Parcis, quæ humanæ vitæ stamen net: tres numerantur, Clotho, Lachesis et Atropos.

10. *Non aliter cineres*. Hoc est, tumulum meum versibus egregii poetæ ornari tantum cupio, cespitemque amicorum lacrymis irrigari: hoc mihi, quam pretiosissimum mausoleum, pretiosius. ED.

## XC.

AD CINNAM. \*

GARRIS in aurem semper omnibus, Cinna;  
 Garris et illud, teste quod licet turba.

\* Cinnae morbum carpit, omnibus in aurem clanculum immurmurantis, quasi mysterii quidpiam diceret. ED.

2. *Teste quod*. Clam dicis, quod audiente vulgo profari licet; quasi aliquis apud nos ad aurem diceret: *il fait beau temps*. ED.

Rides in aurem, quereris, arguis, ploras :  
 Cantas in aurem, judicas, taces, clamas.  
 Adeone penitus sedit hic tibi morbus,  
 Ut sæpe in aurem, Cinna, Cæsarem laudes?

4. In margine Junt. penes nos, *dãmas*; i. e. *damnas*; *cl* et *d* centies permutata reperiuntur in codd. Vide Cort. ad Sallust. Cat. XXVI, 4, Jug. XXII, 1, Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, p. 364. Drakenb. ad Sil. II, 52, ad Liv. X, 24, et Leopard. emendatt. X, 25.

5. *Adeoque penitus* exhibet codex opt. Arondell. quod præfert Gronovius; quem vide in var. notis. — *Morbus*. Pertinax secretæ taciturnitatis affectatio. Gallice, *tic*. ED.

6. *Ut sæpe*. Sic epigramma in

laudem Cæsaris convertit Poeta, iinuens nihil esse quod justius palam sit proferendum, quam laudes Cæsaris. ED. — Fortasse, ut putat Raderus, obtrectatorem carpit, de Cæsare maligne loquentem, quum de eo in aurem loqueretur. Natum autem videtur hoc epigramma e joco Scauri, quo Junium Othonem Rhetorem tecto et suspicioso dicendi genere usum taxavit, iniquiens, *acta illum in aurem alterius legere*, quæ publica quidem sunt, vulgoque legi oportet.

## XCI.

## AD BASSAM TRIBADEM.

QUOD nunquam maribus cinctam te, Bassa, videbam,  
 Quodque tibi mœchum fabula nulla dabat;  
 Omne sed officium circa te semper obibat  
 Turba tui sexus, non adeunte viro;  
 Esse videbaris, fateor, Lucretia nobis:

1. In multis *junctam*. Pro *junctam* in quibusdam *cinctam*; et sic ed. Par. anno 1754. — *Quod nunquam*, etc. Bassam tribadem facete carpit confessione erroris sui, quod existimasset castissimam esse feminam, quia nunquam ullus eam vir adiret, sed semper cum feminis esset: postea vero compertum est, tribadem esse. *Ramires*.

2. *Fabula*. Rumor publicus. Se-

neca controv. lib. II, 7: « Duxi uxorem mature; semper dilexi; ad omnem me tutum fabulam præstiti. »

3. *Omnis et officium* Ald. Junt. et Colin. ita etiam codex Arondell. aliique, teste Grutero.

4. In Juntina nostra margini adscriptum est: *non adeunda viro*.

5. *Lucretia nobis*. Casta ut Lucretia absente viro.

At tu (proh facinus!) Bassa, fututor eras.  
 Inter se geminos audes committere cunnos,  
 Mentiturque virum prodigiosa Venus.  
 Commenta es dignum thebano ænigmate monstrum:  
 Hic, ubi vir non est, ut sit adulterium.

10

6. *Fututor eras*, Τριβὰς, δλίσβου opera usa. — *Fututor*. Est auxesis in nomine *fututor* adjuncto feminæ, quam fututricem par erat appellare; sed data hoc opera factum, ut turpitudinem ejus magis notaret; estque hoc tribadibus peculiariter tributum a Martiale, ut de iis *futuere* dici possit. *Ramires*.

7. *Inter se geminos audet* Langius.

9. *Commenta es dignum*, etc. *Metalepsis*: id est, dignum ænigma thebano monstrum: cui proponendo opus sit Sphinge; et solvendo, pariter sit opus OEdipo. *Ed.*

10. *Ant. de Rooy* malit per interrogationem: *ut sit adulterium?* quod certe voluit ille, qui margini Junt. nostræ ascripsit: *qui sit adulterium*. At noverat Poeta et in præcedd. explicuerat, quomodo res absurda se haberet. Neque adeo interrogatione opus fuit, quasi de ἀδυνάτω. Id necesse fuit, et sensus postulabat, ut doceret, qua in re ænigma illud consisteret, quod præc. versu memoraverat. — *Ut sit adulterium*. Eamdem Bassam multis carpit in locis. Vide lib. I, epigr. xxxviii; lib. IV, epig. iv, et lxxxviii, etc. *Ed.*

## XCII.

AD LÆLIUM, OBTRACTATOREM.\*

QUUM tua non edas, carpis mea carmina, Læli.  
 Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

\* In plerisque *Ad Lælium*. *Ad Lælium obtractatorem* lemma est in quibusdam codd. Cætera nil variant exemplaria.

1. *Edas*. In lucem scilicet.

2. *Vel ede tua*. Quæ vicissim carpere possim, ex lege talionis. Sic videbimus, an irreprehensibilia carmina componat ille alieni carminis assiduus reprehensor. *Ed.*

## XCIII.

AD MAMURIANUM.

SÆPE mihi queritur non siccis Cestus ocellis,  
 Tangi se digito, Mamuriane, tuo.  
 Non opus est digito: totum tibi Ceston habeto,  
 Si deest nil aliud, Mamuriane, tibi.  
 Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati,  
 Nec curtus Chiones, Antiopesve calix:  
 Cerea si pendet lumbis, et trita lacerna,  
 Dimidiasque nates Gallica palla tegit;  
 Pasceris et nigræ solo nidore culinæ,  
 Et bibis immundam cum cane pronus aquam:  
 Non culum (neque enim est culus, qui non cacat olim)

1. *Cestos* in Junt. et Colin. — *Cestus ocellis*. Acerbe invehitur in Mamurianum pauperem, qui puerum Cestum de stupro appellabat subinde. — *Cestus*. Puer Poetæ.

2. *Digito tuo*. Digito obscæno per obscæna ipsum ad stuprum pelliciente, et se paratum pædiconem ostentante.

3. *Totum Ceston*. Id est, non solum concedo, quod digito sollicitas; sed totum et integrum puerum.

5. *Sed si nec focus est*. Est parasceve ad epiphonema contentum ultimo versu epigrammatis, et describit summam Mamuriani egestatem. Tum *focus* signum erat locupletis domus, ut lib. X, epigram. XLVII, v. 4, inter beatæ vitæ adjuncta focum perennem enumerat.

6. *Nec curtus*, etc. Si nec ad bibendum tibi sit ruptus calix, vel quali utuntur Chione, Antiope,

cæteræque meretrices etiam ad obscænas lotiones, lib. II, epigr. L.

7. Codex Bodl. exhibet *stricta lacerna*; unde forsitan Gruterus suum eruit *scripta lacerna*, litteræ enim *t* et *c* pæne similes sunt in codd. *scruta lacernæ* Janus Rutgersius. — *Cerea*, etc. Decolor, non candida, a tritura flavescens: vel, sebo et sudore quasi incerata.

8. *Dimidiasque*, etc. Οἱ γὰρ Κέλται ἀντὶ χιτώνων σχιστοὺς χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων καὶ γλουτῶν. Strabo.

10. *Cum cane*. Ut canis. Modo dixit Poeta infelici Mamuriano non esse calicem quo bibat. EN.

11. 12. *Non culum digito; neque enim est, qui non cacat olim, Culus; sed fodiam*, etc. Pulmannus, Junius, Langius, Delph. alii. Nostram lectionem testantur cod. Bodl. cum edd. Ald. Junt. Colin.



Sed fodiam digito, qui superest, oculum.  
 Nec me zelotypum, nec dixeris esse malignum.  
 Denique pædica, Mamuriane, satur.

Scriv. etc. — *Sed*, etc. Consueta res olim, in ira, in rixa, digito oculum eruere. — *Qui superest*, etc. Luscum innuit Mamurianum; ludit per paronomasiam in verbis *culum* et *oculum*. Vide lib. III, epigr. xcii:

illa minandi formula, « Oculos tibi effodiam, » Plauto solemnis.

14. *Denique*, etc. Non ægre ferrem. « Atqui si id faceres satur tantum, » Catull. carm. XXI, unde desumptum videtur hoc epigramma.

## XCIV.

DE AQUINO ET FABRICIO.\*

FABRICIO junctus fido requiescit Aquinus,  
 Qui prior Elysias gaudet adisse domos.  
 Ara duplex primi testatur munera pili :

\* Aquinum et Fabricium, nobile par amicorum, de quibus apud Polybium est mentio, dignitatis per vitam, sepulchri post mortem communi consortio gaudentes, laudat Martialis. Ed.

— Sic lemma reponendum censet Ramiresius; in plerisque tantum est *De Aquino*.

1. *Junctus*. In vicino vel eodem tumulo conditus.

2. *Qui prior Elysias gaudet abisse* edd. antiquiss. cum Ald. Junt. et Colin. quam lectionem servat Scriverius. — *Gaudet*. Amico superstitite lætus; sic supra, epig. xxxvii, v. 4: « Quod pro fratre mori vellet uterque prior. » Ed.

3. *Ara duplex*. Primipili custodes erant militaris vexilli; quod nihil aliud erat quam arula inaurata imposita summæ perticæ, infra

quam aram imago Imperatoris pendebat: supra autem aquilæ effigies visebatur aræ imminens; ergo arula duplex, vel excitata prope tumulum, vel insculpta cippo, emblema erat eorum dignitatis. — Alii intelligunt aras, ut mos erat Romanis, excitatas fuisse prope tumulum, quibus erat inscriptum eos fuisse primipilos. — *Primi munera pili*. Pilum erat hasta brevior, telum Romanis usitatum. — *Primi pili*. Primipilus erat centurio primus inter decem centuriones triariorum. Obediabant illi sexaginta centuriæ, id est, tota legio: Dionys. IX; aquilæ præerat. Hujus potestatis ea ratio fuit, quia quum essent in legione tria militum genera, denis singula centurionibus instituta, *Hastati*, *Principes*, *Triarii*, et cæteris omnibus Triarii, ætate, usu, fortitu-

Plus tamen est, titulo quod brevior legis :  
 FUNCTU uterque sacro laudatæ fœdere vitæ, 5  
 Famaque quod raro novit, amicus erat.

dine præstarent, eo fiebat, ut primus centurio Triariorum, non modo reliquis novem Triariorum centurionibus, verum etiam reliquis Hastatorum et Principum centurionibus imperare posset. Verum id perquam raro factum opinari licitum est, quippe quum in præliis separatim singuli ordines, Hastati, Principes, Triarii, pugnant. Quod si Hastati et Principes loco moti, fusi que ab hostibus fuissent, tunc Triarii, fugientibus exceptis, renovata pugna, hostes invadebant, eosque Hastati et Principes, modo victi, sequebantur. Ita permixtis ordinibus, unum esse oportebat, cujus voluntati et imperio milites omnes parerent; is autem primus centurio, id est, *Primipilus* fuit, qui quum aquilæ præesset, et inter centuriones Triariorum primum locum obtineret, jure omnibus reliquorum quoque ordinum centurionibus imperabat. ED.

4. In quibusdam codd. *Inscri-*

*ptum est, titulo quod brevior legis.* Bodl. habet: *Inscriptum titulo quod brevior legis.* — *Plus tamen est.* Sensus est: Magnum est quidem eos fuisse primipilos; majus autem eos, licet dignitatis æmulos, fuisse amicos. Huic titulo *Primipilares erant,* antepono hunc titulum breviorum in utriusque epitaphio memoratum; *amicus erat.* ED.

5. Sunt qui legant *unctus.* Cod. Arondell. exhibet: *laudatæ pondere vitæ.* — *Functus.* Hoc distichon inscriptum legebatur in tumulo. — *Sacro laudatæ fœdere.* Vitam egerunt virtute et bonis moribus commendatam. Videntur enim, qui sic vivunt, cum virtute fœdus pepigisse. *Ramiresius.*

6. In eodem cod. *raros;* unde Gronov. *Famaque qua raros novit,* etc. quem vid. inter var. notas. Hoc ultimum distichon alio caractere legitur in omnibus fere libris. Vide ad vs. 4. — *Quod raro novit.* Rara enim inter dignitatis æmulos concordia. ED.

## XCV.

AD ÆGLEN FELLATRICEM. \*

CANTASTI male, dum fututa es, Ægle.  
 Jam cantas bene; basianda non es.

\* In hujus epigrammatis lectione nulla varietas est in codicibus et libris impressis.

1. *Cantasti male.* Huic meretrici, quamdiu juvenis sui copiam fecit, venustam quidem formam esse, vo-

cem autem insuavem, fama ferebat. Deinde quum provecior ætate ad fellandum vocaretur, qui eam

vocabant, turpitudinem suam dissimulaturi jactabant se eam vocis causa vocare.

## XCVI.

AD HELIUM, RABULAM. \*

QUOD clamas semper, quod agentibus obstrepis, Heli,  
Non facis hoc gratis : accipis, ut taceas.

\* *Ad Ælium* inscriptio est in codice Thuaneo.

1. In eodem codice, *obstrepis Æli*. Cætera nihil variant libri aut calamo exarati, aut typis impressi.

2. *Accipis ut taceas*. Omnes caudidici accipiunt, ut loquantur; quum

autem Helium propter imperitiã nemo patronum adscisceret, ille agentibus magna voce obstrepebat, ut tantis clamoribus tandem obtusiligantes sibi pecuniam, sicut latranti cani offam, jacerent, *ut taceret*. ED.

## XCVII.

AD SCAZONTEM, DE FELLATORE. \*

SI non molestum est, teque non piget, Scazon,  
Nostro, rogamus, pauca verba Materno  
Dicas in aurem, sic, ut audiat solus.

\* Hoc epigrammate unum insectatur ex istis (quos jam carpsit epigr. xxv, supra), sapientiæ affectatoribus ambitiosis, qui, ut Juven. II, 3 verbo utar, «Curios simulant et Bacchanalia vivunt.» ED. — *Ad Scazontem de fellatore quodam* in Ald. Junt. Colin. et aliis vett.

1. *Si non molestum est, teque non piget*. Versus scazon iambo cætera similis, hoc uno dispar quod sextum pedem habeat spondæum, quintum iambum; unde

claudicare videtur, et appellatur scazon (a verbo *σκάζω*, *claudico*), vel etiam scoliambus (a *σκολιός*, *tortuosus*, et *ἰαμβός*, *iambus*); idcirco dicit Martialis *Si non molestum est*, etc.... Qui enim claudus, idem ad eundum piger versus, ex domo Martialis ad Materni domum ægre molietur iter. ED.

2. *Materno*. Amico, cui mittit hoc epigramma. Vide lib. X, epigram. xxxvii.

3. *Dicas in aurem*. Clam, velut

Amator ille tristium lacernarum,  
 Et Bæticatus, atque leucophæatus,  
 Qui coccinatos non putat viros esse,  
 Amethystinasque mulierum vocat vestes;  
 Nativa laudet, habeat et licet semper  
 Fuscus colores, galbanos habet mores.

5

mysterium Cereris; et lepide poeta jubet, ut in aurem dicat, quum ipse publico versu vulget per orbem.

4. *Amator ille.* Aliquis Materno notus, quem alii Cinnam, alii Galbam, nonnulli Fuscum vocant; quidam et ipsum Maternum, ut infra dicemus, v. 14. — *Tristium lacernarum.* Erat lacerna vestis crassior, quæ togæ plerumque superimponeretur, aliquando separatim sumebatur; a militibus primum usurpata in castris, et armis superinjecta; post in urbem inducta. — Hic igitur de quo loquitur Martialis, lacernis tristibus, id est, subfusci coloris utebatur, viros severos imitaturus, quos pudebat induere colores feminis proprios, et luxu consecratos. Ed.

5. *Bæticatus.* Qui utitur vestibus lana hispaniensi contextis. In Hispania, præsertim in Bætica, (quæ nunc est Andalusia et pars regni Granatensis, a fluvio Bæti, hodie *Guadalquivir*, sic appellata), nascebantur oves, quarum vellere, native fusco et subbrutulo, fiebant vestes pullæ, quas severitatis iste simulator tinctis vestibus anteponebat. Vid. Plin. lib. VIII, c. 48; Virg. *Æn.* lib. IX, v. 581; et *Nostrum*, lib. V, epigr. xxxvii, v. 7; lib. IX, epigr. lxxii, v. 3; lib. XII, epigr. c, v. 2; et lib. XIV, epigram. cxxxiii. Ed. — *Leucophæa-*

*tus.* Qui vestes gerit leucophæi coloris, ex albo et nigro conflati; gallice, *gris brun* (a λευκός, *albus*, et φαῖός, *pullus*.)

6. *Coccinatos.* Delicatiores lautioresque habebantur, non tamen molles et effeminati, nisi hujus sapientiæ affectatoris sententia, qui vestibus utebantur cocco tinctis. Coccus est granum sumptum ex arbuscula quadam, quo rubeus color admodum vividus conficitur.

7. *Amethystinas.* Violacei coloris vestes, (sic dictas a gemma amethysto, cujus color vinum pallidum, aut sanguinem dilutum refert), mulieribus censet relinquendas. Vid. lib. X, epigr. xlix, v. 1, et lib. XIV, epigr. cliv.

8. In multis laudat; Lipsius *Electior.* lib. I, cap. 13, legit *laudat*, quod placet Ramiresio. — *Nativa*, etc. Quamvis nativas, id est, natura, non arte tinctas vestes laudet, Bæticatas nimirum, coloresque vestium habeat fuscus et viles, mores tamen habet, qui non decent hominem fuscis indutum, id est, severum; sed qui potius decent indutum galbanis, id est, effeminatum. Vide lib. III, epigr. lxxxii, v. 5. Ed.

9. Alii malint *Galbanos.* — *Galbanos*; galbanus sive galbinus, aut galbeus, aut galbaneus, est color subalbus et pallidus, qualis apparet

Rogabis, unde suspicer virum mollem.  
 Una lavamur : aspicit nihil sursum;  
 Sed spectat oculis devorantibus draucos :  
 Nec otiosis mentulas videt labris.  
 Quæris, quis hic sit? excidit mihi nomen.

in Galbano, quod est visci aut resinæ genus in Syria frequens; eo vestium colore maxime feminæ utebantur. — Volunt aliqui notatum his verbis clam imperatorem Galbam, imprimis effeminatum. Vide Turneb. lib. VIII, cap. 8, et Lævinum Torrentium in Galba Suetonii, cap. 3.

10. In multis *Rogabit*. — *Mollem*. Quid hoc verbo intelligat Martialis vid. lib. II, epigramm. LXXXIV, et lib. III, epigr. LXXII. *Ramires*.

12. Janus Guilielm. Verisimil. lib. III, cap. 19, emendat : *Despectat oculis*, etc. Eadem medicina forte facienda epigr. LXIV, libri XI: « Spectas nos, Philomuse, quum lavamur: » et legendum *Despectas*, quum idem sit argumentum utriusque epigrammatis.

13. *Nec otiosis*. Labris undantibus et præ desiderio saliva fluen-

tibus. Sic Juven. Sat. IX, v. 31. « Spumante labello. » Gallice, *l'eau lui vient à la bouche*. Vid. sup. epigramm. 24. *Ramires*.

14. *Excidit mihi nomen*. Quem insectetur non nominat Martialis, ut dixit in epistola libri primi, et multis aliis in locis: « se salva infimarum quoque personarum reverentia ludere. » — Sunt tamen qui putent eum ludere in ambiguitate verbi *excidit*; et ideo nomen quod non ex ejus memoria, sed ejus calamo *excidit* imprudenti, quærun in hoc epigrammate, ac credunt latere sub verbis *Fuscos*, *Galbanos*, *Coccinatos*; et ideo *Fuscum*, vel *Galbam*, vel *Cinnam* quemdam carpi a Nostro. Sunt et qui credant Maternum ipsum; quod parum verisimile ex lib. X, epigramm. XXXVIII, v. 1 et 2. Forsan non idem Maternus est. ED.

## XCVIII.

AD NÆVOLUM CAUSIDICUM.

QUUM clamant omnes, loqueris tu, Nævole, tantum,

1. In Ald. Junt. et Colin. *Quum clamant omnes, loqueris tu, Nævole, semper*. In marg. Plant. sic emendatur: *Dum clamant omnes, loqueris hinc Nævole tantum*. Thuan. habet:

*tunc, Nævole, tantum*. — *Quum clamant*. Tantum loqueris quum omnium clamoribus circumstrepentibus, non intelligi vel audiri potes. Qualis sis orator, nemo sic judica-

Et te patronum causidicumque putas.  
 Hac ratione potest nemo non esse disertus.  
 Ecce tacent omnes : Nævole, dic aliquid.

bit : ecce jam silentio facto, ostende si non feceris, te propter imperi-  
 quam disertus sis patronus; quod tiam tacere fateberis.

## XCIX.

AD FLACCUM.

LITIGAT, et podagra Diodorus, Flacce, laborat.  
 Sed nil patrono porrigit : hæc chiragra est.

2. Alii legant *cheragra*, ut con- nihil daret Diodorus, non podagra  
 stet versus, quod et fieri potest illum, sed chiragra laborare dicit  
 extrita alterutra diphthongi vocali, Poeta, quæ ei manum contrahat,  
 ex voce *χειράγρα*. — *Chiragra est*, nec sinat eam protendi ad nummos  
 Podagra morbus est pedum, chi- numerandos, quos meruerat di-  
 ragra vero manuum : quum patrono cendo patronus. ED.

## C.

AD CALENUM AVARUM. \*

NON plenum modo vices habebas;  
 Sed tam prodigus, atque liberalis,  
 Et tam lautus eras, Calene, ut omnes  
 Optarent tibi centies amici.

\*Hoc epigrammate et multis aliis avaritiam versi. Etenim : « Crescit  
 (vid. infra ep. CIV, lib. IV, epigr. amor nummi, quantum ipsa pecu-  
 LI, et lib. VI, epig. LXXIX) illos de- nia crescit. » ED.  
 ridet, qui in re tenuissima læti  
 liberalesque sunt; ubi autem com- 1. *Plenum vices*. Id est, non  
 paravere divitias, amittunt, ut cer- omnino vices centena millia sester-  
 do ille nostri Fontanii, gaudia et tium : post adverbium decies, vices,  
 somnos, in tristem sordidamque et cætera ejusmodi, subintellige  
*centena millia*.

Audit vota Deus, precesque nostras; 5  
 Atque intra, puto, septimas kalendas  
 Mortes hoc tibi quatuor dederunt.  
 At tu sic, quasi non foret relictum,  
 Sed raptum tibi centies, abisti  
 In tantam miser esuritionem, 10  
 Ut convivia sumptuosiora,  
 Toto quæ semel apparatus in anno,  
 Nigræ sordibus explices monetæ;  
 Et septem veteres tui sodales  
 Constemus tibi plumbea selibra. 15  
 Quid dignum meritis precemur istis?  
 Optemus tibi millies, Calene.  
 Hoc si contigerit, fame peribis.

6. *Intra septimas.* Septem menses: kalendæ enim significant primum mensis diem.

7. *Mortes.* Mortuorum hæreditates.

9. Ramiresius de Prado legi iussit: *Sed partum tibi centies*, ut lib. X, epigr. XLVII, v. 3, « non parta labore, sed relicta. » Nam eorum, quæ a patribus accepimus, liberaliores sumus, quam eorum quæ sudore nostro comparavimus. Hanc emendationem improbant Musambert. et Farnabius.

10. *Tantum.* Tam avarus, tam sordidus et famelicus esse cœpisti.

12. *Semel.* Forsan natali die, qui a veteribus genialiter celebrari solebat. Ed.

13. *Nigræ monetæ.* Æreæ nempe, quod Calenus iste aurum aut argentum in conviviis impendere nollet: porro æreæ moneta videtur pretium

vilissimorum ciborum, quos apponeret suis amicis. — *Explices.* Explicare convivium, id est, instruere mensam explicatis et appositis cibis.

15. *Plumbea selibra.* Monetam plumbeam in usu fuisse apud Romanos negant Interpretes; sed hanc pro vilissima usurpat Poeta lib. X, epigr. LXXIV, v. 4. Quoties plumbeam monetam vocat Martialis, vilia, instar plumbi, ærea numismata intelligit. Gron.

17. *Optemus* in Junt. anno 1512, et Colin. anno 1528. — *Optamus* in aliis.

18. *Hoc si contigerit.* Ex eo quod Calenus centies adeptus, in summam esuritionem abierit, lepide colligit Poeta fame illum periturum, si millies consequatur. Sic acute Ovidius: « Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. » — *Fame peribis.* In pœnam tuæ avaritiæ.

## CI.

## DE AFRA VETULA. \*

MAMMAS atque tatas habet Afra : sed ipsa tatarum  
Dici et mammarum maxima mamma potest.

\* Hic nulla lectionis varietas est in libris scriptis, aut impressis.

1. *Mammas*. Afra, quo junior videretur, personas utriusque sexus seniores, vel coevas, vel etiam juniores, mammarum nomine, quo pueri matrem, et tatarum, quo pueri patrem appellant, blandiundo per jocum salutabat, quum ipsa adeo vetula esset, ut omnium abavia videri posset. Hinc illam propinat Noster deridendam. Ed.

## CII.

## DE DEMETRII SERVI MORTE. \*

ILLA manus quondam studiorum fida meorum,  
Et felix domino, notaque Cæsaribus,  
Destituit primos viridis Demetrius annos :  
Quarta tribus lustris addita messis erat.

\* De *Demetrio* in plerisque, quod mutavimus. De *Afro Demetrio*, etc. inscribitur in edd. vett. Forte ex epigraphe superioris epigrammatis irrepsit illud, *Afro*. — *Demetrii servi amanuensis*, et a Martiale libertate, antequam moreretur, donati funus immaturum deflet tristis dominus. Ed.

1. *Illa manus*. Per metonymiam, pro, *servus ille amanuensis, seu librarius*, epigrammatum meorum transcriptor conscius. Ed.

2. *Felix*. Utilis. — *Domino*. Martiali. — *Notaque Cæsaribus*. Tito et Domitiano, qui epigrammata

manu Demetrii scripta accipiebant a Martiale. Ed.

3. *Destituit*. Vitam vix inchoatam reliquit, ætate florenti et viridi. Ed. — In plerisque *virides*. Cagnerius legendum censet *viridis*: hoc est, adhuc virens, ut Proserpina puella apud Claudianum. Ausonius: «viridi Trajanus in ævo.» Idem sentit Gruterus; dicit enim, si *virides* retinuerimus, concurrent duo epitheta.

4. *Quarta tribus lustris*. Lustrum est spatium annorum quinque, quo finito censores lustrabant urbem et recensebant civium nomina, fortu-



Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras , 5  
 Ureret implicitum quum scelerata lues ,  
 Cavimus , et domini jus omne remisimus ægro :  
 Munere dignus erat convaluisse meo.  
 Sensit deficiens sua præmia , meque patronum  
 Dixit , ad infernas liber iturus aquas. 10

nas, etc. *Addita messis.* Sic undeviginti annos natus erat Demetrius.

5. *Famulus.* Non libertate donatus. Sensus est ; cavimus, prohibuimus, ne servi nomen retineret in extremo morbo. — Similis manumissio Glauciæ pueri facta a Meliore quodam ejus domino, lib. VI, epigr. xxix. Vide quoque Plin. Jun. epist. 16, lib. VIII.

7. *Domini jus omne.* Hoc jus dominicale in servos terribile et horrendum fuit olim apud Romanos ; namque vitæ et necis, torquendique fuit. Nihil proprium sibi possidere poterat servus, ne vitam quidem ; uxorem, parentes cognatosque habere ei non licebat ; denique vendere eum, vel in numerum vilioris conditionis servorum redi-

gere fas domino erat. Postea vero quam Romanorum mores emolliti fuerunt, pessima hactenus servorum conditio melior evasit. Sub Antoninis imperatoribus ne eos pro luitu occiderent domini prohibitum fuit, sed tantum semper, etiamque sub Christianis Imperatoribus, castigare eos licitum sine ulla restrictione fuit. Ed.

8. *Munere debuerat* tentabat Ant. de Rooy ; quod verbum et intruderet Ovid. Trist. IV, 8, 14. « Hæc mea sic quondam peragi speraverat ætas : Hos ego sic annos ponere debueram, » pro « dignus eram. »

9. *Sua præmia.* Libertatem quam fidei sua opera meruerat, Poetæ laborem utiliter adjuvando. Ed.

### CIII.

AD LYCORIM. \*

QUI pinxit Venerem tuam, Lycori,  
 Blanditus, puto, pictor est Minervæ.

\* In hoc epigrammate nihil variant exemplaria manu exarata, aut typis excusa.

2. *Blanditus est Minervæ.* Venere scilicet deformiter picta, cum qua olim de forma contendit Minerva.

Vid. lib. V, epigr. xli. Pictores autem Minervæ clientes sunt. Lycorim sane deformem carpit Poeta, quam male picta Venus ejus jussu Veneribus suis non ornabat. De Lycori vid. lib. IV, epigr. lxii.

## CIV.

AD SCÆVOLAM. \*

Si dederint Superi decies mihi millia centum,  
 Dicebas nondum, Scævola, justus eques;  
 Qualiter o vivam, quam large, quamque beate!  
 Riserunt faciles, et tribuere Dei.  
 Sordidior multo post hoc toga, pænula pejor: 5  
 Calceus est sarta terque quaterque cute;  
 Deque decem plures semper servantur olivæ:  
 Explicat et cœnas unica mensa duas;

\* Ut Calenum, epigr. c supra, Cæcilianum infra, lib. IV, epigr. LI, et Lupum, lib. VI, epigr. LXXIX, nunc Scævola deridet, qui promittebat se laute victurum si divitias consequeretur, consequutus autem sordide vivebat. ED.

1. *Decies mihi millia centum.* Sestertia scilicet.

2. Edd. antiq. cum Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. Jun. Lang. Farnab. Delph. etc. habent *factus eques*. Nostram lectionem testantur antiqui codd. Francisci Modii, et servant Gruter. Scriv. Schrevel. et *Barbou*, Par. 1754. Cf. lib. IV, epigr. LXVII, v. 4. — *Nondum, Scævola, justus eques*. Nondum justam assequutus quadringentorum sestertiorum summam, ad censum equestrem; nec ideo omnibus equitum privilegii usus, quorum unum erat sedere in quatuordecim ordinibus, lege Roscia; lib. IV, epigr. LXVII, v. 4: « Ut posset domino plaudere justus eques. »

4. *Riserunt faciles.* Seu quia sor-

didam Scævola, divitis facti, prævidebant avaritiam; seu quia risus benignitatis et concessionis est signum. Vide lib. VI, epigr. LXXXII, v. 7; lib. VIII, epigr. LVII, v. 9; lib. XI, epigr. VI, vers. 5. Risu enim annuere et consentire videmur.

5. *Toga.* Imponebatur tunicae idque fere in urbe; ut pænula rure, aut per imbrem; erat enim pænula villosa vestis et crassa.

7. *Deque decem*, etc. De olivis decem quas convivis apponis in cœna, major pars, quæ non minus sex continet, in diem sequentem reportatur reservaturque. ED.

8. Ant. de Rooy conj. *Explicat et mensas unica mensa duas*, non insuavi ejusdem vocis repetitione. Sæpius *mensa* et *cœna* fuere permixta. Vid. Grut. ad lib. V, epigramm. XLV, et Heins. et Burm. ad Ovid. Met. I, 165. Post hoc epigramma in Junt. et Colin. sequuntur epigrammata tria et triginta hujus libri scil. XVI—XLVIII,

Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli;  
Asse cicer tepidum constat, et asse Venus.

10

In jus, o fallax atque inficiator, eamus :  
Aut vive, aut decies, Scævola, redde Deis.

deinde quadraginta quatuor alia ex libro quarto, scil. xxv—Lxviii.—*Explicat et cœnas*, etc. Mensa est proprie quod gallice vocamus *un service*, ut patet ex comparatione versus 723, Virg. *Æneid.* lib. I, cum versu 736 ejusdem libri. Sic Ovidius de Nuce : « Poma cadunt mensis non interdicta secundis. » Hic igitur sensus est : fercula quæ vix uni mensæ sufficerent, duabus cœnis tibi sufficiunt, quum partem eorum, postero die apponendam, non tangi sinas. De simili ferculorum reservatione vid. Juven. Sat. XIV, v. 129, Spartian. in divo Juliano, et Nostrum, lib. X, epigr.

XLVIII, v. 17; et lib. III, epigr. LVIII, v. 42. Ed.

9. *Et Veientani.* Vinum Veientanum pessimum erat : rubellum dicitur ab uvis rubentibus. Veii urbs est, Veientes gens hodie *Marteniano* : est aliis, *Civita Castellana*.

10. *Asse Venus.* Lib. II, epigr. LIII : « Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse. »

11. *Inficiator.* Sordidam enim vitam ducens Scævola decies a Diis se accepisse inficiabatur, et negabat debere se quod promiserat, scilicet se laute victurum. Ed.

12. *Vive.* Genialiter ac opipare.

## CV.

### DE SPECTACULO. \*

PICTO quod juga delicata collo  
Pardus sustinet, improbæque tigres

\* Quod jam multiplici versu (vid. epigr. VII, XV, XXIII, XLV, XLVI, XLIX, LII et LXI) contrectavit argumentum, tandem absolvit, scilicet leporum lusus cum leonibus. Ed.

1. Heins. ad Claud. xvii, 326, emendat, *juga deligata collo*. Litteræ *c* et *g* sæpissime permutantur in antiquis codicibus. Vid. Interpp. ad Virg. *Æn.* III, 274; VIII, 675. Propert. IV, 10, 42, et Scal. ad

Propert. p. 190. Sic mutantur *conjugia* et *convicia*, *inter* et *inger*, etc. — *Picto*. Variis enim maculis distincti sunt pardi. — *Juga delicata*. Mollia, elegantia, sericis ornamentis ad delicias compacta et ornata; quæ quidem facile rumpebant pardi, nisi, ut ait Poeta ultimo versu, nossent cui servirent, et imperatoris numen tremebundi venerarentur. Ed.

2. *Improbæque*. Quidquid ni-

Indulgent patientiam flagello :  
 Mordent aurea quod lupata cervi,  
 Quod frænis Libyci domantur ursi, 5  
 Et quantum Calydon tulisse fertur,  
 Paret purpureis aper capistris :  
 Turpes esseda quod trahunt bisontes,  
 Et molles dare jussa quod choreas  
 Nigro bellua nil negat magistro : 10

mium est, et modum normamque excedit, *improbum* latinis dicitur; sic *improbus labor* Virgilio, nimis magnus et immodicus. Suetonius *improbis natum* hominem dixit, qui proceræ staturæ fuit et justam excedentis. Sic *improbiora labra*, Velio Grammatico, sunt enormia et ultra justum modum protensa. Sic *improbis color*, pro purpureo, utpote qui excellit et eminet, et super cæteros omnes colores vividus et fulgens, et quasi superbus et cæteros colores infra se positos prægravans; sic *improba tegmina pedum*, Valerio Flacco, de calceis purpureis. Hinc conjice quid per *improbas tigres* intelligat, feritate scilicet et sævitia excellentes. *Salmasius*.

3. *Indulgent patientiam*. *Ramiresius* sic hunc locum accipit: *Indulgere*, dicit, est dare vel facere aliquid tua voluntate, quod alias poteris negare, si velles. Sic hæ tigres, quum possent in flagellatores insurgere et flagella non pati, sua voluntate et reverentia Cæsariani numinis, eam patientiam indulgebant flagello.

4. *Lupata*. Fræna sunt aspera et inæqualia, a lupinis dentibus dicta qui inæquales sunt, et quorum ideo morsus acerrimus.

5. *Quod freno* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc.

6. *Calydon*. Oppidum Ætoliæ, hodie *Ayton*, ubi Meleager, Atalanta et delecta juventutis Græcæ manu adjutus, interemit aprum ingentis magnitudinis; vid. lib. Spect. epigr. xv, v. 1 et 2.

7. *Capistris*. Capistrum est lignum quod inseritur equorum collo, dum aratro junguntur, aut vinculum quo illorum os obstringitur, ne gramen carpant.

8. *Esseda*. Sunt currus Britannici, vel etiam Gallici. — *Bisontes*. Bison fera est, cervi figura, de qua mentio lib. Spect. epigr. xxiii, v. 4. — *Turpes* vocat, quia deformes. Vid. Virg. Georg. lib. IV, v. 395. Ed.

10. *Nigro bellua non negat* in cod. Arondell. Vid. Gronovium in var. not. de verbo *negare* simpliciter ac sine casu, *non parere* significante. — *Nigro bellua*, etc. Elephantum intellige, quem nigri Æthiopes regunt. Vid. lib. VI, epigr. lxxvii, v. 8: « Quæque vehit similem bellua nigra Libyn. » De ejus autem ingenio mira referuntur. Vide Ælianum de Nat. Anim. lib. II, cap. 11, et Plinium, lib. VIII, cap. 2: « Germanici Cæsaris mu-

Quis spectacula non putet Deorum?  
 Hæc transit tamen, ut minora, quisquis  
 Venatus humiles videt leonum,  
 Quos velox leporum timor fatigat.  
 Dimittunt, repetunt, amantque captos,  
 Et securior est in ore præda;  
 Laxos cui dare perviosque rictus  
 Gaudent, et timidos tenere dentes,  
 Mollem frangere dum pudet rapinam,  
 Stratis quum modo venerint juvenicis.  
 Hæc clementia non paratur arte,  
 Sed norunt cui serviant leones.

15

20

nere gladiatorio, quosdam inconditos motus edidere, saltantium modo. » Elephantos intellige.

12. *Hæc transit.* Sensus est: hæc omnia superat leporum lusus per rictus leonum.

13. *Humiles.* Quasi leonibus indignos.

14. *Leporum timor.* Eleganter pro lepores timidi.

19. *Frangere,* id est, occidere. Vide epigr. xxiii, v. 2, supra.

20. *Venerint.* In arenam. — *Stratis juvenicis.* Leones pudet interimere lepores, quum modo ju-

vencos interemerint. Vid. epigr. lii, v. 3, et epigr. lxi, v. 4, supra.

22. In hoc versu verbum *cui* δισσυλλαβῶς legendum. At in Juntina nostra margini ascriptum est: « *dn̄i indolem leones, codex meus:* » i. e. *Sed norunt domini indolem leones.* Verba *dn̄i* et *cui* pæne similia sunt in antiquis membranis. — *Cui serviant.* Cæsari scil. Domitiano, cujus clementiam, numine ejus afflati, referunt; lib. Spect. epigr. xvii: « *Crede mihi, numen sentit et illatum.* » Et epigr. xxxii: « *Numen habet Cæsar; sacra est vis, etc.* »

## CVI.

AD OVIDIUM.

IN Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris,

Γινόμενος πεδίοις ἐνὶ Νωμεντανοῖσι πιθάκην,

1. Quædam exemplaria habent *arvis.* — *In Nomentanis.* In Nomen-

tano agro, non procul ab urbe, vineam habebat Poeta, cujus vinum

Accepit quoties tempora longa merum,  
Exiit annosa mores nomenque senecta;  
Et, quicquid voluit, testa vocatur anus.

Οἶνον γηραλέω κεύθει δεξαμένη,  
Στρυφνὸν πουλυετοῦς ὑπὸ γήραος ἰσχὺν ἀνῆκε,  
Καὶ πίθος ἴσχε γέρων οὔνομα πᾶν ὀτιοῦν.

recens quidem insuave, at vetus contendebat cum vino generosissimo. Vid. lib. XIII, epigr. cxix; de Ovidio, lib. VII, epigr. xliii et xlii, et alibi. Nomentanum est Latii oppidum; nunc vulgo *Lamentana*.

3. *Exiit* in Junt. anno 1512,

et Colin. 1528. — *Mores*. Ingratum saporem.

4. *Quicquid voluit*. Ubi vetustate decoctum maturuit merum Nomentanum, Falerni, Caleni, Massici vini nomen, addito consulis antiquissimi nomine, amphoris inscribi potest. Vid. lib. XIII, ep. cxvii. Ed.

## CVII.

AD RUFUM. \*

INTERPONIS aquam subinde, Rufe,  
Et si cogeris a sodale, raram  
Diluti bibis unciam Falerni.  
Numquid pollicita est tibi beatam  
Noctem Nævia, sobriasque mavis  
Certæ nequitas fututionis?

\* *Ad Ruffum* est lemma in edd. vett. et in epigrammate *Ruffe*. — Eundem Rufum de quo mentio supra epigramm. lxix, secum cenantem et parce bibentem, interrogat Martialis an id faciat vires suas reservaturus in noctem a Nævia promissam; quod ubi non esse comperit, hortatur ut vino dolorem obruat. Ed.

1. *Interponis aquam*. Quum merum existimetur Veneris enervare vires, dilutum autem accendere, bibenti hoc Rufo promissam a Nævia noctem suspicatur poeta: quod tamen non erat. Ed.

3. *Unciam*. Duodecimam partem sextarii (vide supra epigr. xxviii, v. 2.) id est, unum cyathum. Sextarius enim dividebatur in cyathos XII,

Suspiras, retices, gemis : negavit.  
 Crebros ergo bibas licet trientes,  
 Et durum jugules mero pudorem.  
 Quid parcis tibi, Rufe? dormiendum est.

10

ut as duodecim in uncias : estque hic poculorum ordo : Sextarius continet cyathos duodecim ; Deunx continet undecim ; dextans, decem ; dodrans, novem ; hes, octo ; septunx, septem ; semis, sex ; quincunx, quinque ; triens, quatuor ; quadrans, tres, sextans, duos. — *Falerni*. Falernum vinum erat optimum, in Campania, regione Italiæ, natum : vid. supra in hoc libro epigr. XIX, v. 1, 5 et 6.

7. Alii legunt, *negabit*, improbante Farnabio. Recte Franc. Modius conj. *negavit*, et corruptum esse locum, propter affinitatem litterarum *b* et *v*. Est enim hic Poetæ conjectura, qua divinat repulsam Rufi ex ejus suspiriis, reticentia, et gemitu. — *Negavit*. Enim vero illa Nævïa, quam, si gauderet, si fle-ret, si taceret, loquebatur Rufus, non una erat tamen, ut ait Noster, supra epigr. LXIX, v. 8. ED.

8. *Crebros* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Lang. Pulm. Delph. Par. 1754, aliis. In multis *Crebro*.

9. In quibusdam *dolorem* ; et sic legendum putat Ramires. de Prado. Vincas scilicet vino desiderium, molestiam, et tristitiam contractam ex repulsa. — *Et jugules mero*. Scy-

phi quippe nati sunt in usum lætitiæ. — *Pudorem*. Quæ lectio est in antiquis codicibus : pudor enim dicitur ob aliquam rem sordidam timor, ut ait Sipontinus apud Robertum Stephanum in Thesaurō linguæ latinæ, ubi adducuntur exempla ex Cicerone. Hoc sensu patet sententia hujus versus ; quippe Rufus timebat, ne intemperanter bibendo, suæ famæ suoque corpori noceret. Vel intellige potius *durum pudorem*, tristitiam durum ex pudore contractam, id est, ex ea nocte quam cogaris ducere castam vacuumque. ED. — Alii *dolorem*, et intelligunt desiderium, molestiam ex repulsa contractam.

10. *Dormiendum est*. Tibi soli cubandum in vacuo toro. Sume itaque somni poculum, quoniam amica non ventura sit. Poculum enim Mercurii nomine conceptum sumebatur in conviviis ultimum ad conciliandum somnum, quum tria essent apud Græcos sacra pocula ; 1° Jovis Servatoris ; 2° Boni Dæmonis ; 3° Mercurii qui somni præses. Sic epigr. LXXII supra : « Omnis ab infuso numeretur amica Falerno, Et quia nulla venit, tu mihi, somne, veni. »

CVIII.

AD LUCIUM JULIUM. \*

SÆPE mihi dicis, Luci clarissime Juli,  
 Scribe aliquid magnum : desidiosus homo es.  
 Otia da nobis ; sed qualia fecerat olim  
 Mæcenas Flacco, Virgilioque suo :  
 Condere victuras tentem per sæcula curas,  
 Et nomen flammis eripuisse meum.  
 In steriles campos nolunt juga ferre juvenci :  
 Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.

\*Martialem hortabatur Lucius Julius, ut relictis nugis, altiores capesseret spiritus, carmina vel tragica, vel lyrica, vel etiam epica conditurus. Respondet Poeta : Si me locupletare vis ut Mæcenas Virgilium, futurasque meas vigilias tam munifice remunerare, ut nullam aliam quam magnificos versus scribendi habeam curam, scribere paratus sum. Namque, ut ait Juvenalis, Sat. VIII : «.....Satur est, quum dicit Horatius : Ohe ! Quis locus ingenio, nisi quum se carmine solo Vexant, et dominis Cirrhæ Nisæque feruntur Pectora nostra duas non admittentia curas ? Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda Attonitæ, currus et equos faciesque Deorum Adspicere, et qualis Rutulum confundat Erinys, etc. etc. » ED.

1. *Luci carissime Tuli* Junt. anno 1512. *Luci carissime Juli* in Ald. Colin. Gryph. et aliis edd. vett. quæ est lectio omnium codd.

3. *Otia da nobis.* Respondet Poeta

alludens ad Virgilio eclogam primam, v. 6 : « O Melibœe ! Deus nobis hæc otia fecit. » — *Qualia fecerat.* Mæcenas locupletavit Horatium et Virgilium. Vid. lib. VIII, epigr. LVI, v. 5 : « Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones. »

5. Alii legunt *chartas*. « Sic lego, non *curas*. Raro adeo vera et intaminata Martialis vocabula in ipso contextu invenias. » *Colerus*. — *Curas.* Sic lib. III, epigramm. xx, v. 2 : « Utrumne chartis tradit ille victuris Legenda temporum acta Claudianorum ? » Unde legunt alii *chartas* ; sed male. ED.

6. *Et nomen flammis.* Rogi scilicet et funeris, id est, superstes ero meæ morti, seu, versus mei non peribunt, nempe si mihi otia dederis, etc. Vid. lib. X, epigr. 11, v. 7 ; vid. quoque Horatium, lib. III, od. ultim.

8. *Pingue solum.* Operosum sane est arare, maxime vero solum pingue ; at fructuosus ille labor placet agricolæ ; ita difficile quidem est



versus non perituros scribere; sin-  
autem merces inde speraretur, ar-  
duus ille labor Poetæ esset gratis-  
simus. De significatione verbi *juvat*  
vid. quæ diximus supra, epigr.  
XIII, vers. 11.

## CIX.

AD GALLUM.\*

EST tibi, sitque precor, multos crescatque per annos,  
Pulchra quidem, verum Transtiberina domus.  
At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus:  
Factus in hac ego sum jam regione senex.  
Migrandum est, ut mane domi te, Galle, salutem:

\* Excusat se Gallo quod non mane ad eum salutandum eat, librumque mittit, vicariam operam præstaturum; quum tam longo intervallo separaretur Galli domus a domo sua, ut matutinum tempus, ad res agendas aptissimum, sibi pereat, salutatum eunti. Vid. sup. epigr. LXXI. ED.

2. *Verum Transtiberina.* Id est, remotissima; regio Transtiberina, quasi separata a corpore civitatis, a Judæis et sæce populi frequentabatur. Vid. epigr. XLII, supr. v. 3. ED.

3. *At mea Vipsanas* per *συνίτησιν* legit Ant. de Rooy, et infra lib. IV, epigr. XVIII. *Vipsaniis.* Siquidem M. Agrippa constanti lectione non *Vipsanus*, sed *Vipsanius* dicitur. Cf. vetus inscr. ap. Onuphr. Region. U. R. pag. 94. Murator. I, p. VIII, et Tacit. Hist. I, 31. — *At mea Vipsanas.* Marcus Vipsanius Agrippa, quem ad summos honores evexit Augustus, generumque habuit, ædificavit templum in honorem omnium deorum, quod ap-

pellavit *Pantheum*; porticumque addidit lauris obumbratam, quam prope habitabat Martialis. — *Laurus* secundæ et quartæ declinationis est. — *Cœnacula.* Pars ædium ubi cœnabatur, *cœnaculum* dicta est; erat fere in superiori domo, quæ pars superior quum pauperibus inquilinis vulgo locaretur, *cœnaculum* sumitur pro vili domuncula. Juven. Sat. X: « Rarus venit in cœnacula miles. » — Non tantum hoc loco nos docet Martialis se, utpote poetam, in parvis ædibus habitare, sed infra confirmat, epigr. CXVIII, v. 7; « Et scalis habito tribus, sed altis. » ED. — De cœnaculis multa mentio, digest. tit. de his qui effuderunt, vel dejecerunt.

5. *Migrandum est.* Migrare proprie est alio ad habitandum ire; ergo sensus est: mihi conducenda est domuncula in regione alia urbis, tuæ vicina. Vel forsitan intelleges, et ex versu sequenti, ubi addit poeta *vel si longius illa foret*, conjicerem alterum sensum, scilicet migratio quædam est, et quasi in

Es tanti, vel si longius illa foret.  
 Sed tibi non multum est, unum si præsto togatum :  
 Multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego.  
 Ipse salutabo decima vel serius hora :  
 Mane tibi pro me dicat AVERE liber. 10

peregrinam regionem longum iter, ex domo mea usque ad tuam ire te salutatum.

6. *Est tanti vel si longius aula foret* citat Langius ex ed. Pulmanni. — *Es tanti*. Dignus es sane cujus causa tam importunum laborem libenter suscipiam. ED.

7. *Sed tibi non multum est*. Sine incommodo tuo unus inter tot clientes toga ad te honorandum indutos, abesse potest; sed non sine magno incommodo meo adesse possum, et tempus inaniter terere, Musis consecrandum. Vid.

lib. XI, epigr. xxv; et supra epigr. LXXI: « Sic licet excuses; quia qualiacumque leguntur Ista, saluator scribere non potuit. » ED.

9. Legitur in veteri quodam codice apud Ramires. de Prado: *decima te sæpius hora*. — *Hora decima*. Tertia ante noctem, hora cænæ. Ab ortu solis horæ numerabantur. De horis dicemus, lib. IV, epigramm. VIII.

10. Pulmannus: *dicet aveto liber*. — *Avere*. Verbum solemne matutinæ salutationis. Lib. I, epig. LVI, v. 6: « Et matutinum portat ineptus Ave. »

## CX.

DE CATELLA PUBLII ET PICTURA EJUSDEM.\*

Issa est passere nequior Catulli.  
 Issa est purior osculo columbæ.  
 Issa est blandior omnibus puellis.  
 Issa est carior Indicis lapillis.  
 Issa est deliciæ catella Publi. 5  
 Hanc tu, si queritur, loqui putabis.

\* Lemma est in plerisque *De Catella Publii* — Ut Catullus passerem, Stella columbam, Statius psittacum, sic Martialis catellam Publii Issam celebrat. ED.

1. *Nequior*. Lascivis blanditiis passeris Lesbicæ vincit nequitas. ED.

2. *Purior osculo*. In hoc versu et

præcedenti Ramiresius artificium poetæ subolet; scilicet eum voluisse tacite insinuare hoc epigramma poematio Catulli, de passere Lesbicæ, et poematio Stellæ de columba amicæ ejus, esse anteponendum. Vide epigr. VIII supra, de columba ejusdem Stellæ.

Sentit tristitiamque gaudiumque.  
 Collo nixa cubat, capitque somnos,  
 Ut suspiria nulla sentiantur.  
 Et desiderio coacta ventris, 10  
 Gutta pallia non fefellit ulla :  
 Sed blando pede suscitatur, toroque  
 Deponi monet, et rogat lavari.  
 Castæ tantus inest pudor catellæ :  
 Ignorat Venerem : nec invenimus 15  
 Dignum tam tenera virum puella.  
 Hanc ne lux rapiat suprema totam,  
 Picta Publius exprimit tabella,  
 In qua tam similem videbis Issam,  
 Ut sit tam similis sibi nec Issa. 20

7. *Sentit tristitiam.* Sentit tristitiam nempe et gaudium quibus afficitur Publius; non intempestiva festivitate obstreperit dolenti; gaudenti lasciva congratulatur.

8. Franciscus Modius, lib. I, epist. xxxiii, legit ex veteri codice Weidneri: *Collo nexa*, etc. et sic est in Ald. Junt. Colin. aliis vett. — *Collo nixa cubat.* Collo domini seu gremio innixa dormit.

9. *Suspiria*, etc. Respirationes, quæ si crassiores sint et vehementiores, ronchi appellantur.

10. *Ventris exonerandi.*

11. *Pallia.* Erant sive tororum operimenta, ut contendit Raderus, vel vestes quas in lecto Romani induebant. Palliorum usum a Græcis acceperant. Lib. XI, epigr. xxiv, v. 12: « Ad cœnam venies: sed sic divisa recumbes, Ut non tangantur pallia nostra tuis. » Et Ovid. Amor. Eleg. 2. « Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur Stra-

ta? nec in lecto pallia nostra sedent? » — *Non fefellit.* In palliis hospitem nacta sedem, videtur cum iis quasi pacta esse, ne hospitalitatis jure abuteretur, illa inquinando; datam igitur fidem servat catella, nec pallia fallit. ED.

12. *Suscitat.* Leviter tangit hunc cujus dormit in gremio. ED.

13. *Deponi monet, et rogat lavari* in multis. *Deponi rogat et monet lavari* Pulmannus, Langius, alii.

18. *Pictam Publius*, etc. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc.

20. Alii *ipsa*. F. Modius eodem loco ex vett. membranis Weidneri emendat hunc locum, quum reponat pro *ipsa*, *Issa*. Sic etiam Janus Rutgersius var. lect. lib. VI, c. 11, et Juntina nostra in margine. « Duo posteriores versus ejusmodi sunt, ut ausim affirmare in simili argumento, nullos inveniri similes. » *Ramires*. — *Ut sit tam similis.* Hyperbolice dictum.

Issam denique pone cum tabella :  
Aut utramque putabis esse veram,  
Aut utramque putabis esse pictam.

## CXI.

AD VELOCEM.

SCRIBERE me quereris, Velox, epigrammata longa.  
Ipse nihil scribis : tu breviora facis.

1. *Scribere me quereris.* Præcedenti elegantissimo epigrammati, quod longius videbatur, recte subjicit hoc distichum, quo irridet Velocem quemdam qui nihil prorsus scribebat. Vid. lib. II, epigr. LXXVII; lib. III, epigr. LXXXIII; lib. VIII, epigr. XXIX; et lib. X, epigr. LIX.

2. Juntura nostra in margine exhibet: *Tuque nihil scribis : tum breviora facis.* Forte scripserat Martialis: *Tute nihil scribis : tum,* etc. vel *Ipse nihil scribis : tum,* etc. Verba *tu* et *tū* (sive *tum*), sæpe permutantur in vett. membranis, quum sint inter se tam similia.

## CXII.

AD REGULUM.

QUUM tibi sit sophiæ par fama, et cura Deorum,  
Ingenio pietas nec minor ipsa tuo;

1. Scriverius legit: *par cura et fama laborum*, probante Gronovio; quem vide inter var. not. *laborum* quoque Pulmannus. — *Quum tibi sit.* Regulo, de quo mentio est in epigr. XIII et LXXXIII supra, de quo alia est Plinii quam Martialis opinio (vid. lib. II, epist. ultim. et lib. VI, epist. 2), miserat Noster librum epigrammatum, et thuris simul libellam. Dona, tam opulento viro humiliora, excusat eo-

rumdem convenientia; quum enim æque eruditus sit ac religiosus Regulus, qui sæpe legit, libris, qui sæpe sacrificatur, thure indiget. Ed.

2. Gruterus e duobus scriptis: *nec minor ipsa suo*, probante eodem Gronovio. Hæc lectio notatur etiam ex codicibus Palat. et Bodl. Sic quoque Pulmannus. — *Ingenio pietas*, etc. Idem est omnino, sed aliis vestitus verbis sensus, qui jam in præcedenti versu legebatur. Ed.

Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,  
Et qui miratur, Regule, thura dari.

3. *Ignorat*, etc. Qui miratur librum et thus a me tibi mitti, pro xeniis forte, is stolidus est, nec convenientia singulis virtutibus mu- nera scit eligere. — Ne munera mittamus supervacanea, ut feminæ arma, rustico libros, præcipit Seneca. Ed.

## CXIII.

IN PRISCUM.

QUUM te non nossem, dominum regemque vocabam:  
Quum bene te novi, jam mihi Priscus eris.

1. *Dum te non noram* margo Junt. apud Editorem, et recte forsan. ulla dignitatis nota, appellavit. — Forsan est alter sensus verbi *novi*; scilicet, aliquid ab illo sperans Martialis pecuniæ vel beneficii, regem et dominum vocando ei adu- labatur; sed postquam novit hominem esse sordidum et avarum, cœpit eum contemnere, nec ejus clientem se præbere. Vid. lib. II, epigr. LXVIII, v. 2. Ed.

2. *Jam mihi Priscus eris*. Solebant veteres, ut ait Seneca, epigr. III, quoties homini ignoto occurrerent, eum dominum aut regem appellare: sic Priscum appellavit Martialis, ratus eum nobilem divitemque virum esse: sed quis esset ubi intellexit, *Priscum* tantum, sine

## CXIV.

AD LECTOREM, UBI LIBRI SUI VENALES.\*

QUÆCUMQUE lusi juvenis et puer quondam,  
Apinasque nostras, quas nec ipse jam novi,

\* Hic nulla lectionis varietas exstat in libris manuscriptis et impressis.

2. *Apinas*. Id est, nugas meas. Ait Plinius, lib. III, cap. 2, *Apinas* et *Tricas* fuisse urbiculas duas in Latio quas Diomedes evertit tam

parvo labore, ut earum nomen abierit in proverbium usurpari solitum de rebus nullius pretii et momenti. Similis est origo verbi gallici *Bicoque*. Lib. XIV, epigr. 1, v. 7: «Sunt apinæ tricæque, et si quid vilius istis.» — *Nec ipse jam*

Male collocare si bonas voles horas,  
 Et invidebis otio tuo, lector,  
 A Valeriano Pollio petes Quinto,  
 Per quem perire non licet meis nugis.

5

*novi.* Adeo multæ sunt et a tempore tam longo scriptæ, nec memoria dignæ.

5. *A Valeriano*, scilic. bibliopola.  
 6. *Perire non licet.* Quia illas colligit, et in lucem edit vendendas.

## CXV.

AD FAUSTINUM.\*

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos  
 Fœnius, et breve rus, udaq̄ue prata tenet.  
 Condidit hic natæ cineres, nomenque sacravit,  
 Quod legis, Antullæ, dignior ipse legi.

\* Immaturam deflet mortem Antullæ puellæ, cujus pater Fœnius Telesphorus vicinus erat Faustini, ad quem hoc scribit epigramma. Faustinus, ut ex epigr. LVII, lib. IV, et epigr. LXXI, lib. V, apparet, in agro Tiburtino habitabat. Vide infra epigr. CXVII ejusdem argumenti. Ed.

2. In quibusdam esse *tenent*, inde conjicio, quod scribat Cagnerius: « Legendum ex vet. codic. *tenet.* » Ald. Junt. Colin. aliæ tamen servant *tenet.* — *Udaq̄ue prata.* Forsan humida lacrymis; vid. sup. epigr. LXXXIX, v. 6. Ed. — *Tenet.* Possidet.

3. *Nomenque sacravit.* Solebant Romani tumulo præfigere has litteras D. M. S. id est, Diis Manibus Sacrum; paulo inferius inscribatur H. S. E. *Hic situs est.....* et addebatur nomen sepulti, cum ali-

quo elogio. — Sic locus fiebat *res nullius*, id est, ad neminem pertinere poterat. Vid. Instit. lib. II, tit. I. Ed.

4. Gronov. conj. *voverat ipse legi.* Vide var. not. — *Dignior ipse legi.* Dignior cujus nomen in tumulo legeretur. Pater enim, ætate maturior, debuisset ante filiam mori: quum secus accideret, dicebant Romani hoc fieri *turbato ordine naturæ*, vel *fatis male judicantibus.* Vid. legem 15, Digest. de inoff. testament. Hieronymus Magius, lib. II Miscell. cap. 11, testatur urnam fuisse inventam a rustico cum hac inscriptione: *EMILIO PAVLO PAPINIANO PRÆFECTO PRÆTORIO JURISCONSULTO, QVI VIXIT ANNOS XXXVI, DIES X, MENSES III, PAPINIANVS HOSTILIVS, EVGENIA GRACILIS TURBATO ORDINE IN SENIO HEV PAREN-*

Et Stygias æquum fuerat patrem isse sub umbras : 5  
Sed quia non licuit, vivat, ut ossa colat.

TES FECERVNT. Et in Moguntina inscriptione legitur, testante Godelscalco Stevvecho in libro X Apuleii, talis formula : L. SPARTI DESIDERATI ADVLESCENTIS SPEI ET PIETATIS INCOMPARABILIS SPERATI HERMODORVS ET JVLIANA, PATRES, MALE IVDICANTIBVS FATIS SVPERSTITES POSERVNT. *Ramires.* — Tamque approbata erat apud Veteres hæc opinio, ut (quod in nostris theatris videretur portentosum) in Alcest. Euripid. filius contra patrem graviter irascatur, quod pro se mori recuset, quamvis ætate maturior. ED.

5. In Anglicano esse testatur Junius, *pater iret ut umbras*; hinc Gruter. *iret ad umbras*; Janus Rutgersius, *ad Stygias æquum fuerat pater isset ut umbras*; et sic erat in codice Heraldii. P. Scriverius,

Scaligerum sequutus, *Et Stygias æquus fuerat pater ire sub umbras*; ut sit hellenismus, πατήρ δίκαιος ἦν λέγειν : *pater isse sub umbras* in cod. Palat. hoc est, ferens nomen patris filia adhuc superstite. Heraldus conj. *æquus fuerat pater isse*, i. e. ἄξιός εἰς ἄδου καταβῆναι, ut sit purus putus hellenismus; vel, *Et Stygias æquum fuerat prior isset ad umbras.*

6. *Quod quia non licuit* Pulmannus. in multis *vivat*; Palat. habet *vivat*; imprecatur enim vitam longam, ut, agrum colens, subinde impingat in ossa filiæ. — *Sed quia non licuit, vivat.* Mori debuit pro filia, si bene judicassent fata; illa jam perempta, nil interest eum mori; interest potius vivere, ut pium Manibus præstet honorem. ED.

## CXVI.

IN PROCILLUM. \*

QUÆDAM me cupit, invidie Procille,  
Loto candidior puella cycno,

\* *In Procellum* inscribitur in cod. Thuan. et in epigr. vs. 1, *Procelle.*

1. *Quædam*, etc. Irridet Procillum quemdam invidum, quum dicat se cupi a puella candidissima, sed amare aliam nigerrimam. Audito illo priori, summam capiebat Procillus molestiam, ita ut præ mœrore se esset suspensurus; audito vero posteriori respiravit. — *Invidie Procille.* Producitur syllaba ultima

τοῦ *invidie* ob duplicem sequentem consonantem, vel potius quod sit imperativum verbi *invidie*. ED.

2. *Toto* in multis. *Coto* in Thuan. *Roto* Junt. anno 1512. Musambertius qui conj. *Loto*, totum epigramma ordine quo nunc legitur disposuit. In edd. vet. ordinatur hoc modo: « *Quædam me cupit, invidie Procille, Toto candidior puella cycno, Argentio, nive, lilio,*

Argento, nive, lilio, ligustro :  
 Jam suspendia sæva cogitabis.  
 Sed quamdam volo nocte nigriorem , 5  
 Formica , pice, graculo, cicada :  
 Si novi bene te , Procille , vives.

ligustro. Sed quamdam volo nocte nigriorem Formica, pice, graculo, cicada. Jam suspendia sæva cogitabis, etc. »

3. *Ligustro*. Gallice, *fleur de troëne*. Virgil. Ecl. II, v. 18 : « Alba ligustra cadunt. »

4. Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ, exhibent *cogitabas* : et sic vet. cod. Cagnerii.

7. In nonnullis, *vivis* ; sed nostram lectionem servant codd. et

edd. vett. — *Vives*. Id est, non suspendes te, quum me nigræ puellæ amore perditum videas ; etenim præ invidia moriturus erat ille Procillus, si didicisset Martialem amari a formosissima puella, quam vicissim redamasset : hæc quippe est natura invidorum ut alterius felicitatem doleant, malo autem lætentur ; vivit igitur Procillus, quod Martialis in hanc miseriam nigerrimæ amicæ sit delapsus.

## CXVII.

DE AGRO IN ANTULLÆ EJUSQUE FAMILIÆ SEPULCRUM  
 SEPOSITO. \* (Vid. supra epigr. CXV.)

Hoc nemus æterno cinerum sacravit honore  
 Fœnius, et culti jugera pauca soli.  
 Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro :  
 Hoc erit Antullæ mixtus uterque parens.

\* In plerisque *De Antulla*, quod mutavimus. Codex Bodleianus pro lemmate habet : *Epitaphium Antullæ*.

1. Codex Palatinus exhibet, *sacravit honori*. — *Hoc nemus*. Lucum solebant Veteres addere tumulis, religionis causa. — *Sacravit*. Religiosum fecit, extra hominum commercium posuit, filiæ cineres ibi

condendo, suosque et uxoris jubendo condendos. ED.

2. Pulmannus, *jugera pulchra*, et sic codd. Voss.

3. Junt. anno 1512, habet *mutus* pro *mistus*. — *Cito*. Vid. epigramma CXV supra, vs. 4.

4. *Hoc erit*. Apud omnes populos, semper quoddam fuit pietatis opus ac religionis, quos amicitia



Si cupit hunc aliquis, moneo ne speret, agellum : 5  
Perpetuo dominis serviet iste suis.

necessitudo viventes junxerat, eos sepulcri communitate conjungere mortuos. Sic reservanda universæ familiæ conditoria, ut nunc curant populi recentes, veteres curabant. Vid. sup. epigr. xciv, et lib. X, epigr. lxxi. ED.

6. Junt. Colin. aliæ quædam, *serviat*.—*Perpetuo dominis*, etc. Ager enim sepulcro destinatus sacer

erat, nec alienari poterat, immo nec aliquando sequebatur hæredes. *H. EXT. N. S.* i. e. hæredes externos ne sequatur. Horat. I, Sat. 8 : « Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum, Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti : Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Hic dabat ; hæredes monumentum ne sequeretur. »

## CXVIII.

IN LUPERCUM.\*

Occurnis quoties, Luperce, nobis,  
Vis mittam puerum, subinde dicis,  
Cui tradas Epigrammaton libellum,  
Lectum quem tibi protinus remittam?  
Non est, quod puerum, Luperce, vexes. 5  
Longum est, si velit ad Pyrum venire,  
Et scalis habito tribus, sed altis.

\* Lupercus quidam avarus subinde Martialem interrogabat, an vellet mitti ad se puerum cui traderet libellum epigrammaton mutuo, quem lectum remitteret statim. Excusat Martialis longum intervallum a Luperci sede ad suam domum, et indicat ubi hi libelli sint venales.

3. *Tradas*. Commodus. ED.

5. *Vexes*. Longa via fatiges. ED.

6. *Ad Pyrum*. Nomen regionis in qua habitabat Martialis; alii tabernam putant cujus insigne erat Py-

rus, et ad quam habitabat Martialis. — Alii legunt *ad pilam*, ut libro V, epigrammat. xxii, vs. 3 : « Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ. » Pro, *ad Pyrum*, Juntina anno 1514, Colinæana 1528 Editio habent *ad Pirum*.

7. *Et scalis habito*. Hoc est, in cœnaculo alto, in tertia contignatione, prope tegulas. Vid. epigr. cxix supra, vs. 3.—*Sed altis*. Hanc particulam *sed*, non mollientem sed augmentem sæpe usurpat Noster, ut licet videre lib. II, epigr. xli,

Quod quæris, propius petas licebit :

Argi nempe soles subire letum.

Contra Cæsaris est forum taberna,

10

Scriptis postibus hinc et inde totis,

Omnes ut cito perlegas Poetas.

Illinc me pete; me roges Atrectum :

Hoc nomen dominus gerit tabernæ.

De primo dabit, alterove nido,

15

Rasum pumice, purpuraque cultum,

Denariis tibi quinque Martialem.

Tanti non es, ais? sapis, Luperce.

vs. 7; et lib. IX, epigr. XLII, vs. 3.

9. *Argi letum*. Tmesis est seu divisio: *Argiletum* est regio urbis, ubi habitabat bibliopola Atrectus. Epigramm. IV supra: « Argiletanas mavis habitare tabernas. » Vid. ad hoc epigr. V, 1, quæ adnotavimus.

10. *Cæsaris*. Julius Cæsar aream ingentem emit in Urbe, in qua forum extruxit. Vide quæ adnotavimus supra ad epigr. LXXVII, v. 12.

11. *Scriptis postibus*. In quibus nempe inscripta erant librorum venalium nomina, ut hodie apud nos. — *Poetas*. Poetarum omnium nomina uno intuitu videas.

13. Alii, *ne roges*. Lipsius et Ramires. de Prado contendunt omnino esse legendum, *me roges Atrectum*. Gruteri codd. *nec roges*. Ant. de Rooy conj. *me rogas Atrectum*, intellecta conditionali *si*, ut infra lib. III, epigr. IV, v. 5: « Cur absim, quæret. » Vide Sanct. Minerv. IV, 7, et Broukh. ad Tibull. I, 7, 43. Vel: *me rogas Atrectum?* ut quasi jactabundus, et cum emphasi, alterum *me* efferat. *Illuc me pete, ne roges* in

Junt. et Colin. — *Me roges Atrectum*. Hoc est, me petas a bibliopola Atrecto. — Alii legunt *ne roges*, et intelligunt: ne sit opus rogare alios nomen bibliopolæ; Atrectus vocatur.

15. *De primo dabit*, etc. Erant capsæ in pluteis bibliothecarum distinctæ numeris, quas metaphoricè *nidos* vocabant; ordine autem præcedebant, libri pretiosiores aut novitate commendati; itaque ut ostenderet suorum libellorum apud Atrectum æstimationem, de primo vel secundo daturum dixit: quos enim parvi faciebant, in ultimis nidis ponebant; patet hoc ex lib. VII, epigr. XVII, v. 5: « Hos nido licet inseras vel imo, Septem quos tibi misimus libellos. »

16. *Rasum pumice*, etc. Vid. epigramma LXVII supra, v. 10.

18. *Tanti non es*. Hoc est, tui libri non valent quinque denariis. — *Sapis*. Non tam laudat Luperum, quam sordes ejus et avaritiam irridet. Vid. lib. IV, epigr. LXXII; in quo Quintum huic Luperco simillimum eodem modo carpit. ED.

CXIX.

AD CÆCILIANUM.\*

CUI legisse satis non est Epigrammata centum,  
Nil illi satis est, Cæciliane, mali.

\* *Ad Seditianum.* inscribitur in ed. Pulmanni, et in epigr. vs. 2, *Seditiane.* Cæterum, nulla varietas est in exemplaribus.

1. *Cui legisse.* Longiorem hunc librum modeste excusat, et Cæci-

liano petenti plura epigrammata respondet ex mente Callimachi apud Athenæum, lib. III, cap. 1:

« Magnum librum magno malo parem esse ». Numerum autem perfectum ponit 100, quum sint 119.



---

# M. VAL. MARTIALIS

## EPIGRAMMATUM

### LIBER II.

---

#### MARTIALIS DECIANO SUO S.

QUID nobis,<sup>2</sup> inquis, cum epistola? parumne tibi præstamus,<sup>3</sup> si legimus epigrammata? quid hic porro dicturus es, quod non possis versibus dicere? Video<sup>4</sup> quare tragædi epistolam accipiant,<sup>5</sup> quibus pro se loqui non

1. Epistolam libro præfixurus Martialis Decianum inducit stoicum philosophum (quem lib. I, epigr. IX, XXV et XL, carissimum esse amicum significavit et infra significabit) mirantem quod utatur epistola; quam ille dicit esse lectori molestam, inutilem poetæ, nugis istis indecenter graviorem, et inefficacem ad defendendum Martialem contra Zoilos: Deciani admonitu motus, epistolam breviter claudit. Ed.

2. *Quid nobis*, etc. Hæc omnia usque ad *reclamant* ex persona Deciani.

3. *Parumne tibi præstamus*. Epigrammata tua legenti duplicem molestumque laborem afferes, si le-

gendam addideris epistolam. Ed.

4. *Video quare*. Intelligo cur actores tragædiarum utantur epistola (gallice quasi *prologue*, *préface*), nempe quia ipsi pro se et per se loqui non possunt; possunt epigrammata, quorum singulum quodque instar esse epistolæ nihil vetat.

5. *Accipiant*. Tragædi et comædi, sese populo vel principi commendaturi, vel eosdem monituri quidpiam, utebantur epistola quam Curio, id est, præco, e theatro recitabat. Nam inter fabularum scenicarum leges hæc est sanctissima, ne actores quidpiam loquantur quod ad ipsam actionem non spectet, in quo sæpe Plautus peccat.

licet. Epigrammata Curione<sup>1</sup> non egent, et contenta sunt sua, id est, mala lingua.<sup>2</sup> In quacumque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, et togam saltanti<sup>3</sup> inducere personæ. Denique videas,<sup>4</sup> an te delectet contra retiarium<sup>5</sup> ferula.

1. *Curione.* Curio proprie est dux curiæ; hic significat præconem: populum Romanum divisit Romulus in tres partes, quas tribus appellavit, tribus singulas in decem curias: tribus tribunos, curiis curiones, decuriis decuriones præfecit. Sacra sibi propria singulæ curiæ habebant, accensos et præcones suos, qui vocabantur quoque curiones. De curione Plinius Secundus, lib. IV, epist. 7: « Scripsit publice, ut e curionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis qui legeret eum populo »; librum intellige, quem scripserat Regulus de vita filii sui mortui.— Cf. nost. ed. ubi locus iste aliter editur. ED.

2. *Mala lingua.* Hoc est, mordaci et libera. — *Epistolam faciunt.* Id est, mentem suam ubique aperire potest epigrammatum scriptor.

3 Legitur et: *in toga saltantem inducere personam*; Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Lang. Pulman. Delph. etc. habent, *et togam saltanti inducere personæ*; et sic codd. Cagnerii; hoc quare Grutero displicuerit quærit Scriverius. Codd. Gruteri *saltanti* testantur; cod. Scriv. *saltantem*. — *Et togam saltanti.* Gravitatis et dignitatis causa cives romani utebantur toga, qua ridiculum pantomimum indui non convenisset. Idcirco Poeta, lib. VI, cpigr. xxiv, irridet quemdam Carisianum, qui Saturnalium tempore

togatus ambulabat, dum alii, positis togis, syntheses induerent.— Sensus est, Noli versiculis tuis ludicris seriam epistolam præfigere, hoc enim indecorum videtur. ED.

4. *Denique videris, in aliis. Denique videas, an te* Pulm. Junian. etc.

5. *Contra retiarium ferula.* Id est, inquit Lipsius Saturnalium sermonum lib. I, cap. 15, « Rudis contra tridentem »; rudis autem gladius erat e ligno; retiarius vero tridente ferreo utebatur. Juv. Sat. VIII, 202: « Movet ecce tridentem. » Idem Lipsius Saturnalium sermonum lib. II, cap. 8. Tridens enim sive fuscina illi, pro gladio. Domitius existimat proverbium hoc dici in eos qui infirmo præsidio contra maxime instructum pugnant: sic contra obtrectatores epistola defendere se non debuit Martialis, sed epigrammate, quo vehementior erat. Sensus est igitur: Cave ne idem facias ac mirmillo qui contra retiarium bene armatum uteretur ligneo bacillo, et debili ferula: hic *ferula* meminit quia gladiatores recens auctorati, sive mercede, ut depugnarent, conducti, ante quam ferro et solitis armis accingerentur, vapulare solebant ferulis per jocum ab aliis gladiatoribus, quasi pro auspicio, et ut plagis assuescerent. — *Retiarium.* Inter gladiatores duo maxime generæ erant insignia: alteri *retiarii* voca-

Ego inter illos sedeo,<sup>1</sup> qui protinus reclamant. Puto me hercule,<sup>2</sup> Deciane, verum dicis. Quid, si scias,<sup>3</sup> cum qua, et quam longa epistola negotium fueras habiturus? Itaque, quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi pervenient.

bantur, quia rete gerebant, quo involverent caput adversarii; et fuscinam seu tridentem, quo illum reticulo involutum perimerent; alteri *mirmillones* dicebantur, quorum arma erant ensis longior, etc.

1. *Ego inter illos sedeo*, etc. Sicut spectatores confidentiam illius mirmillonis ac temeritatem statim reclamando condemnarent, ita ego te condemno, et quum videro te vinci ab tuis obtrectatoribus tenui duntaxat epistolio munitum, non

te tutabor, immo illis me adjungam et favebo. Quum uterlibet gladiatorum ab adversario male mulctaretur, exclamabat populus, urgebatque victum, his verbis victorem accendendo: *Occide, ure, verbera!*

2. *Puto*. Respondet Martialis.

3. *Quid, si scias*. Longiorem tibi volui epistolam facere, et quidem si scires quanta eam voluerim esse longitudine, tum etiam magis hæc taliaque diceres, nec sane diceres sine jure tuo.

## I.

### AD LIBRUM SUUM.\*

TER centena quidem poteras epigrammata ferre:

Sed quis te ferret perlegeretque, liber?

At nunc succincti quæ sint bona disce libelli.

Hoc primum est, brevior quod mihi charta perit.

\* Excusat hujus libri brevitatem qui nonaginta et tria tantum habet epigrammata; et brevioris libelli commoda enumerat; ultimo conqueritur hunc vel ita brevem quibusdam visum iri longiorem.

1. *Ferre*. Priori versu *continere*, sequente *pati* seu *tolerare* significat.

2. In cod. Palat. *perlegeretve liber*.

3. Junt. anno 1512, et Colin. 1528, *quæ sunt bona disce*. Codex Bodleianus: *quæ sint bona nosce*.—*Succincti*. Brevis. Proprie succinctus dicitur is cujus vestes sunt altius præcinctæ; quo in habitu expeditiores sumus, et ad omnia facienda promptiores.

4. *Brevior quod mihi charta perit*.

Deinde, quod hæc una peraget librarius hora, 5  
 Nec tantum nugis serviet iste meis.  
 Tertia res hæc est, quod, si cui forte legeris,  
 Sis licet usque malus, non odiosus eris.  
 Te conviva leget mixto quincunce : sed ante,  
 Incipiat positus quam tepuisse calix. 10  
 Esse tibi tanta cautus brevitate videris?  
 Hei mihi, quam multis sic quoque longus eris!

Minus insumo et perdo chartæ.

5. In multis *peragit*; libri manu exarati apud Musambert. habent, *peraget librarius*; sic enim et versu sequente est, *serviet*. — *Deinde*, etc. Librarius citius transcribet hæc, ut melioribus vacet exscribendis.

7. *Si cui*. Si quis est a quo legaris.

9. *Mixto*. Etenim aqua calida vinum diluebant Antiqui. Quincunx

autem quinque cyathos continet. *Sed ante*.—Liber meus legetur antequam vinum aqua calida fervens reducatur ad teporem.

11. *Cautus*. Cautus is est, qui præmunitus ad quodvis damnum futurum, ne sibi lædat, est.

12. *Hei quam multis* in codice Palatino: unde Gruterus censet rescribendum: *Eheu quam multis*, etc.

## II.

### AD CÆSAREM DOMITIANUM. \*

CRETA dedit magnum, majus dedit Africa nomen,

\* Lemma in codice Thuaneo est, *Ad Cæsarem*. — Laudem Domitiani bellicam non semel canit poeta, eumque sæpe vocat Germanicum. Sic lib. V, epigramm. II, v. 7: «Quem Germanicus ore non rubenti Coram Cecropia legat puella.» Eodem libro, epigr. III, «Accola jam nostræ degis, Germanice, ripæ»; eodem libro, epigr. XIX, v. 17: «Jam dudum tacito rides, Germanice, naso.» Lib. VI, epigr. x, v. 7: «Talis supplicibus tribuit diademata Dacis.» Lib. VII, epigr. I,

de Lorica: «Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari; Pectore quum sacro sederit, Ægis erit.» Et epigram. II, de eodem: «I comes, et magnos illæsa merere triumphos, Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.» Vid. et epigr. v, VI, VII, et VIII ejusdem libri, etc. ED.

1. *Creta*. Insula est posita e regione maris Ægei; hodie *Candie*. Cretenses, quia Mithridati faverant, anno ab Urbe condita 687, debellavit Metellus, insulamque igni et

Scipio quod victor, quodque Metellus habet;  
 Nobilius domito tribuit Germania Rheno,  
 Et puer hoc dignus nomine, Cæsar, eras.  
 Frater Idumæos meruit cum patre triumphos : 5  
 Quæ datur ex Cattis laurea, tota tua est.

ferro per triennium vastatam in provinciæ formam redegit; inde *Creticus* est appellatus. — *Majus*. Primum bellum Punicum exarsit anno ab Urbe condita 489, et a Q. Lutatio Catulo confectum est. Secundum anno 536, quod post annos 17 peregit Scipio Africanus major; tertium anno 605 cœptum, annis quatuor absolvit Publius Scipio Æmilianus, vel Africanus minor: cujus majus quam Metelli nomen est, quum, Carthagine deleta, non unam tantum insulam, sed tertiam orbis partem romano subegerit imperio, et urbis Reginæ æmulam sustulerit.

3. *Nobilius*. Domitianus, juvenis admodum, expeditionem suscepit in Germaniam, teste Suetonio (Domit. cap. 2), neque necessariam neque utilem; ex qua appellationem Germanici ab eo sumptam, nobiliorem dicit poeta, quia Germani mollibus Cretensibus discinctisque Afris sunt bellicosiores; tum quoque quod Domitianus, pæne puer, nec, ut Metellus et Scipio, ætate provector, eam est promeritus; simul denique quod solus victoriam adeptus sit, non, ut frater ejus Titus, adjuvante Vespasiano. Vid. Tacit. hist. lib. IV. Ed.

5. *Frater*, etc. Titus Hierosoly-

mam evertit anno Christi 70; at hoc bellum Vespasianus inchoaverat, et valde promovet. — *Idumæos*. Idumæa, regio Palæstinæ, inter Arabiam Petræam et Ægyptum, a qua Judæi dicti sunt Idumæi.

6. *Quæ datur ex Cattis* in MS. Beverlandi: *ex Chartis* citat Langius e Pulmanno: *ex Cattis* legendum esse contendit Lipsius, lib. I, epist. 5; alii, *ex Dacis*. — *Cattis*, populis Germaniæ ad Rhenum, hodie *la Hesse*. — Alii legunt *Dacis*, perperam, quum enim Transylvaniam, Valachiam et Moldaviam Dacia complectatur, non Germanici appellationem meruisset Domitianus Dacis debellatis. Ed. — *Datur laurea*. Vel Domitiano victori, vel potius Jovi Capitolino. Sueton. in Domitiano: « De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. » Sil. Italicus, lib. XV, « Laurumque superbam In gremio Jovis excisis deponere Pænis ». Plinius, lib. XV, cap. ult. « Fasces imperatorum decoras. Ex his in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiâ nova victoria attulit. » Parta enim victoria, fasces ipsi lauro decorabantur. Atque huc pertinent, *fascis laureati*, et *lictiores laureati*. Herald.



## III.

AD SEXTUM. \*

SEXTTE, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur.  
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

\* In hoc epigrammate exhibendo nullo modo variant aut codices manuscripti, aut libri impressi.

1. *Nil debes.* Qui solvendo non est, nihil debet, quod scilicet nihil

aufferi possit ab eo qui nihil habeat. Lib. IX, epigr. ciii: «Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est.»

2. *Debet, etc.* Non reddituro credere, non est credere, sed dare. Ed.

## IV.

IN AMMIANUM. \*

O quam blandus es, Ammiane, matri!  
Quam blanda est tibi mater, Ammiane!  
Fratrem te vocat, et soror vocatur.  
Cur vos nomina nequiora tangunt?  
Quare non juvat hoc, quod estis, esse?  
Lusum creditis hoc, jocumque? non est.  
Matrem, quæ cupit esse se sororem,  
Nec matrem juvat esse, nec sororem.

\* In *Amianum* inscribitur in Ald. Junt. Colin. Gryph. et aliis vett.

3. *Fratrem te vocat.* Fratris et sororis nomine turpitudine tegebatur. Vide lib. XII, epigr. xx, et lib. X, epigr. LXV.

4. *Tangunt.* Grata sunt.

6. *Lusum creditis hoc jocumque:*

*non est Mater quæ, etc.* in Ald. Junt. Colin. Gryph. et aliis vett. *Lusum creditis hoc, jocumque non est Mater, quæ, etc.* Pulmannus aliique.

7. *Sororem.* In penultimo versu amicam interpretare; in ultimo intellige proprie, hoc sensu: Nallet esse mater, nec soror, sed uxor.

## V.

## AD DECIANUM.

NE valeam, si non totis, Deciane, diebus,  
 Et tecum totis noctibus esse velim.  
 Sed duo sunt, quæ nos distinguunt, millia passum :  
 Quatuor hæc fiunt, quum rediturus eam.  
 Sæpe domi non es : quum sis quoque, sæpe negaris :  
 Vel tantum causis, vel tibi sæpe vacas.  
 Te tamen ut videam, duo millia non piget ire :  
 Ut te non videam, quatuor ire piget.

1. Juntina nostra in margine habet : « *Dis<sup>3</sup>eam* codex noster » ; id est, *Dispeream, si non*, etc.

3. Beverlandi MS. *quæ nos distinguunt*, et recte forsan. — *Quæ nos distinguunt*. Quæ domum meam tua disjungunt. ED.

5. *Sæpe negaris*. Vid. lib. V, epi-

gramm. xxii. « Illud adhuc gravius quod te, post mille labores, Paule, negat lasso janitor esse domi. » Gallice. *Consigner sa porte*. ED.

6. *Tantum causis*. Clientum causis. — *Tibi sæpe vacas*. Tuis studiis, vel balneis, cœnis, seu valetudini curandæ.

## VI.

## AD SEVERUM.

I nunc, edere me jube libellos.  
 Lectis vix tibi paginis duabus,

Queritur Martialis de fastidio Severi, qui singula ipsius epigrammata, antequam ederentur, assidue laudabat, suisque inscribebat in pugillaribus; mox eadem in librum collecta et edita languenter oscitanterque legebat. Vide libro V,

ep. lxxx, ad eundem Severum. ED.

1. *I nunc*. Formula indignantis et insultantis (vid. lib. Spect. epigramm. xxiii, v. 6; et lib. I, epigramm. xliii, v. 6), qua incusat Severum fastidiose legentem quæ ipse edenda censuerat. ED.

Spectas ἔσχατοκόλιον, Severe,  
 Et longas trahis oscitationes.  
 Hæc sunt, quæ relegente me solebas 5  
 Rapta exscribere, sed Vitellianis.  
 Hæc sunt singula, quæ sinu ferebas  
 Per convivia cuncta, per theatra.  
 Hæc sunt, aut meliora si qua nescis.  
 Quid prodest mihi tam macer libellus, 10

3. Pulmannus, Langius, Junius, Delph. etc. legunt ἔσχατοκόλιον, i. e. *ultimam paginam libelli*. Pro hoc verbo vacuum relinquitur spatium in Colin. anno 1528; sed ut habetur in Junt. anno 1512, verbum nihili est. Salmasius legendum putat ἔσχατοκόλιον. Scriverius in codd. invenit, *es cato collion*; unde ille ἔσχατοκόλιον, vel ἔσχατόκολλον. Vid. Var. not. Lectio nostra debetur Scaligero; quem vide in var. not. in Tibull. III, 1, 11. — *Spectas* ἔσχατοκόλιον. Ultimam libri partem (ἔσχατος, *ultimus*; κῶλον, *membrum, pars*.) Sensus est: Vix una aut altera pagina lecta, fastidii signa jam ostendis. Nam subinde finem libri spectare impatientis et nimium properantis est.

4. *Oscitationes*. Lassi et somnulosi hominis signum est repandiculans oscitatio.

5. *Relegente*, semel ac iterum tibi cupido me legente, antequam ederentur; vel attente composita versante, sæpiusque relegente, ut quas incuria fuderat maculas emendarem. ED.

6. *Rapta scribere* Junt. anno 1512, et Colin. 1528. *Raptim scribere* ex alia quadam Colin. editione citat probatque Cagnerius. — *Rapta*.

Tanta festinatione ut ea rapere videreris. ED. — *Sed Vitellianis*. De illa particula *sed*, vide quæ diximus lib. I, epigr. cxviii, v. 7. ED. — Vitelliani erant pugillares, quibus res amatoriæ et lascivæ scribebantur. Vid. lib. XIV, epigr. viii. Forsan sic appellati quia inventi aut usurpati a Vitellio imperatore deliciarum amantissimo.

7. *Hæc sunt*. Singula epigrammata magni faciebat Severus: in unum vero librum redacta fastidiebat; quod absurdum videtur. — *Sinu ferebas*. Quod ibi proprie dicitur, alias metaphorice sumitur pro *carum habere*. Vid. lib. III, epigramma v, vs. 7. ED.

8. *Per convivia*. Ubi nempe recitabantur; lib. VII, epigr. lxxvi, versu 2.

9. *Si qua nescis*. Si tamen quædam sunt epigrammata, quæ nondum legeris, ea sunt, iis quæ audisti, meliora.

10. *Quid prodest*, etc. Quid ergo me juvat, quod curavi ut hic meus liber esset minimæ molis et ponderis? Quod ei nullos addidi umbilicos qui, si essent appositi, foret crassior et ponderosior; si totum triduum ponis in eo legendo, quem hora una posses perlegere? Erant

Nullo crassior ut sit umbilico,  
 Si toto tibi triduo legatur?  
 Numquam deliciæ supiniore.  
 Lassus tam cito deficis viator,  
 Et quum currere debeas Bovillas,  
 Interjungere quæris ad Camœnas.  
 I nunc, edere me jube libellos.

15

in libris umbilici, clavi quidam ærei aut argentei, bullæ, ornamenta in modum umbilici facta, quibus extremæ libri paginæ ornabantur; de illis mentio incidit lib. IV, epigr. LXVII.

12. Alii *Si totus. Si toto* omnino legendum esse contendit Ramires de Prado. Scriverius mavult: *Si totus triduo tibi legatur.* « Sed prior in *triduo* et *biduo* est porrecta, inquit Beverlandus. Recte; sic enim Terentius, Andr. II, 6, 9. « Nihil hercle: aut si adeo; bidui est, aut tridui. » Et Paul. Episc. « Imago mortis triduanus funeris. »

13. *Nusquam* in quibusdam vett. teste Heraldus. — *Numquam*, etc. Qui delectatur, is alacritate quadam se gaudere testatur: nescio an tu legendo meo libello delecteris; sed non verisimile videtur, quum tam oscitanter segniterque tuis fruaris deliciis. Ed.

14. *Lapsus tam cito* Junt. nostra in marg. Haud rarerer vocabula *lassus* et *lapsus* librarii confuderunt, ut ap. Propert. I, 13, 8, et Sil. Ital. X, 606; ubi vid. Drakenb.

15. *Bovillas.* Urbs est in Latio. Quasi *boum villa*; ibi enim boves colligebantur ducendi in Urbem. Plinius, lib. III, cap. 5. Hodie, *Babuca*.

16. *Iter jungere* ed. antiq. Ferrar. anno 1471; Venet. Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ. Scaliger. ad Propert. p. 195, emendavit *Interjungere*. Verba *iter* et *iter (inter)* sæpe confunduntur a librariis. — *Interjungere*. Significat jumenta solvere a jugo. Lib. III, epigr. LXVII: « Exarsitque dies, et hora lassos Interjungit equos meridiana. » Seneca, *de Tranquillitate Vitæ*: « Quidam interjunxerunt, et in pomeridianas operas aliquid levioris operæ distulerunt. » Sensus est: non uno decursu perlegis tenuem librum, sed hæres et subsistis in itinere. — *Camœnas.* Templum Camœnarum erat Bovillas inter et Urbem, ad portam trigeminam. Sensus est: eos imitaris, qui quum possint cursu uno nec interrupto brevem inter Romam et Bovillas viam conficere, ad templum Camœnarum sistunt, quasi defessi.

## VII.

## IN ATTALUM.

DECLAMAS belle; causas agis, Attale, belle.  
 Historias bellas, carmina bella facis.  
 Componis belle mimos, epigrammata belle;  
 Bellus grammaticus, bellus es astrologus.  
 Et belle cantas, et saltas, Attale, belle. 5  
 Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.  
 Nil bene quum facias, facis attamen omnia belle.  
 Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

1. *Declamas*. Declamatio est domestica exercitatio et umbratilis, quo in genere pueri apud magistros exercentur. Notum discrimen inter declamatorem et oratorem: orator veras causas, declamator fictas agebat. De Attalo jam dictum, lib. I, epigr. LXXX. Vide quoque lib. IV, epigr. LXXIX.

3. *Componis numeros* citat Langius ex editione Pulmanni. Hæc quinque vocabula, *nimius*, *munus*, *mimus*, *numus* (vel *nummus*), atque *numus* (sive *numerus*), facillime a scriba properante confunduntur.—

*Mimos*. Poemata ridicula, in quibus solus risus quærebatur.

8. Beverlandi MS. *ardalio*; et sic in codice Vaticano. — *Magnus es ardelio*. Proverbialiter appellantur ardeliones, qui circa omnia volitant, nullibi pedem figunt, et in nihil agendo toti occupati sunt. Hoc nomen alii deducunt ab *ardore* et impetu tentantis multa, nihil vero perficientis; alii ab *ardeola* ave, quæ sæpissime diu alas quatiens, in aere veluti pendet, nec loco movetur. Ardeliones lepide carpit Phædrus, lib. II, fab. 4.

## VIII.

## AD LECTOREM.

SI qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis,  
 Sive obscura nimis, sive latina parum;  
 Non meus est error: nocuit librarius illis,

3. *Librarius*. Poetæ versus, quos in taberna venderet bibliopola, transcribebant librarii, et præ nimia festinatione menda plura facie-

Dum properat versus annumerare tibi.  
 Quod si non illum, sed me peccasse putabis; 5  
 Tunc ego te credam cordis habere nihil.  
 Ista tamen mala sunt. Quasi nos manifesta negemus!  
 Hæc mala sunt; sed tu non meliora facis.

bant, versus quippe aliquando integros præteribant, aut loco mutabant. Est et alter sensus; Raderus existimat librarium hunc sua prope festinatione adeo Martialem ursisse, ut ipse nimis properaret, sicque multa, non dato ad emendandum spatio obscura et parum latina inculcarent; quem sensum omnino rejicit Ramiresius, tum quia non diceret Martialis, *non meus est error*; tum quia librarii servi erant bibliopolarum, poetarum carmina in multa exemplaria transcribentes; ergo non librarius, sed bibliopola poetam urgere poterat. Judicet lector.

6. Ramiresius sic legit hunc versum: *Numne ego te credam cordis habere nihil?* Juntina nostra habet in margine, *mentis*; parum recte. — *Tunc ego te.* Ramiresius legit, forte minus bene: *Numne ego te credam cordis habere nihil?* id est, inquit: Si dixeris me peccasse, te cordatum et sapientem judicabo. Ex conclusione autem evidenter colligitur, quod Poeta non se hic pro more solito vituperet, sed facete irrideat hebetem lectorem. — *Cordis habere nihil.* Esse parum candidum et male cordatum, me peccante pejorem.

7. Malim ex vet. codice, *quasi nos*; vel, *quid enim manifesta ne-*

*mus?* idque libens prætulerim. *Cagnerius.* Beverlandi MS. habet, *quæ si manifesta*; quod ex Cagnerii nota antiquam esse lectionem conjicere licet: *quo si manifesta negemus* legit Janus Rutgersius. — *Ista tamen.* Instat lector: Sed tui versus mali sunt, nec librarii vitio, sed tuo. — *Quasi nos manifesta.* Respondet Poeta, malos quidem esse suos versus, sed ab ipsis censoribus elegantiores non componi. Simili modo se defendit Martialis contra Velocem, lib. I, III: « Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa. Ipse nihil scribis; tu breviora facis. » Ed.

8. *Hæc mala sunt.* Simili modestia sua multis in locis deprimit carmina. Sic lib. I, cxiv: « Quæcumque lusi juvenis et puer quondam, Apinasque nostras quas nec ipse jam novi, Male collocare si bonas voles horas, Et invidabis otio tuo, lector, etc. » eodem libro, epigr. cxix: « Cui legisse satis non est epigrammata centum, Nil illi satis est, Cæciliane, mali. » Lib. II, epigr. I, et viii: « Sic licet, usque malus, non odiosus eris. » Lib. IV, epigr. x, v. 5: « Comitetur punica librum Spongia, muneribus convenit illa meis. » — *Non meliora facis.* Non absimili sensu versus ille gallicus notissimus:

La critique est aisée, et l'art est difficile. Ep.

## IX.

## DE NÆVIA.

SCRIPSI, rescripsit nil Nævia, non dabit ergo.

Sed puto, quod scripsi, legerat : ergo dabit.

1. Pulmannus : *nil dabit ergo.*  
Ald. Junt et Colin. *non dabit ergo ?*  
cum interrogationis nota. — *Non dabit.* Sui copiam.

2. *Sed puto, quod scripsi, legerit*  
in iisdem, probante Herald. Vide  
Ovid. Art. Am. lib. I. — *Legerat.*  
Epistolas enim ab amatore missas

quum legit puella, se non inexorabilem fore indicat. Ovid. Art. Am. lib. I : « Legerit et nolit rescribere : cogere noli : Tu modo blanditias fac legat usque tuas. Quæ voluit legisse, volet rescribere lectis. Per numeros venient ista gradusque suos. »

## X.

## IN POSTHUMUM.

BASIA dimidio quod das mihi, Posthume, labro,

Laudo : licet demas hinc quoque dimidium.

Vis dare majus adhuc, et inenarrabile munus?

Hoc tibi habe totum, Posthume, dimidium.

1. Junian. Pulman. Lang. Delph. *quæ das.* Ald. Junt. Colin. *aliæ,* cum Beverlandi MS. *quod das.*

2. *Dimidium.* Sic quartam osculi partem habebis tantum, qua ero contentus, immo beatus nulla.

3. *Vis dare.* Lege versum sequentem, et videbis hoc majus quod *daturus* sit Posthumus, esse *nondare* oscula, sed sibi habere. Ed.

4. *Dimidium.* Dimidium dimidii,

osculi quartam partem. Cur misellam hanc osculi particulam recuset noster, ipse docet infra, epigr. XII : « Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper : Posthume, non bene olet, qui bene semper olet : et inde, » epigr. XXI : « Basia das aliis ; aliis das, Posthume, dextram : Dicis : Utrum mavis ? elige : malo manum. » Vide quoque epigr. XII et XXI infra. Ed.

## XI.

AD RUFUM DE SELIO COENIPETA. \*

QUOD fronte Selium nubila vides, Rufe,  
 Quod ambulator porticum terit serus;  
 Lugubre quiddam quod tacet piger vultus;  
 Quod pæne terram tangit indecens nasus;  
 Quod dextra pectus pulsat, et comam vellit; 5  
 Non ille amici fata luget, aut fratris:  
 Uterque natus vivit, et precor vivat:  
 Salva est et uxor, sarcinæque, servique:  
 Nihil colonus, villicusque decoxit.  
 Mœroris igitur causa quæ? domi cœnat. 10

\* Lemma in edd. vett. est: *In Selium*. Thuan. exhibet: *Ad Rufum de Sillo cœnipeta*.

—Ut Menogenem, lib. XII, epigramm. LXXXIV, sic Selium cœnipetam, de quo infra erit mentio epigr. XIV et XXVII, deridet Martialis mœrentem, quod domi cœnare cogatur. ED.

1. *Quod fronte Sillum* codex idem. *Ruffe* Junt. et Colin. — *Fronte nubila*. Tristitiæ nube velut obducta. ED.

2. Beverlandi MS. *sera*. Codex Palat. *seram*; et sic in cod. Heraldii. — *Porticum*. Porticum Europes, in qua ambulabat mane Selius, a Romanis in campo Martio sese exercitibus invitationem sperans, in quam vespere redibat, ut ait Poeta, epigr. XIV, infra, v. 15: « Si quis ibi serum carpat amicus iter. ED.

3. *Languore quodam* codex Bodleianus. *Languore* Beverlandi. MS. — *Lugubre quiddam*, etc. In vultu suo

Selius, tacendo præ se fert lugubre quiddam: vultus piger dicitur, quia inest in tristitia lentum aliquod et pigrum.

4. Codex Vaticanus: *Quod pæne terram tergit*. Vid. Heins. ad Claud. Præf. lib. I, in Rufin. — *Quod pæne terram tangit*, etc. Gallice, *Il a un pied de nez*. ED. — Qui præ pudore et tristitia oculos ac vultum dejiciunt, illis nasus demittitur, et apparet longior; ac forte isti Selio jam erat per se bene longus.

8. *Sarcinæque*. Supellex domestica: sensus est: Nihil illi fures abstulerunt.

9. *Colonus*. Qui agrum conductum et alienum colit. — *Villicus*. Qui villæ curam habet. — *Decoxit*. Perdidit, damni dedit. Metaphora ducitur ab iis liquoribus qui quum imponuntur igni, absumuntur sensim et minuuntur. Decoquere est aliquando *faire banqueroute*.

10. *Mœroris igitur causa*, quod



*domi cœnat* minus sincere antea legebatur in Junianis, et qui eum sequuti sunt. *Mœroris igitur causa quæ est?* codd. Heraldus et Palat. cum Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. quæ lectio reponenda est, inquit idem Heraldus. *Domi cœna est* Beverlan-

di MS. — *Domi cœnat*. Quod homini avaro, aut lautitias alienas avidè sectanti est magna calamitas, et quasi morbus cui *domicœnium* nomen confictum a Poeta. Vid. lib. V, epigr. LXXVIII, v. 1 : « Si tristi domicœnio laboras. » ED.

## XII.

### IN POSTHUMUM.

ESSE quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,  
 Quodque tibi est nunquam non alienus odor?  
 Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper:  
 Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

1. Eumdem Posthumum insectatur, quem supra epigr. x et infra, epigr. XXI, XXII, XXIII. ED.

2. *Quodque tibi est semper.* Ald. Junt. et Colin.

3. *Hoc mihi suspectum est.* Sic carpit Posthumum, qui animæ suæ fœtorem atque oris spurcitiem un-

guentorum accito odore dissimulare conabatur. Vide lib. VI, epigr. LV et lib. I, epigr. LXXXVIII.

4. *Non bene olet.* Naturaliter. — *Qui bene semper olet.* Per industriam odoribus semper unctus suavibus. Sic lib. VI, epigramm. LV : « Malo, quam bene olere, nil olere. » ED.

## XIII.

### AD SEXTUM.\*

ET judex petit, et petit patronus.  
 Solvas, censeo, Sexte, creditori.

\* Hic nulla lectionis varietas est in libris manu exaratis et typis impressis.

1. *Et judex petit.* Nolentem solvere debita Sextum carpit, simul et Romanos judices, qui pecuniam a li-

tigantibus extorquerent. Præstat ergo, inquit Poeta, absque hac lite uni creditori satisfacere, quam tribus, judici, patrono, et creditori, si causa cadis; saltemque duobus, si causam obtines.

## XIV.

AD PAULINUM DE SELIO COENIPETA. \*

NIL intentatum Selius, nil linquit inausum,  
 Cœnandum quoties jam videt esse domi.  
 Currit ad Europen; et te, Pauline, tuosque  
 Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.  
 Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,  
 Si quid Phillyrides præstet, et Æsonides.  
 Hinc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,

\* *In Selium lemma est in edd. vett.* — Selium cœnipetam de quo jam mentio, sup. epigr. xi, iterum deditur, in quærendis vocationibus ut sodales Catulli (Catul. epigr. xlviii) diligenter occupatum; et celebriora urbis loca toto die lustrantem, si forte in maximo civium concursu convivatorem inveniat. ED.

3. *Currit ad Europen.* Scilicet ad campum Martium; in quo porticus plurimæ picturis insignes, inter quas erat una, Europe dicta, quia visebatur in ea imago Europes a Jove in taurum converso raptæ. Strabo, lib. V: Πηλείων δ' ἐστὶ τοῦ πεδίου τούτου καὶ ἄλλο πεδίων, καὶ στικαὶ κύκλω παμπληθεῖς, καὶ ἄλση, καὶ θέατρα τρία, κ. τ. λ. *Prope hunc campum (Martium nempe), alius est campus, porticusque circumcirca permulta, tum luci, theatra tria, etc.* — *Te Pauline, tuosque...* etc. Paulinus, ut cæteri Romani, (lege Strabonem loco citato), in campo Martio cursu se exercebat et saltu. Huic igitur Paulino, ut ab eo invitetur ad cœnam, adulatur sine fine Selius, eum a pedum celeritate lau-

dando, Achillique conferendo. ED.

5. *Si nihil Europe.* Si nullum illic reperiat a quo invitetur, se confert ad Septa. — *Septa.* Erat pars campi Martii, sudibus et cancellis inclusa instar caularum, quam ob causam *Ovilia* iste locus etiam appellabatur (vid. Juv. Sat. VI, v. 528). In eo includebatur centuria quælibet aut tribus populi romani, quum darentur suffragia, ut tumultus vitaretur. Comitibus vero solutis occupabant hunc locum mercatores, adeo ut ibi propter perpetuas quasi nundinas, ingens esset hominum celebritas.

6. *Alii Phyllirides.* *Sic quid Phyllirides* Ald. Juni. et Colin. — *Phillyrides.* Chiron scilicet. Prope Septa templum erat Neptuni, juxtaque pulcherrima porticus in qua Argonautarum fabula miro artificio erat depicta: inter Argonautas vero fuit Chiron Neptuni et Phylliræ filius, et Jason ab Æsone procreatus, unde Æsonides dicitur. De his picturis fuse agit Plinius, lib. XXXV, cap. 10.

7. *Memphitica.* Hoc est, Ægyptia: Memphis urbs Ægypti clarissima,

Assidet et cathedris, mœsta juvenca, tuis.  
 Inde petit centum pendentia tecta columnis;  
 Illinc Pompeii dona, nemusque duplex.  
 Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,  
 Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi:  
 Nam thermis iterum cunctis iterumque lavatur.  
 Omnia quum fecit, sed renuente Deo,

de qua lib. Spect. epigr. I, v. 1. Juv. Sat. VI, 530: « Ut spargat in æde Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ovili. » Hoc est, prope Septa, in campo Martio, erat templum Isidis. Hoc Tiberius everterat, sed vel nomen loci manebat, vel ab alio imperatore fuerat instauratum.

8. *Mœsta juvenca.* Io, ut legitur apud Ovid. Met. I, Inachi fluvii filia, a Jove fuit compressa, et in vaccam deinde mutata, ut odio Junonis eriperetur, quæ Argum centum oculis præditum ad custodiendam pellicem commiserat, transiit in Ægyptum, ubi regi Osiridi nupsit. Vid. Strabonem, lib. XVII. Reineccius, de Argivorum origine et nomine, sic ait: Ex Jaso rege nascitur Io, quæ destinata Junonis sacerdotio, seu Phœnicum raptu, seu spontanea migratione ad Ægyptum appellit, ubi Telegono matrimonio juncta Epaphum parit, et novo Isidis nomine honoratur. Cognomentum Isis in Io repetitum propter ejus merita et virtutem: nam quæ prima id habuit, cum Osiride, quod nomen aliqui a Mizraim gentis conditore propagant, fuisse scribitur. Unde postea Antonius, quum se Osiridem nominaret, Cleopatram Isidem dixit.—*Mœsta.* Assidebat Seliis scamnis positus in templo Isidis, quæ mœsta dicitur ob virum Osi-

rim amissum et inventum tandem apud Phialam laceratum, cujus mortem ita deflevit, ut suis lacrymis Nilum auxerit, teste Pausania in Phocicis.

9. *Centum columnis.* Alii porticum Vipsanam de qua lib. I, epigr. cix, v. 3, et lib. III, epigr. xxiv, 10. Alii Corinthiam Cn. Octavii fuisse existimant. De verbo *pendentia*, vid. lib. Spect. epigr. I, v. 5.

10. *Illinc Pompeii.* Porticum Pompeiam intellige. Vide Plinium, lib. xxxv, cap. 10. Ovid. Art. Am. lib. 1: « Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra. » — *Nemusque duplex.* Vide locum Strabonis supra citatum, ubi agit de lucis. Alii intelligunt duos Pompeii hortos, superiorem nempe et inferiorem, de quibus Cicero pro Milone.

11. *Fortunati.* Qui fuit balneator quidam ignobilis, sicut Faustus.

12. *Nec Grylli.* Cujus tenebrosa erant balnea. Vide lib. I, epigr. lx, v. 3. — *Æoliamque.* Balnea sane habuit Lupus eo in loco, ubi ventus flaret vehementissimus, unde vocat *Æoliam* a regia Æoli, regis ventorum.

13. *Thermis.* Thermæ balnea calida sunt. Vid. epigr. lxxviii infra. In thermis proprie sudabatur, ut in balneis lavabatur.

14. *Renuente Deo.* Jove, seu quo-

Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit, 15  
 Si quis ibi serum carpat amicus iter.  
 Per te, perque tuam, vector lascive, puellam,  
 Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

vis deo, non favente, vel irato Genio.

15. *Lotus*. In plurimis enim thermis otiose se lavit, convivatorum quæsiturus. ED. — *Tepidæ*. Tepidam vocat Europen, seu Europes porticum (sup. v. 3), quia ardore solis post meridiem tepabant buxeta prope eam posita. Vid. l. III, ep. xx, vs. 12 et 13. Illic post meridiem plerique apricabantur.

17. *Per te*, etc. O Jupiter, qui tauri induisti formam, rogo te per te et Europam tuam, interfice hunc Selium, ut apud te cœnet. Alludit autem ad morem Græcorum, qui dicebant cœnatorios eos apud inferos, qui morituri essent. Nota est Leonidæ vox animosa: « Pergite animo forti Lacedæmonii, hodie apud inferos fortasse cœnabimus. »

## XV.

IN HERMUM, MALE OLENTEM.

QUOD nulli calicem tuum propinas,  
 Humane facis, Herme, non superbe.

1. *Quod nulli cyathum* margo Juntinæ nostræ, cum hac notatione: *Codex meus*. Vide var. lection. ad lib. I, epigr. LXXII. — *Quod nulli*, etc. Habebant veteres, honoratiores maxime, in conviviis peculiare suos calices: quos aliis interdum propinare, humanitatis erat: contrarium superbiæ. Invertit hoc Poeta collaudando Hermum, quasi hoc ab illo humane factum sit, ne scilicet compotores halitu fœtido et spurco offenderentur,

quod acute lectori relinquit inferendum. — *Propinas*. Propinare est proprie, prægustato leviter vino, poculum alteri offerre. Vide lib. III, epigr. LXXXII, v. 31.

2. *Humane facis*. — Eodem morbo enim laborabant Hermus, ac Manneia, lib. I, epigr. LXXXIV; Posthumus, lib. II, epigr. x, XXI, XXII, et XXIII; Sabidius, lib. III, epigr. XVII; Nestor, epigr. XXVIII ejusdem libri, nec non alii pluribus locis passim. ED.

## XVI.

IN ZOILUM, ÆGRUM SE SIMULANTEM.\*

ZOILUS ægrotat : faciunt hanc stragula febrem.

Si fuerit sanus, coccina quid facient?

Quid torus a Nilo, quid sindone cinctus olenti?

\* In plerisque: *In Zoilum*; quod mutavimus. *In Zoilum ægrotantem* inscribitur in codice Thuaneo.

— Zoili animi morbum irridet, qui ostentandæ suppellectilis causa corporis morbum simulabat; eundem carpit, lib. V, epigr. LXXIX, quod sudorem simulans subinde in cœna mutaret vestes. Eiusdem argumenti est epigr. LIX, lib. VI, de Baccara hibernas tempestates et frigora optante, ut gausapinas vestes sumere posset.

1. *Zoilus*. Invidi, obtrectatores, ostentatores, *Zoili* dicti sunt, a Zoilo quodam, qui injuriosos quondam in Homerum scripsit commentarios. *Ælian.* var. hist. lib. XI, cap. 10. — *Faciunt hanc*, etc. Febrem simulat, stragula et alias lecti opes invisentibus ostentaturus. — *Stragula* (a verbo *sterno* dicta) esse aulæa et tapetia quibus lectus insternitur, confirmant epigr. CXLVII et CXLVIII, lib. XIV. ED.

2. *Coccina quid facient?* Quid prodessent cocco tincta stragula, quæ nemo cerneret? Coccus granum quoddam est, ex quo aqua macerato fit color eximii ruboris.

3. In aliis, *Quid Sidone tinctus olenti?* Rutgersius, var. lect. lib. VI, cap. 2, legendum autumat: *Quid*

*Sidone cinctus olenti?* Conjicerem: *Sindone tectus olenti*. — *Quid torus a Nilo?* Torus e lino Ægyptiaco et Alexandrina pluma factus. — *Sindone cinctus olenti*. Quid faciet torus Ægyptiacus, cinctus sindone odorata? — *Sindon* vestis quædam erat, calorem fovens, ut videtur ex lib. IV, epigr. XIX, v. 12, eademque pretiosissima. Bayfius de re vestiaria: *Sindon*, inquit, est amictus ex lino Ægyptiaco, sic dicta, ut opinor, quia primum in Sidone urbe hujusmodi amictus fieri cœpit. Ob id Tyria dicta epigr. supra citato. *Sidone*. *Zoilus*, ut apparet, ex delicata luxuriosaque illa veste lintea toralia confici jusserat. — Sed in hoc loco maxime variant interpretum sententiæ. ED. — *Sindone tinctus*. Ramiresius *Sidones* putat esse vestes quibus induebatur *Zoilus*, quasque lecto straverat eas ostentaturus; qui mos, ut ait, erat Romanorum; idem putat verbum *tinctus* esse substantivum nomen, et per hypallagen *Sindone tinctus olenti* accipi debere pro *Sindon tinctu olenti*. — *Sindone cinctus*. Petitus sic hunc locum exponit: *Zoilum* scilicet voluisse opes suas, non tantum in stragulis purpureis et toro Nilotico; sed etiam in fasciis,

Ostendit stultas quid nisi morbus opes?  
 Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes. 5  
 Vis fieri sanus? stragula sume mea.

quibus obligabatur e Medicorum imperio; eas appellans *sindones*, et quidem *olentes*, e murice scilicet. Intelligitur etiam sindonis nomine linteum illud, quo involuebantur qui tonsoribus operam dabant, ut etiamnum hodie fit. — Legit Scriverius *Sidone tinctus olenti*, id est, purpura Sidonia tinctus; quæ olens dicitur, quia recentis purpuræ gravis est odor.

5. *Machaonas*. Medici sic dicti sunt a Machaone, filio Æsculapii, nobilitato ab Homero cum fratre Podalirio.

6. *Vis fieri sanus*. Ad mentem et ad corpus refer. Vide lib. VI, epigramm. LXXXIV. — *Sume mea*. Quoniam ea ostentare non cupies, sunt enim vilissima; atque ita fies sanus; hoc est, non fovebis lectulum, ægrum te simulans.

## XVII.

AD AMMIANUM, DE TONSTRICE MOECHA ET AVARA.\*

TONSTRIX Suburræ faucibus sedet primis,  
 Cruenta pendent qua flagella tortorum,  
 Argique letum multus obsidet sutor.

\* Tonsorum tabernæ vera erant hominum otiosorum conciliabula, ut ex multis Terentii, Plauti et Theophrasti locis apparet. Hac frequentia abutentem quamdam mœcham tonsoris uxorem, ut adolescentium pecunias corraderet, deridet Martialis in ambiguitate verbi *radere* ludens. ED. — *Ad Amianum* inscribitur in Ald. Junt et Colin. in aliis *Ad Ammianum*.

1. *Tonsor Suburræ* Pulmannus. — *Suburræ*. Suburra regio fuit urbis frequentissima, sic dicta (Varro, lib. IV, de lingua latina), quia sub antiquis urbis mœnibus, id est sub muro terreo Carinarum erat

posita; quasi *suburbana*, per contractionem. Idem observandum de *Summænio*. Meretrices dicebantur uxores Suburræ, vel Summænianæ. — *Faucibus sedet primis*. In primo aditu habet officinam.

2. *Cruenta pendent*, etc. Ubi est domus tortoris publici, maleficos loris plectentis. Forsan prope templum Apollinis tortoris, de quo mentio apud Suetonium, Octav. August. 70.

3. *Argique letum*. Et Argiletum. — Argiletum erat regio urbis, bibliopolarum sutorumque tabernis frequens, haud procul theatro Marcelli, a quodam Argo, duce Argi-

Sed ista tonstrix, Ammiane, non tondet.

Non tondet, inquis? ergo quid facit? radit. 5

vorum dicta, qui ab Evandro exceptus hospitio, quum in affectati regni suspicionem venisset, ab Arcadibus, inscio Evandro, interceptus est; cui postea Evander tumultum erexit, quem de nomine ejus Argiletum appellavit. Vid. lib. I, epigr. IV, vs. 1, et epigr. CXVIII, vs. 9.

4. *Sed ista tonsor, Amiane idem Pulmannus. Sed ista tonstrix, Amiane Ald. Junt. et Colin. — Non tondet. Mæcha nempe, quæ nec ca-*

pillos, nec barbam, sed adolescentum pecunias radebat, id est, eorum marsupium emungebat.

5. *Non tondet inquam: quid igitur facit? radit Pulmannus. Non tondet inquam: quid ergo facit? radit in edd. vett. Non tondet? inquis: ergo quid facit? radit legit Cagnerius e veteri quodam codice. Heraldus legendum putat: Non tondet, inquis. Ergo quid facit? Radit. — Inquis. Ammiani responsio. — Radit. Respondet Martialis Ammiano.*

## XVIII.

IN MAXIMUM.\*

CAPTO tuam, pudet heu, sed capto, Maxime, cœnam:

Tu captas aliam: jam sumus ergo pares.

Mane salutatum venio; tu diceris isse

Ante salutatum: jam sumus ergo pares.

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis; 5

\* Ut infra Pontico, epigr. xxxii, hic Maximo valedicit, cujus cliens fuerat; et causam reddit, quod Maximus ipse cliens esset alterius et cœnipeta etiam: quo nomine parem dicit utrumque esse; et tandem concludit non debere clientem alterius esse, qui vult habere clientes. *Ramires.*

1. *Capto tuam, etc.* Ego te pro rege meo et patrono salutabam, comitabar, prosequabar, cœnam hinc promeriturus, neque negabo

me hinc cœnam captare: sed et te video eadem obire officia (namque hoc faciebant potentiores. *Juven. Sat. I, vs. 117.*) Quocirca, quum tibi par sim, renuntio tuæ clientelæ, nolo esse cliens clientis, etc.

2. *Tu captas alias Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. etc.* Cætera nil variant exemplaria.

5. *Anteambulo is dicitur, qui præcedit alium, et quasi viam illi sternit, quod erat quoque clientium. — Regis. Potentiores amicos reges*

Tu comes alterius : jam sumus ergo pares.  
Esse sat est servum : jam nolo vicarius esse.  
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

appellari a clientibus confirmant epigr. cxiii, lib. I, v. 1; epigr. vii, lib. III, v. 5; epigr. xix, lib. V, vs. 13; epigr. xxii, lib. V, vers. 14, etc. ED.

7. *Vicarius*. Vicarius, seu ordinarius servus, erat in alterius servi potestate et peculio ex domini

voluntate constitutus et obnoxius.

8. *Qui rex est*. Hoc est, qui dominus est, non serviat alteri domino, seu regem non habeat. Epigramm. xxxii infra: « Non bene, crede mihi, servo servitur amico: Sit liber, dominus qui volet esse meus. »

## XIX.

AD ZOILUM.

FELICEM fieri credis me, Zoile, cœna :  
Felicem cœna, Zoile? deinde tua?  
Debet Aricino conviva recumbere clivo,  
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

1. *Felicem fieri*, etc. An putas me cœnarum captatorem, præsertim tuæ? Falleris; nullius cœnam, minime vero tuam capto, in qua tot fastidia sunt ferenda (vid. lib. III, epigramm. lxxxii), ut ad tuam mensam recumbere tantum possit sordidus famelicusque stipis mendicator. ED.

2. *Felicem cœna, Zoile, deinde tua?* in omnibus edd. vett. Distinctio lectionis nostræ debetur Grotio et Scriverio. Codex Bodleianus et Gallicanus Pulmanni exhibent: *Felicem? cœnam, Zoile, dando tuam.* De o corripiendo in Gerundiis, vide Statium in var. notis ad Tibull. III, 6, 3. Broukh. ad eundem locum, Perizon. ad Sanct. Minerv. Heins. ad Ovid. epist. IX,

126, et Burm. Sec. ad Anthol. tom. I, p. 298; tom. II, p. 712. *Cœna tua*. Eodem omnino sensu de eodem, lib. III, epigr. lxxxii: « Conviva quisquis Zoili potest esse, Summœnianas cœnet inter uxores, Curta qui Ledæ sobrius bibit testa, » etc. ED.

3. *Debet Aricino*. Aricia in Via erat Appia centum et sexaginta stadiis ab urbe Roma in clivo sita. Strabo, lib. V. Ibi erant multi mendici, ob celebritatem viæ, et hominum commeantium frequentiam. Juv. Sat. IV: « Cæcus, adulator, dirusque a ponte satelles, Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes. » — *Recumbere*. Ludit in verbo *recumbere*, quod humi jacere, et mensæ accumbere significat.



## XX.

DE PAULO. \*

CARMINA Paullus emit : recitat sua carmina Paullus.  
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

\* In hujus epigrammatis lectione haud variant exemplaria manu exarata aut impressa.

2. *Nam quod emas.* Vid. lib. I, epigr. xxx, v. 4, et lib. VI, epigramm. xii: « Jurat capillos esse, quos emit, suos Fabulla: numquid, Paulle, pejerat? nego. » Nam qui emit, rei emptæ acquirit

dominium. Festive plagiarium quasi excusando carpit. Exstat hujus epigrammatis imitatio gallica, de quodam concionatore, qui sacras emebat orationes, quas in publico habebat, suo ingenio veluti depromptas, et his verbis terminatur:

Moi qui sais qu'il les achète,  
Je soutiens qu'ils sont à lui. Ed.

## XXI.

IN POSTHUMUM. \*

BASIA das aliis; aliis das, Posthume, dextram.  
Dicis, Utrum mavis? elige: malo manum.

\* Nec in hoc membranæ, aut libri typis impressi, minimam varietatem produunt.

1. *Das dextram.* Quam tangant alii, nempe velut fidei et amicitiae pignus, Horat. lib. I, Sat. 9, v. 4; vel quam osculentur; quod tamen soli imperatores et quidem superbi facere solebant. Suetonius in Domitiano, cap. 12.

2. *Malo manum.* Quam basia tua male olentia; epigr. x et xii supra, et infra xxii et xxiii, in quibus de eodem Posthumo eadem est irrisio. Epigr. x hujus libri: « Basia dimidio quod das mihi, Posthume, labro, Laudo; licet demas hinc quoque dimidium. Vis dare majus adhuc et inenarrabile munus? Hoc tibi habe totum, Posthume, dimidium. »

XXII.

AD APOLLINEM DE EODEM.\*

QUID mihi vobiscum est, o Phœbe, novemque sorores?  
 Ecce nocet vati Musa jocosa suo.  
 Dimidio nobis dare Posthumus ante solebat  
 Basia; nunc labro cœpit utroque dare.

\* *De eodem* in multis. *Ad Apollinem de Postumo* inscribitur in Beverlandi MS. Cætera nulla est lectionis varietas.

1. *Phæbe*, etc... « Numina cultori pernicioso suo. Ovid. II, Trist. »

2. *Ecce nocet*, etc. Antea enim me leviter notum dimidio basio parce ac obiter salutabat; jam ex

carminibus notio rem ore toto me amicitiae causa osculatur, et foetentem mihi mephitim exhalat. O famam mihi exitialem! Vid. supra, epigr. x, XII et XXI. — Vel intellige Posthumum hoc fecisse se ulciscendi causa (vid. infra, epigr. XXIII), contra jocosam Musam iratum. ED.

XXIII.

DE EODEM.

NON dicam, licet usque me rogetis,  
 Quis sit Posthumus in meo libello,  
 Non dicam: quid enim mihi necesse est  
 Has offendere basiationes,  
 Quæ se tam bene vindicare possunt? 5

1. *Non dicam*... Vid. epigramm. lib. I.

3. *Quid enim*. Causam reddit cur verum nomen ficti hujus Posthumi non proferat; quod nempe, inquit, sub amicitiae specie libans mihi oscula male olentia, de me pœnas et quidem acerbissimas sumeret.

Vid. lib. VII, epigr. xcv, v. 4 et 5.

« Ita Artemona illa apud Plautum in *Asinaria*: « Nam si domum redieris hodie, osculando ego ulciscar potissimum. » Quum prius dixisset Demænetus, *malle se navteam bibere, quam illam osculari*.

4. *Has ostendere basiationes* Bever-

landi MS. quam lectionem habet etiam Juntina nostra margini ascriptam, cum notatione: *Codex meus*. — *Has offendere basiationes*. Hunc

basiatorem lædere, et mihi præstare inimicum. — Vide epigr. x, xii, xxi et xxii infra, de eodem argumento.

## XXIV.

## IN CANDIDUM.\*

SI det iniqua tibi tristem fortuna reatum,  
 Squalidus hærebo, pallidiorque reo.  
 Si jubeat patria damnatum excedere terra,  
 Per freta, per scopulos exsulis ibo comes.  
 Dat tibi divitias: ecquid sunt ista duorum?  
 Das partem? multum est; Candide; das aliquid?

\* Improbis amicitiae affectator Candidus, cui semper in ore *κοινὰ φίλων παντῶν*, quamdiu miser ipse fuit, miseriarum communitatem Martiali assidue jactitabat inter amicos esse servandam. Quem autem divitem factum interrogat nunc Martialis, an bonorum quoque laudet inter amicos communitatem? quam admonitionem surdis auribus accipit Candidus, ut infra patet ex epigr. XLIII. ED.

1. *Si det iniqua*, etc. Quatuor hos primos versus, cum Farnabio, sed contra omnes alios interpretes, Candido censeo tribuenda, magnifica pollicenti, quamdiu miser fuit ipse, nec erat occasio promissa explendi. ED. — *Tristem reatum*. Si te sors iniqua reum fecerit.

2. *Squalidus hærebo*. Hoc est, si reus factus fueris, ego mutata veste sordidatus quocumque te comitabor: rei enim, eorumque amici, clientes ac propinqui, lugubrem et

sordidam vestem induebant, ut iudices ad misericordiam commoverent.

4. *Per freta, per scopulos* Juntina nostra in margine; sed lectio recepta non sollicitanda. Lib. VII, epigr. XLIII: «Æquora per Scyllæ magnus comes exsulis isti;» i. e. per Scyllæ scopulos.

5. *Dat tibi divitias*. Hic respondet Martialis: Non sum exsul aut reus, sed pauper, utpote poeta: qui miseriarum communitatem subinde laudabas, nunc me bonorum fac participem, quum tibi fortuna arriserit. ED. — *Ecquid*, etc. Cur non divitias, ut miserias duorum esse censes? ED.

6. *Das partem: multum est: Candide*, etc. in edd. vett. — *Das partem?* Num mihi das partem *dimidiam?* Neque hæc iniqua esset postulatio, apud eum qui se mihi toties ingesserat adversarum rerum socium! nimium est, inquis: esto;

Mecum eris ergo miser : quod si Deus ore sereno  
Annuerit ; felix , Candide , solus eris ?

num das aliquid ? Minime vero , ne  
teruncium quidem.

7. *Mecum ergo miser es* in iisdem ;  
et sic codex Vaticanus. Lectionem  
nostram testatur optimus Thua-  
neus. Eadem Junt. in marg. habet  
*aure* pro *ore* , sine dubio ex cor-  
rupto Propertii loco , I , 1 , 31 :  
" Vos remanete quibus facili Deus  
annuit aure ; " ubi *aure* fere omnes  
codices. Hæ voces *aure* , *aura* , et

*ore* frequenter confunduntur in  
scriptis exemplaribus. Cf. Heins.  
ad Ovid. Met. XII , 46 et 430.  
Burm. ad Propert. I , 1 , 31 ; I ,  
12 , 6. Drakenb. ad Sil. X , 366 ,  
et Oudend. ad Lucan. II , 33. —  
*Mecum eris ergo miser*. Tu mecum  
vis esse miser ; me tecum felicem  
esse non vis , si dexter tibi affulse-  
rit vultu placido Mercurius. Hoc-  
cine æquum est ? Ed.

## XXV.

AD GALLAM.

DAS nunquam , semper promittis , Galla , roganti.  
Si semper fallis , quum rogo , Galla , nega.

2. In omnibus , *jam rogo*. *Si sem-  
per fallis , cum rogo* Juntina nostra  
in margine , quod forte verissima  
est lectio. — *Si semper fallis*. Facete  
jocatur Poeta , et Gallam irridet ,

quæ si pollicita semper decipiat ,  
quum negaverit , dabit. Quoniam  
ita lubricæ seu præposteræ est fidei ,  
ut contrarium semper faciat iis quæ  
promisit.

## XXVI.

AD BITHYNICUM.

QUOD querulum spirat , quod acerbum Nævia tussit ,  
Inque suos mittit sputa subinde sinus :

1. *Quod acerbum*. Tussis enim  
signum vicinæ mortis. Vide lib.  
I , epigr. 11.

2. *Inque suos*. Quasi præ imbe-  
cillitate longius spuere nequiret. —  
*Inque tuos* e cod. suo profert , pro-

Jam te rem factam, Bithynice, credis habere?

Erras : blanditur Nævia, non moritur.

batque Heraldus quasi Martialis ita summam hominis abjectionem significet, qui ejusmodi sputa patientissime et amicissime exciperet.

3. *Jam terræ factam* codex Vaticanus. — *Rem factam*. Lucrum factum ex vetulæ hæreditate. Vide lib. I, epigr. xxviii, v. 4. Ed.

4. *Blanditur Nævia*. Te vana spe lactat nec moritura, immo diutius

victura te hæredem appellat. — *Blanditur*. Tibi sic grata esse conatur, ut eam ducas uxorem deceptus, et brevi morituram existimans. Ed. — Alii intelligunt : *delicias facit*. Quidam tussendi et screandi rationem quamdam adamant, affectantque, ut delicati et blandi videantur : ita tussit Nævia, ut tibi magis placeat.

## XXVII.

DE SELIO COENIPETA. \*

LAUDANTEM Selium, cœnæ quum retia tendit,

Accipe, sive legas, sive patronus agas.

Effecte! graviter! cito! nequiter! euge! beate!

Hoc volui! facta est jam tibi cœna : tace.

\* De eodem Selio, vid. sup. epigramm. xi et xiv.

2. *Accipe*. Animadvertite quantis plausibus, quum cœnam tuam aucupatur, te laudet Selius, carmina vel libellos recitantem, vel causas agentem!

3. Ed. antiq. Ferrar. anno 1471 Venet. Ald. Junt. Colin. aliæ exhibent *Effæte*, quod retinendum censet Ramires de Prado. *Effecte* e codice suo attulit Gruterus; unde Pulmannus conj. *Affecte*, quod placet Radero. Pro *nequiter*, alii legunt *naviter*. — *Effecte*. Hoc verbum pro *perfecte* sumi confirmant Apuleius, lib. II, Florid. \* Vel inde

ante aram Bathylli statua a Polycrate tyranno dicata; qua nihil videor *effectius* cognovisse » et Amm. Marcellinus, lib. XVI : « Sed tamen quum hæc *effecte* pleneque colligeret, etc.... » Legit *effæte* Ramiresius, et sic explicat : *Effæta* dicuntur, quæ omnino fœtum emiserunt : per metaphoram *Effæte* dicitur in laudem illius qui nihil amplius dicendum reliquerit in ea re quam agit. — *Nequiter*. Versute, argute.

4. Domitius e codice antiquo legit *tacet*. « Legerem libentius *tacet*, quod verbum Poetæ est nôtantis Selii aviditatem cœnæ, qui

statim ac factam sibi cœnam audi-  
vit tacuit. \* *Ramires.* — *Hoc volui.*  
Verba sunt recitatoris vel patroni  
respondentis acclamationibus Seli.  
Vel potius cum Grutero existima-

rem hæc esse Seli quoque verba  
dicentis : Non aliter a te perorari  
volui, etc. Ed. — *Facta est.* Eodem  
sensu dicitur *facta est cœna*, quo in  
epigr. præced. v. 3, *rem factam.*

XXVIII.

IN SEXTILLUM. \*

RIDETO multum, qui te, Sextille, cinædum  
Dixerit, et digitum porrigito medium.  
Sed nec pædico es, nec tu, Sextille, fututor :  
Calda Vetustillæ nec tibi bucca placet.  
Ex istis nihil es, fateor, Sextille : quid ergo es? 5  
Nescio : sed tu scis res superesse duas.

\* In hujus epigrammatis lectione  
nulla varietas reperta est in exem-  
plaribus, aut scriptis aut excusis.

1. *Rideto.* Licet tibi contemnere  
eum qui te appellaverit cinædum,  
et in illum ipsum retorquere id  
convicium, porrecto medio digito  
infami et verpo, qui cæteris con-  
tractis curvatisque Priapum repræ-  
sentans in cinædorum et mollium  
notam extendebatur. Vid. lib. I,  
epigr. xciii, v. 2.

4. *Calda Vetustillæ.* Id est, vul-  
va, quia non es cunnilingus. Sic  
Domitius. Alii de fellatione hunc  
versum intelligunt.—Hunc sensum  
effingunt sponte Martialis verba,  
ut vere mirandum sit cuiquam in  
mentem venire potuisse *buccam*

eodem sensu intelligi ac vulvam.  
Nempe Horatii Satir. I, 1, 20,  
« Jupiter ambas Iratus buccas in-  
flet » : et nihil in hoc sensu dubii.  
Epitheton *calda* æque convenit  
*buccæ* : nihil est igitur cur sensum  
voc. naturalem ad partes inferiores  
deflectas; quum inprimis proprie  
*buccæ* sint pars genarum interior  
ad linguam et dentes respiciens,  
nec quidquam simile in partibus  
pudendis usquam deprehenderit.  
Vid. lib. III, epigr. xciii. Ed.

6. *Res duas.* Fellandi et lingendi  
turpitudinem interpretatur Rami-  
resius. Alii masturbatorem vel irru-  
matorem argui Sextillum sentiunt.  
Potest etiam pathici vitium hoc loco  
innui. Vid. lib. IV, epigr. xlili. Ed.

## XXIX.\*

AD RUFUM.\*\*

RUFFE, vides illum subsellia prima terentem,  
 Cujus et hinc lucet sardonychata manus:  
 Quæque Tyron toties epotavere lacernæ,

\* Hoc epigrammate invehitur Martialis in servum quemdam stigmatiam, qui libertate donatus, et ad equestrem senatoriamque evectus dignitatem, fastus delicatissimi luxuriam explicabat arroganter, inustas suæ fronti literas spleniis dissimulans. Ed.

\*\* *Ad Rufum* inscribitur in Junt. et Colin.

1. *Ruffe* in iisdem. Multi codices, cum ed. antiq. Ferrar. ann. 1471, Venet. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. habent: *subsellia prima tenentem*; et hoc retinendum censet Ramires. quod imperiosam quamdam possessionem indicat; ut tenere Galliam, Hispaniam, etc. Multi codices habent etiam, *terentem*. — *Subsellia prima terentem*. Cum senatoribus in orchestra sedentem, et quidem, ut ille de quo mentio lib. V, epigr. XIV, primos in ipsa orchestra gradus superbe occupantem, quos, assidue sedendo, quasi terebat. Ed. — Sunt qui ad subsellia in judiciis referunt, et intelligunt in foro judicum, ubi erant subsellia, spatiantem, causidicumque notari volunt, qualem depingit Juven. Sat. VII, vs. 139, et recitatorem, Pers. Sat. I, vs. 15; quod recte abnuit Ramiresius,

quum certe ad judicialem fastum officiumque aliquid pertinens dixisset Martialis. — De verbo *subsellia* vid. lib. I, epigr. XXVII, vs. 1; et lib. V, epigr. VIII, vs. 2.

2. In edd. vett. *sardonycata*. — *Cujus et hinc*, etc. Qui, ut equites romani, gerit anulum gemma sardonycæ insignem cujus fulgor vel hinc usque, id est, ex eo ubi sedet loco ad nos pervenit. Sardonyx est gemma subrubra et subcandida colorem habens sardii lapilli, qui rubens, et onychis, græce ὄνυξ, υχός quod sonat idem ac unguis, qui fere albus est.

3. *Quæque*, etc. Ordo est: cujus lucet sardonychata manus, et lucent lacernæ quæ, etc..... Ed. — *Toties Tyron epotavere*. Quæ bis, vel pluries tinctæ sunt in purpura e Tyro allata. Eæ vero lacernæ delicatiorum erant, præcipue in theatralibus spectaculis. — *Lacerna*. Lacerna, ut toga, erat vestis exterior instar pallii: utraque imponebatur tunicæ; sed toga comptior, longior ac decentior erat quam lacerna, imo et usitatior fuit quamdiu stetit Respublica et floruit. Vid. lib. I, epigr. xcvi, vs. 4; lib. IV, epigr. II, vs. 2; lib. XIV, epigr. cxxxvii, v. 4.

Et toga non tactas vincere jussa nives :  
 Cujus olet toto pinguis coma Marceliano,  
 Et splendent vulso brachia trita pilo.  
 Non extrema sedet lunata lingula planta,

5

4. *Et toga.* Ordo est : et lucet toga, etc. — *Non tactas.* Nullo vestigio pressas. — *Vincere,* etc. Fullonis arte dealbata, cretata insuper. Inde dicti erant petitores candidati, non quod candida toga soli uterentur, quæ communis fere omnium erat; sed quod ita cretata, splendens et candida eorum esset toga opera fullonica ut oculorum aciem præter cætera perstringeret. *Ramiresius.*

5. *Marcellano.* cod. Vat. Ald. Junt. Colin. etc. — *Marceliano.* Unguento delibutus Marcellii unguentarii, cujus myropolium exhausserat novus iste eques. Quidam exponunt, quod per totum theatrum Marcelli spargeretur odor, quo perfusus erat ille servus. *Rad.*

6. Beverlandi MS. *brachia tota.* — *Splendent,* etc. Pumice, nuce ardentis. Dropace seu psilothro delicati et molles se depilabant levigabantque.

7. *Non extrema sedet* in edd. vett. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Non hesterna* Pulmanni codd. *Cuique hesterna* legit Heraldus. *Non externa* legunt alii. Hæ voces *hesternus,* *externus,* et *extremus* passim in codd. confunduntur, ut ap. Virg. *Æn.* VIII, 543. Ovid. *Trist.* I, 3, 44. Propert. I, 1, 29; I, 3, 44; II, 6, 19; II, 16, 40. Vide Broukh. ad Propert. II, 13, 40; Drakenb. ad Sil. Ital. IX, 209; Burm. ad Lucan. I, 314, et Markland. ad Stat. *Silv.* I, 2, 100. *Lunata lingula*

Ald. Junt. Colin. Pulm. etc. — *Non extrema sedet lunata,* etc., etc. Cujus in calceo altiori et lunula insignito est lingula, sed non in extrema planta; nam multæ aliæ usque in medium crus ascendunt. — Senatorum calcei erant altiores et ad mediam usque tibiam revincti loris quibusdam; vulgares, quibus populus utebatur, erant demissiores vixque supra pedem elati. Horat. lib. I, sat. 6, de senatore loquens, ait: «Nigris medium impediit crus Pellibus.»—Ergo existimo hic a Martiale ligulam illam quæ in pede sedet *non extremam* dici, quia stigmatias ille, in quem invehitur Martialis, calceos patricios quatuor corrigiarum portabat, atque ita ligula illa infima, quæ pedem tangit, haud quaquam extrema erat; quum contra in calceis plebeiis extrema esset; illi enim non habebant alias illas ligulas quæ inter se implexæ usque ad suras ascendeant. *Ruben.* — Farnabius et Ramiresius intelligunt verbum *non extrema* per litoten, quasi dicat Martialis: lingula inter primas numeranda, et multis pretiosior. — Alii legunt, *non hesterna,* et intelligunt *in dies per luxum mutata,* quotidieque nova ac recens. — Alii denique *cuique hesterna,* id est, nova, ut notet hunc servum hominem novum, et hodie primum nobilitatum. Hoc sensu Persius, Sat. III, dixit *hesternos Quirites* pro novis civibus. *Judicet lector.* —



Coccina non læsum cingit aluta pedem;  
 Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.  
 Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

10

*Lunata.* Patricii senatores lunæ crescentis notam calceis assuebant, quia senatus olim e centum patribus a Romulo lectis constabat; litera autem *C* nota est numeri centenarii, eademque lunam crescentem imitatur. Erat ista lunula talare quoddam eburneum, teste Philostrato, de vitis sophistarum, in vita Herodis Attici; qui ejusmodi homines aiebat habere nobilitatem in malleolis pedum. Vid. lib. I, epigr. L, v. 31. — *Lingula*, seu *ligula*. Lorum, a verbo *ligo*. Alii intelligunt argenteam vel auream fibulam ad formam lingulæ.

8. Beverlandi MS. *pingit aluta*, id est, ornat: sunt et qui *stringit* legant. — *Coccina*. Coccus granum quoddam est ex quo aqua macerato fit color eximii ruboris. — *Non læsum*. Etenim illi qui pedes læsos habebant sine reprehensione coccina aluta uti poterant. Parthiæ enim pelles ex quibus coccini calcei concinnabantur mollissimæ erant, atque ideo læsis pedibus aptiores; quamvis postea, quum Imperatores soli vindicarunt sibi coccinos calceos, aliis omnibus interdictum fuerit earum usu. — *Coccina cingit aluta pedem*. Senatores primo calceis ex aluta nigra, mox (crescente luxu) cerea, galba, mullea, hederacea, coccinea pedes cinxerunt. — *Aluta* est pellis agnina. Gallice *basane*.

9. Lipsius lægit: *stillantem splenia*

*frontem*; cui astipulatur *Ramires de Prado*. Alii *stellatam*. — *Stellantem*. Seu quia splenia erant emplastra tenuia quæ frontem discriminabant ut stellæ cælum; seu quia eadem in radios secta, instar stellarum. — Vel nitentem, et splendentem propter candorem fasciæ: vel a stellis fasciæ seu splenio ornatus causa attextis. Hæc Raderus. Legunt alii *stillantem*, hoc est, frontem madidam fluentibus stillis unguenti Marceliani. — *Splenia*, gallice *mouche*. Emplastra quædam nigra ex unguentis, vel medicamine aliquo, artificiose disposita ad capitis dolorem, vel oculorum morbum vel rugositatem frontis celandam adhibita: ut autem frontis honor et elegantia constaret, fasciæ candida adhibebatur, inquit Raderus. Porro et quidam frontem liniebant unguento vel cerusa: deinde panniculum sive fasciam ponebant. Quidam existimant splenia esse oculorum operimentum ad arcendam nimiam lucem, sed false: vid. Böttiger. in Sabin. pag. 362. Lib. X, epigr. xxii.

10. *Leges*. Ex literis fronti ejus inustis cognosces eum fuisse servum stigmaticum, si sustuleris splenia quæ stigmatum celandorum causa adhibuit. Servis, præsertim fugitivis, inuri solebant in fronte notæ quædam ut agnoscerentur; ita Plautus servum istis literis male notatum vocat facete *litteratum*.

## XXX.

IN CAIUM, AVARUM AMICUM.\*

MUTUA viginti sestertia forte rogabam,  
 Quæ vel donanti non grave munus erat:  
 Quippe rogabatur felixque vetusque sodalis,  
 Et cujus laxas arca flagellat opes.  
 Is mihi, Dives eris, si causas egeris, inquit.  
 Quod peto da, Cai: non peto consilium.

5

\* Reprehendit Caium ut illiberalem et parum sibi in amicitia respondentem, qui summam quamdam mutuo petenti, non pecuniam, sed consilium dederat, quo ditescere posset. — Jocus hic desumptus a Seneca, epist. 45.

1. Junt. ann. 1512, et Colin. ann. 1528, habent *sestertia*. — *Viginti sestertia*. Gallicæ monetæ 2000 francos.

2. Beverlandi MS. *erant*. — *Quæ vel donanti*. Quam summam vel mihi donasse non fuisset homini tam diviti grave impendium.

3. In antiqua edit. Ferrar. anni 1471, Ald. Junt. Colin. Gryph. aliis, cum cod. Palat. *fidusque vetusque*: Beverlandi MS. *fidusque verusque*, obstante metro. — *Felix. Dives*.

4. *Arca flagellat*. Turnebus, lib. XXI, cap. 4. Flagellare divitias, et flagellare annonam dicuntur, qui magnas arcis clausas opes tenent, et horreis fruges: quod in vitas velut verberibus et carceribus

coercitas erumpere foras non sinant. Vide lib. V, epigr. XIII; lib. I, epigr. XVIII, et lib. III, epigr. XL. Papinius Silvar. lib. II: « Non tibi sepositas infelix strangulat arca Divitias. » — Dicitur *arca*, ait Ramiresius, flagellare opes, quando inferiori parte omnino plena et pæne cumulata, superiores postes, qui arcam claudunt, pecuniam ipsam tangunt et premunt. — Farnabius intelligit: cujus arca mota resonat laxis nummis, tanquam flagelli verberere.

5. *Si causas egeris*. Hoc consilium dabat Nostro Titus lib. I, epigr. XVIII; dabat Noster Flacco, lib. I, epigr. LXXVII. ED. — *Non peto consilium*. Minime diversa profertur narratiuncula de quodam Hispano nobili, at omnium egeno, qui vitam mendicando sustentabat. Quum ei quidam, a quo nummulos efflagitabat, turpe vitæ genus exprobraret, quod ut mutaret honestiori suadebat, superbiens respondit, « Te rogo stipem, non consilium. » ED.

## XXXI.

AD MARIANUM.

SÆPE ego Chrestillam futui. Det quam bene, quæris?  
Supra quod fieri nil, Mariane, potest.

1. *Sæpe ego Christinam f. det q. bene* in edd. vett. cum Junt. anno 1510, et Colin. anno 1528. Pulmannus, Junius, Langius, Ramiresius, etc. legunt etiam *Christinam*, quod testatur Calderini codex antiquus.

2. *Supra quod, etc.* Hæc verba in communi sermone significant: Id quo nihil melius esse potest. Sed in eorum ambiguitate ludit Noster. Intellige tam libidinose et nequiter dare Chrestillam, ut qui eam faciat, a coitu nequeat abstinere, quin de-

fatigatus sit, effæto prorsus et enervato corpore. Robertus Titius vult Chrestillam esse fellatricem, quod omnino ex verbo *futui* negat Ramiresius, hunc locum aliter explicans his verbis: Significavit nempe Poeta, ex ambiguo ita male dare Christinam, ut supra, id est, iterum facere non possis. Ita ut si semel eam facias, non possis iterum. Verbum *Sæpe* repugnat huic sententiæ. — *Fieri.* Dare, facere et fieri turpicula verba sunt. Lib. I, epigr. XLVII.

## XXXII.

IN PONTICUM, PATRONUM INUTILEM. \*

LIS mihi cum Balbo est; tu Balbum offendere non vis,

\* Huic Maximo (de quo epigr. XVIII supra) similem Ponticum carpit, qui ab aliis coli volebat, quam ipse potentes ambitiose coleret; quos ne offenderet, operam suam petenti recusat Martiali, in lite cum Balbo et Licino, actione finium regundorum cum Patroba, causa plagii cum Laronia. Servilis igitur patroni se clientem Martialis renunciat iratus. Ed.

1. *Lis mihi cum Balbo est* cod. Junii; et sic edd. antiquiss. cum Ald. Junt. et Colin. *est* tamen deest in edd. Calderini et Gryph. — *Balbo.* Non omnino usus est Poeta nominibus fictis, ut professus est epistola lib. I. De Licino, Persius, Sat. II. Patrobii cujusdam liberti Neronis mentionem facit Suetonius in Galba, capite 20. Laroniæ vero meminit Juvenalis Sat. II, cujus

Pontice : cum Licino est; hic quoque magnus homo est.  
 Vexat sæpe meum Patrobas confinis agellum :  
 Contra libertum Cæsaris ire times.  
 Abnegat et retinet nostrum Laronia servum :  
 Respondes , Orba est , dives , anus , vidua.  
 Non bene , crede mihi , servo servitur amico.  
 Sit liber , dominus qui volet esse meus.

orbæ hæreditatem quum captaret Ponticus , in eam dicere volebat.

2. *Pontice , cum Lucino ; hic quoque*, etc. sic Junt. 1512, Colin. 1528, Gryph. atque Pulmann. — *Magnus Nobilis*, ideo non offendendus.

3. *Versat* Junt. nostra in marg. *Verso* et *vexo* sæpius permutata. Vide Propert. III, 2, 1; III, 17, 12; Ovid. epist. XII, 211; Val. Max. V, 1, 10; Hor. II, epist. 2, 90; Burm. ad Ovid. Am. II, 2, 29; Græv. ad Cic. de Amic. 26, et Cort. ad Sall. Jug. cap. 14. *Protas confinius* Beverl. MS. — *Vexat*. Terminos emovet, ac revellere cupit.

4. *Contra ire*. Mihi adesse, in jus Patrobam vocaturo.

5. *Laronia* Pulmannus; *Latronia* Beverlandi MS.

6. *Orba est*. De hæredipetis divitum viduarum assiduis adulato-ribus, multis in locis apud Martialem mentio. Vid. potissimum lib. IV, epigr. lvi. Ed.

7. *Non bene*. Epigr. xviii supra: « Esse sat est servum : jam nolo vicarius esse. » Ergo deinceps Ponticum colere non vult Poeta.

8. *Sit liber*, etc. *Perii*, inquit illa apud Comicum, *huic ipsi opus patrono est*, quem defensorem pæro!

## XXXIII.

IN PHILÆNIM.

CUR non basio te, Philæni? calva es.  
 Cur non basio te, Philæni? rufa es.  
 Cur non basio te, Philæni? lusca es.  
 Te qui basiat, hic, Philæni, fellat.

1. *Cur non basio te*. Caput enim tuum (calvum, rufum, luscum), Priapi speciem præ se fert: inde non basiatio, at fellatio. Vide lib.

IX, epigr. xxxviii, vs. 10. *Ramires*.

4. *Te qui basiat, o Phileni* Ald. Junt. et Colin. *Hæc qui basiat, o Phileni* legit Gruterus.

## XXXIV.

IN GALLAM ANUM LUXURIOSAM. \*

QUUM placeat Phileros, tota tibi dote redemptus,  
 Tres pateris natos, Galla, perire fame.  
 Præstatur cano tanta indulgentia cunno,  
 Quem nec casta potest jam decuisse Venus.  
 Perpetuam Di te faciant Philerotis amicam,  
 O mater, qua nec Pontia deterior.

\* Gallam vetulam hic insectatur quæ tota sua dote Phileron ex servitute redemerat, vel conduxerat ejus operas, et cum eo consuetudinem habebat, patiebaturque tres natos suos ex defuncto marito fame perire.

2. *Galla*. Tam vetula erat, ut nec jam de nuptiis legitimis cogitare debuerit, omnino liberorum procreandorum spe amissa: attamen tanta libidine ardebat, ut in suum mæchum omne patrimonium effunderet; sic ergo sibi decrepitæ nimium indulgebat.

5. *Perpetuam*, etc. Id est, utinam moriaris! Sic intelligit hunc locum *Ramiresius*: Quæ junctæ matrimonio moriuntur, semper nominantur uxores eorum quorum fuerant tempore mortis; quæ forte si vixissent diutius, potuissent a viris repudiari, et uxores esse desivissent.

Sic ista Galla, nisi brevi moriatur, poterit non amica esse perpetua Philerotis, jurgiis et ira ad discesum intervenientibus. — Forte veneficus erat Phileros, ille uxorum suarum elator, de quo mentio lib. X, epigr. XLIII: « Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro: Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager. »

6. Ed. Schrevel. exhibet, quia nec, forte ex incuria typothetarum. *Pontica* margini adscriptum habet Juntina nostra, i. e. *Pontica* mater, sive Medea: hanc lectionem firmant membranæ Arondel. et codd. bibliothecæ Leidensis. — *Pontia deterior*. Juven. Sat. VI, 638: « Sed clamat Pontia, Feci, Confiteor, puerisque meis aconita paravi. » Legunt alii *Pontica*, et Medeam interpretantur, quæ suos liberos crudeliter necavit.

## XXXV.

AD PHOEBUM, VARUM.

QUUM sint crura tibi, simulent quæ cornua lunæ,  
In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

1. *Quum sint pura* Junt. 1512, et Colin. 1528, quod correctum est in Juntina nostra.

2. *In rhytio poteras* in iisdem edd. et corr. in nostra *poteras* ab antiq. manu. *Imbritio poteras* legendum putat Perotus; *In rhidio poteras* Domitius Calderinus. *In Brythio* codex Thuan. ῥυτίον in epigr. ap. Salm. in Solin. p. 638; item Heronem in *Spiritualib.* Ulpianum in Demosth. p. 679. Brythii figuram habes in Part. 2. *Antiquitat.* Alex. Petavii. Attamen quum Thuan. cæterique codd. habeant *Brythio*, forte hic locum habet ῥυτίων, de quo Aretæus, p. 14, 112. ῥύτιον Æoles. — *Phæbe*. Cornibus lunæ similia

crura habebat Phœbus, seu varus erat, diductis nempe poplitibus, plantis vero coeuntibus: itaque dicit Poeta posse Phœbum in rhytio lavari: ῥυτίον *rhytum*, poculi genus de quo solis heroibus uti fas erat, teste Theophrasto; etiam poculi genus ab angusto fundo in latum surgens, instar cornu, seu literæ Y, sed perforatum, ex quo tenuissime profluente vino inferne bibitur. *Rhytium* vero est diminutivum. Cornu enim vari cruribus quasi aptissima vagina videtur. De Rhyto agit Athenæus, lib. X, cap. 13; et lib. XI, cap. 1, 5, et 26. Forsan est quoque ludus in verbo *Phæbe*.

## XXXVI.

AD PANNICUM.\*

FLECTERE te nolim, sed nec turbare capillos.

\* Carpit Pannicum quemdam, ut mollem virum, qui nimium vir videri volebat, turbatis capillis, horrida barba, sordida cute, cruribus et pectore setosis: ad hortaturque, ut medium servet inter nimiam elegantiam nimiamque rusticitatem. ED.

1. Alii *pectere*. *Flectere te nolim* legendum censent Gruterus et Guilielmus; quod malit etiam *Ramires*, et in textum recepit *Barbou*, Par. 1754. At vide var. not. — *Flectere*, etc. Capillos flectere, id est, calamistris et candenti ferro vibrare in orbem (gallice *friser*),

Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.  
 Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.  
 Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.  
 Sunt tibi crura pilis, et sunt tibi pectora setis  
 Horrida : sed mens est, Pannice, vulsa tibi.

5

mos muliebris est qui virum dedecet : eosdem turbare, aliud est extremum, quod aliquid habet feri et rustici. ED.

2. *Splendida*. Unguentis, fucis, etc.... — *Sordida*. « Est modus in rebus, sunt certi denique fines. »

3. *Mitrarum*. Mitras gestantium. De quibus autem loquatur Martialis, non clare patet. An de Phrygiis (vid. Virg. lib. IV, v. 216; et lib. IX, v. 616), qui summo cultu barbam nutriebant? An de mollioribus Romanis qui mitra deliciarum causa utebantur, et barbam ad speculum eleganter componebant? An etiam de matronis, qui mitras ferebant? ita ut *barba mitrarum* hic significet barba tam accurate depilata, ut nulla sit, et mentum depilantis quasi muliebre videatur? Sensus videtur: ne barbam omnino reseces, ita ut feminæ similis fias: vel ne elegantius barbam componas, ut solent homines effeminati. Judicet lector. ED. — *Barba reorum*. Qui barbam promissam et squalidam alebant, ut commiserationem excitarent.

4. *Virum nimium*. Horridum et pilosum; sed volo teneas medium. Ovidius, Art. Am. lib. I: « Forma viros neglecta decet. » — *Nolo parum*. Parum viri dicebantur effeminati.

5. *Nunc tibi crura* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. Lang. Ramires. Junian. Delph. Farnab. etc. *Sunt tibi* in textu habet Schrevel. et in notis *Nunc tibi*. *Barbou* habet etiam, *Sunt tibi*. — *Nunc tibi*, etc. *Hispida membra quidem*, etc. Juven. Sat. II, vs. 10. — *Setis*. Pilis grandioribus. — *Mollium* erat crura depilare, cæterasque etiam corporis partes. Vid. lib. V, epigr. LXI, v. 6; lib. X, epigr. LXV, v. 9; lib. XII, epigr. XXXVIII, v. 4, etc.

6. Pro *vulsa* sunt qui legant *volsa*. — *Mens vulsa*. Metaphora est: mens enim neque hirsuta, neque vulsa est; at menti tribuit quod effeminato corpori convenit. Non præcipuum est, ut te virum præstes habitu corporis, quod neque horrere oportet nimia rusticitate; sed potius animo forti et moribus generosis. ED.

## XXXVII.

IN RAPTOREM COENÆ CÆCILIANUM.\*

QUIDQUID ponitur hinc et inde, verris :  
 Mammās suminis, imbricemque porci,  
 Communemque duobus attagenam,  
 Mullum dimidium, lupumque totum,  
 Murænæque latus, femurque pulli,  
 Stillantemque alica sua palumbum.  
 Hæc quum condita sunt madente mappa,

5

\* Hoc epigramma inscribitur in Thuan. *In Cæcilianum cœnippetam*. In plerisque tantum legitur : *In Cæcilianum*. Reliqua adjecimus. ED.

1. *Verris*. Ita rapis, ut nihil restet; qui solum verrit, nihil in ejus superficie relinquit. — E more romano licebat convivis, rogata convivoris venia, aliquid appositorum secum auferre, vel domum mittere. Hoc more gulose abutentem, et quidquid in mensa apponebatur corradentem carpit Martialis Cæcilianum. ED.

2. *Mammās suminis*. Sumen (quasi sugimen), delicatum apud Romanos ferculum, erat venter cum papillis porcæ ab edito fœtu occisæ; quo magis lacteum erat, eo magis commendabatur. Vide lib. XIII, epigramm. XLIV. Pers. Sat. I, vs. 50, etc. etc. — *Imbricem*. Quum sit proprie imbrex tegula curva cujus formam imitatur vertebra in summo tergo pecudis, imbricem porci (gallice *l'échine*); alii interpretantur vertebram demptis costis; alii vero auriculam. Brodæus vult esse

imum ventrem curvum et repandum; ilia vero ipsum sumen.

3. *Communemque duobus*. Tibi et vicino tuo appositam, tibi abripis soli. — *Attagenam*. Nobis nunc ignotam avem, exquisiti saporis, ut apparet ex lib. XIII, epigr. LXI.

4. *Mullum*. Piscem nobilem. Gallice *barbeau*. — *Lupum*. *Loup marin*.

5. *Murænæque latus*. Gallice *Lamproie*. — *Femurque pulli*. Optima pulli pars femur et ala.

6. *Stillantem halyca* Beverlandi MS. — *Alica*. Alica genus est tritici præstantissimi, quo saginabantur palumbi; vel liquor quidam ex zea factus (*espèce de bière*). Hic sumitur pro condimento ex alica confecto, quo perfusus erat palumbus. — *Sua*. Qua vulgo fartus erat; vel qua nutritus.

7. *Hæc quum*. Solebant Romani ad convivia mappas ferre, et præcipue ii qui, rogato convivii rege, quosdam cibos ferre domum volebant. Lib. VII, epigr. xx; et lib. XII, epigr. xxix. — *Madente mappa*. A pinguedine dapum sordebant in-



Traduntur puero domum ferenda.

Nos accumbimus otiosa turba.

Ullus si pudor est, repone cœnam :

Cras te, Cæciliane, non vocavi.

10

fectæ mappæ et condimentis, vel vapore calidorum ciborum.

9. *Otiosa turba.* Collectivum nomen jungitur numero plurali : hoc est, accumbimus otiosi, nihil habentes in quo dentes exerceamus.

11. Ed. antiq. Ferrar. ann. 1471.

Venet. Ald. Junt. et Colin. *vocavi.*

Pulmannus alique *vocabo.* Verum

Domitius Calderinus et Heraldus

bene monent legendum *vocavi*; id est, cœnam paravi, ut edas hic, non ut serves in crastinum. — *Non vocavi.* Solœcismus est, sed argutissimus; *cras non vocavi*, nimirum non in crastinum, sed hodiernum diem te invitavi; cœnam igitur hodie sume de meo, et domi meæ appositam; non cras et domi tuæ reservatam.

## XXXVIII.

IN LINUM.\*

QUID mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus?

Hoc mihi reddit ager : te, Line, non video.

\* In hujus epigrammatis lectione haud variant libri manuscripti aut typis impressi.

1. *Nomentanus.* Est urbs Latii Nomentanum, hodie *Lamentana.*

2. *Non video.* Ut fugeret Linum sibi importunum (*fâcheux*), aut invisum, secedebat Poeta in agrum, qui, alioquin macer et sterilis, satis tamen commodi præstabat, quod ipsi Lini conspectum auferret. Vid.

lib. VII, epigramma xcv, in Linum quemdam, forte eundem. — Non libenter putem Poetam urbem reliquisse et in agrum secessisse, eo consilio ut importunum vitaret : ab homine pergravi se expediendi hæc ultima sane erat ratio : credam simpliciter hoc illi placere agrum, quod ab incursu viri in urbe degentis et odiosi ipsum omnino tutum præstaret. ED.

## XXXIX.

DE MUNERIBUS AD MOECHAM MISSIS. \*

COCCINA famosæ donas et ianthina mœchæ.  
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

\* Vestes sibi mutuo mittere divitibus Romanis in usu erat præcipue in diebus festis, ut Saturnalibus. Sed cur tu vestimenta purpurea et violacea adulteræ? magis illi conveniret toga missa. Meretrices autem ut et adulterii convictæ, in publicum togatæ prodibant, ut dignoscerentur a castis matronis stolatis.

1. Heins. ad Ovid. epist. IX, 78, *hianthina*; Schrevel. in ed. prima, ut et Farnabius, *janthina*. — *Coccina*. Vestes cocco infectas. Coccus est granum quo utuntur ad purpuram ardenti et roseo colore, quem Galli vocant *écarlate*, tingendam.

— *Ianthina*, de quibus mentio fit lib. I, epigr. LIV, 5, sunt vestes e purpura violacei coloris; ab ἰάν, *viola*, et ἄθος, *flos*, dictæ.

2. *Mitte togam*. Matronarum stola, meretricum vero et adulterarum deprehensarum toga erat propria. Lib. X, epigr. LII: « Thelin viderat in toga spadonem, Damnatam Numa dixit esse mœcham. » Juvenalis, Sat. II: « Est mœcha Fabulla: Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem Non sumet damnata togam. » Vide quoque lib. I, epigr. xxxvi, v. 8; et Turneb. lib. XVI, cap. 19.

## XL.

DE TONGILIO MORBUM SIMULANTE. \*

URI Tongilius male dicitur hemitritæo.  
Novi hominis mores: esurit, atque sitit.

\* In *Tongilium gulosum* lemma est in Beverlandi MS.

— Novum artificium, febremque ingeniosam Tongilii deridet, heluonis sagacissimi, se morbo laborantem simulantis, ut protinus ad se mitterentur ab amicis pisces eximii, aves exquisitæ, vina optima, quæ in lucrum et delicias suæ men-

sæ verteret, gula potius quam febre laborans. Vide ejusdem argumenti epigramma LXXXVII, lib. XI. ED.

1. *Tongilius*. De Tongilio vel Tongillo quodam paupere mentio apud Juvenalem, Sat. VII. — *Hemitritæo*. Febri semitertiana.

2. *Novi hominis fraudes*, in quibusdam. — *Novi hominis mores*. Non

Subdola tenduntur crassis modo retia turdis :  
 Hamus et in mullum mittitur atque lupum.  
 Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi :  
 Condantur parco fusca Falerna vitro.  
 Omnes Tongilium medici jussere lavari.  
 O stulti, febrem creditis esse! gula est.

me deludit; simulat male se habere, ut bene ejus mensa se habeat. ED.

3. Beverlandi MS. *nunc retia turdis*; quod citat etiam Pulmanus. Edd. vett. habent: *modo retia turdis*. — *Subdola*, etc. Morbi simulatione utitur, quasi reti, quo delicias avium, quasi hamo, quo delicias piscium captet et ad se trahat: haud ita insulsum venandi et piscandi genus! ED. — *Crassis modo*. Hoc novo enim venandi et piscandi genere, crassos tantum in retibus habet turdos, nobilesque tantum pisces hamo extrahit; quum autem, si vera retia tenderet, verosque jaceret hamos, non talis esset avium vel piscium delectus. ED.

5. Hadrianus Turnebus, lib. XVII, cap. 18, et lib. XXIII, cap. 24, e veteri codice legit, *saccentur*. Vide lib. XII, epigr. LXI. Beverlandi MS. habet, *sincentur*; edd. vett. omnes, *siccentur*. Beverlandi MS. *Opimus*. Colin. ed. anno 1528, *Opimii*. — *Cæcuba saccentur*. Eia, agite, amici Tongilii! prope rate vina quoque generosissima ei mittere! ED. — *Cæcuba*. Cæcubum vel Cæcubus, mons et ager est in Latio, vini optimi fertilis, prope Fundos et Amyclas urbes ad sinum Caietanum. Mons ille vocatur nunc: *Monte di Gaieta*. — *Saccentur quæque*. Defæcentur, liquentur, colo transmittantur. Sic, lib. XII, epigr.

LXI. *Turbida sollicito transmittere cæcuba sacco*. Poeta enim hic agit de Tongilio febrim simulante, huic autem vinum saccatum aptius illo, cui sacculus nihil dempsit. Itaque duplicem a poeta Tongilii gulam perstringi, unam vinum adpetentem; alteram non cuicumodi vinum, sed saccatum, quod summarum deliciarum est. Quumque Poeta sacci et parci vitri mentionem facit, decorum servat in persona simulante febrim. *Musambert*. — *Annus Opimi*. Id est, vinum Opimianum; eo enim anno quo L. Opimius consulatum gessit, fuit temperies cæli ad vini maturitatem aptissima. Vid. lib. I, epigr. xxvii, et lib. XIII, epigr. cxiii: de Falerno, lib. XIII, epigramm. III.

6. Beverlandi MS. *fusa Falerna*; et sic Juntina nostra in marg. — *Parco vitro*. Exiguo calice propinetur illi, quod quum esset generosissimum, modice sumptum vel bibaci, et a fortiori ægrotanti sufficiebat; forsitan parco dicitur ex persona fallacis Tongilii extenuantis petitionem. — *Falerna*. Falernus mons et ager Campaniæ inter Calenum et Sinuessam, vini generosi ferax.

7. *Lavari*. Remedium et medicamentum priscis usitatum in febribus; nobis satis præposterum et periculosum.

## XLI.

IN MAXIMINAM. \*

RIDE, si sapis, o puella, ride,  
 Pelignus, puto, dixerat Poeta :  
 Sed non dixerat omnibus puellis.  
 Verum ut dixerit omnibus puellis,  
 Non dixit tibi; tu puella non es : 5  
 Et tres sunt tibi, Maximina, dentes,  
 Sed plane piceique, buxeique.  
 Quare si speculo mihique credis,  
 Debes non aliter timere risum,  
 Quam ventum Spanius, manumque Priscus : 10

\* Maximinam vetulam et pæne edentulam monet ne in risu ita solvatur, ut oris deformitatem prodatur : sed potius seriis et luctuosis rebus intersit, ne risus quædam interveniat occasio.

1. *Ride, si sapis.* Ordo est : Pelignus vates (Ovidius nimirum natus Sulmone, quæ est urbs Pelignorum in Italia), dixerat, opinor, alicubi, et monuerat puellas, ut, si placere vellent, modesto se risu commendarent, vultum hilarem præ se ferentes; risus enim juventutem dentatam maxime decet.

2. *Pelignus poeta.* Ovidius. Peligni populi Italiæ, hodie *Valva*, Ovidii patria. Domitius putat Martialem alludere ad quosdam versus de Arte Amandi, qualis est iste lib. III : « Spectantem specta : ridenti mollia ride. » Alii putant Ovidii versum esse integrum petatum ex Medea. : Angelus vero Politia-

nus esse ex epigrammatibus Ovidii, non ex Medea; nam quorsum Phaleucium in tragœdia aut Medea? Ab Angelo Politiano stare placet. Hæc ex Radero.

3. *Sed non dixerat.* Quæ enim nigros dentes habent, aut edentulæ sunt, ridere non debent.

4. *Verum ut dixerit* in edd. vett. *Quamvis dixerit* Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Pulmann. etc.

7. *Sed.* De hac particula vide quæ adnotavimus ad v. 7, epigr. cxviii, lib. I. — *Picei.* Nigri et subpallidi. — *Buxei.* Flavi, buxei coloris.

10. *Quam ventum Panius* Beverlandi MS. Quum e codice Vientiensi afferat Gruterus, *Quam ventum vacuus* pro edentulo, et *lippus* pro *Priscus*, P. Scriverius legendum suspicatur ita versum : *Quam ventum vatius* (sive *vatia*), *manumve lippus*; qui ægre incedit propter

Quam cretata timet Fabulla nimbum,  
 Cerussata timet Sabella solem.  
 Vultus indue tu magis severos,  
 Quam conjux Priami, nurusque major.  
 Mimos ridiculi Philistionis,

15

crurum distortorum informe vitium. — *Ventum Spanius*. Spanius erat homo delicatus qui comam ita diligenter pectebat flectebatque, ut vix in publicum prodire auderet, ne cirros ventus turbaret ac disjiceret. — Forte Spanius calvus erat, et calvam diductis ad frontem capillis tegebat; et ne flante vento redirent ad suum locum capilli, vento se non exponebat. Vid. lib. X, epigr. LXXXIII. — *Manumque Priscus*. Homo elegans ac delicatus, politioribus utens vestibibus, et aliorum vitans contactus, ne earum plicæ turbentur (vid. lib. III, epigramm. LXIII). Sic fuit Hortensius orator, qui vestem suam putide compositam adeo timebat ne quis confunderet, ut nescio quem a quo ipsius vestis durius fuerat atrectata, in jus vocaverit. — Vel forte Priscus gypso cretave manus suas dealbaverat; quod artificium ne proderetur, manuum presentationem a Veteribus usitatam vitabat diligenter.

11. Pro Fabulla in Beverlandi MS. *tabula* — *Cretata Fabulla*. Plin. lib. XXXV, cap. 17, cretæ plura genera enumerat. Alia, inquit, creta argentaria appellatur, nitorem argento reddens; qua sane utebatur Fabulla, quæ timebat pluviam, ne fucus ille madidus diffunderet.

12. *Cerussata timet tabella* Beverlandi MS. — *Solem*. Ne a sole ca-

lefacta cerussa, faciem torreat. — Cerussa genus est pigmenti quo illinitur vultus ad candorem conciliandum, et calore solis liquefit. De hoc pigmento, Plinius, libro citato.

13. *Vultus finge tuos ex Pulmanni* editione affert Langius. — *Vultus induito* Schrevelius.

14. *Conjux Priami*. Quam mæsto et severo vultu introducunt Poetæ. — *Nurus major*. Andromache Hectoris uxor, quæ major nurus erat, quum nupsisset Hectori primogenito Priami ex Hecuba; minor vero nurus Helena Paridis adultera. Gravibus ærumnis vexata, et in perpetuo luctu vitam trahens Andromache, vultus habuit severos, Maximinæ imitandos.

15. *Mimos*. Poemata turpicula, ad risum excitandum composita, in quibus potissimum histriones hominum gestus scurriliter imitantur. Diomedes, lib. III: « Mimus est sermo cujuslibet motus sine reverentia, vel factorum lasciva imitatio. » Ovid. Trist. II, 497 et 515: « Scribere si fas est imitantem turpia mimos, Quid si scripsisses mimos obscæna jocantes? » — *Ridiculi Philistionis*. Philistio comicus, de quo mentio apud Euseb. Sidon. Apoll. Suid. et multos alios, quum ipse daret mimum, qui φιλόγελων (risus amans), inscriptus est, risu interiit, Socratis tempore.

Et convivia nequiora vita,  
 Et quidquid lepida procacitate  
 Laxat perspicuo labella risu.  
 Te mœstæ decet assidere matri,  
 Lugentique virum, piumque fratrem,  
 Et tantum tragicis vacare Musis.  
 At tu, iudicium secuta nostrum,  
 Plora, si sapis, o puella, plora.

16. *Nequiora*. Solutiora; in quibus scurræ, moriones, sarmiones, etc.

18. *Laxat perspicuo* in Beverl.—*Perspicuo*. Per hypallagen. Risus perspicuus est risus qui perpetuos sinit apparere dentes. Ed.

19. *Assidere*. Potest hic versus exponi simpliciter: Te decet cum vetula matre domi te continere, et in eorum versari tantum cœtibus qui lugent ereptos sibi fratrem, virum, etc. — Vel: Te decet in theatro assidere Hecubæ mœstæ, Andromache Hectorem maritum lugenti, et Electræ Orestem fratrem deflenti, quum de illis vel de Niobe, etc. fabula agitur. Assidere autem dixit, quod sederent antiqui dum mortuos lugerent. Tibullus, lib. II, elegia 7: « Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo, Et mea cum muto fata querar cinere. »

20. *Piumque*. In patrem nempe

Agamemnonem, cuius mortem ultus est occisa sua matre Clytemnestra; vel in Pyladem, pro quo mori cupiebat.

21. *Tragicis vacare musis*. Quæ nullam risui præbere possunt occasionem. Ed.

23. *O puella*. Primum epigrammatis versum lepide invertit et ridicule anum vocat puellam, quum aliter ipse dixerit, v. 5. — *Plora*. Hæc per oppositionem cum præcepto Ovidiano: non tamen inter se discrepant ipso instituto. Pellignus poeta, ut et hic Martialis Maximinam, puellas docet, quo modo quæque possit et debeat vitium naturæ arte dissimulare, ut omnia occasio qua detegi possit, vitetur, et contra lepores et decorem quemlibet effuse expromere: at hinc misera Maximinæ conditio; quæ nihil habet, quo possit placere, at cavere debet, ne turpi deformitate oculos offendat. Ed.

## XLII.

IN ZOILUM.

ZOILE, quid solium subluto podice perdis?  
Spurcius ut fiat, Zoile, merge caput.

1. Barthius in codice quodam legit *pardis*; unde conjicit haud inepte: *quid solio sublato podice parcis?* Conf. lib. XI, epigr. xcvi. — Solium erat vas in quo vulgo pedes lavabantur, aqua usque ad genua pertingente. Interdum autem in solium genibus flexis proni se demittebant Veteres inguina vel ventrem lavaturi; ut patet ex hoc loco Cornelii Celsi: « Interpositis duabus oris in solium aquæ calidæ resupinus dimittendus est (æger quidam), sic ut a genibus ad umbilicum aqua pertingat. » Solium, quod primo fuerat ligneum, deinde gliscente luxuria argenteum, sic appellari putat Ramiresius a similitu-

dine solii regii quod erat vas amplo et lato ore. — Alii intelligunt solium, vas quo in balneis mulieres utebantur, et in quo sedentes lavabantur. Suetonius in Augusto, cap. 82: « Contentus hoc erat, ut insidens ligneo solio, quod ipse hispanico verbo duretam vocabat, manus ad pedes alternis jactaret. » Lib. VI, epigr. lxxxı, et lib. XI, epigr. xcvi. Plinius, lib. XXXIII, cap. 12.

2. *Merge caput.* Quod quum obscœnum sit, magis fœdabit solium quam si utaris hoc vase ad subluendum vel podicem. Zoilum fellatorem vel cunnilingum, vel utrumque putat fuisse Ramiresius.

## XLIII.

IN CANDIDUM.\*

CANDIDE, κοινὰ φίλων, hæc sunt tua, Candide, πάντα,  
Quæ tu magniloquus nocte dieque sonas.

\* Eundem Candidum, quem supra, epigr. xxiv, cavillatus est, amicitiae loquendo simulatorem, nunquam agendo exhibitorem, nunc et taxat urbanissime, lepida inducta comparatione inter paupe-

rem suum cultum, et ambitiosam Candidi luxuriam, suas sibi soli delicias reservantis, et amicis verba tantum largientis. ED.

1. *Candide κοινὰ φίλων* Junt. ann. 1512; sed in Colin. ann. 1528,

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso,  
 Vel quam seposito de grege Parma dedit.  
 At me, quæ passa est furias et cornua tauri,  
 Noluerit dici quam pila prima suam.  
 Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas :

5

vacuum relinquitur spatium. Pulmannus e suo codice affert : Κοινὰ φίλων hæc sunt tua semper, *Candide*, κοινά. Alia lectio est : Κοινὰ φίλων hæc sunt, hæc sunt tua, *Candide*, κοινά. et hanc reposuit ed. Par. ann. 1754; hæc sunt tua, *Candide*, cæna Beverlandi MS. hæc sunt tua, *Candide*, verba malit Schrevelius. — Κοινὰ φίλων πάντα. *Communia amicorum omnia*, præceptum a Socrate vel Pythagora desumptum, quod gallice traduci posset hoc adagio : *Le tout ne vaut pas la moitié.* ED. — *Hæc sunt tua.* Subaudi verba. Vel forsán ludit Noster in ambiguitate verbi πάντα quod ad κοινά simul et ad tua refert; hæc sunt tua πάντα, tua omnia, tui omnes sermones. ED.

3. *Te Lacedæmonio*, etc. Incedis insignis toga confecta ex nobili vellere ovium quæ lavantur pascunturque in ripis fluvii Galesi, qui Tarentum alluit a Laconibus, duce Phalanto, conditum vel auctum : fluvio Galeso, ad ovium lanam tingendam plurimum valenti eadem natura quæ Bæti et Clitumno. *Juven.* Sat. XII, vs. 13 et 41. ED.

4. In marg. ed. Lut. Par. 1617 fol. « In manuscripto lectio est ambigua mihi, propter implicitum litterarum tractum, *Creta*, an *Acerra* legendum sit. *Creta* ovium ferax fuit, et *Acerra* oppidum Campaniæ Glani amne notum. » — *Parma.*

Urbs Italiæ nota, ad Padum, in Gallia Cispadana, caseo et vellerebus inclyta. *Lib. XIV*, epigr. CLV : « Velleribus primis Apulia, Parma secundis. »

5. Codex Bodleianus exhibet : *furiosi cornua tauri*; quam lectionem testantur etiam edd. vett. Ald. Junt. Colin et Gryph. — *At me*, etc. Ordo est : Te velat toga Tarentina vel Parmensis; misella autem me velat toga, quam pila, primum integrumque recentis tauri impetum passa, se judicet viliozem indigniorremque; id est, cujus pannus pauperculus tritior laceratiorque est, quam ut videatur esse pilæ pannus, a feroci bellua licet tritus et laceratus, et per se jam vilis. ED.

6. *Pila prima.* De pilis quæ trita et lacera veste induebantur, ut tauris objicerentur, dictum est *lib. Spect. epigr. IX, XIX, et XXII.* Dicitur prima, quia ordine disponebantur illæ pilæ, humanæ scilicet effigies vilissimis pannis indutæ: prima autem erat, quæ primum taurorum impetum patiebatur. *Vid. lib. X*, epigr. LXXXVI. Erant quoque pilæ effigies humanæ, quæ in compitis ponebantur diis inferis votivæ; quot erant in familia quadam capita, tot pilæ suspendebantur, in quas dii inferi iram vertentes suam, vivis parcerent. ED.

7. *Agenoreas Cadmi tibi terra.* Fuit Cadmus filius Agenoris, regis



Non vendes nummis coccina nostra tribus.  
 Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes :  
 Fulcitur testa fagina mensa mihi.  
 Immodici tibi flava tegunt chrysendeta nulli :  
 Concolor in nostra, cammare, lance rubes.  
 Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo :

10

Tyri ubi purpura inventa. Cadmus autem in Bœotia, ubi Thebas condidit, non in Phœnicia, regnavit. ED.

8. *Coccina nostra.* Martialis mens intelligatur e Juven. Sat. III, vs. 204 : « Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex, Ornamentum abaci : nec non et parvulus infra Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron. » Quemadmodum *marmor* in his versibus pro ligno abaci sumitur, ita *coccina* pro vilibus pannis minime coccineis. — *De coccina* vid. epigr. XXIX, v. 8, et XXXIX, v. 1.

9. *Libycos orbes.* Periphrasis mensarum, quæ fiebant e citro, quo abundat Atlas mons Libyæ. Lib. XIV, epigr. LXXXIX et XCI. Vide Plin. lib. XIII, cap. 15. — *Suspendis.* Quæ fulta sunt, latine pendere dicuntur; vid. lib. Spect. epigramm. I, v. 5. — *Indis dentibus.* Hoc est, pedibus eburneis. Juven. Sat. XI, 121 : « Latos nisi sustinet orbes Grande ebur. » Nempe ex dentibus elephantorum, quibus abundat India, Virgilius, Georg. I : « India mittit ebur, molles sua thura Sabæi. »

10. *Fulcitur terra* in Juntinæ nostræ marg. mendose; male enim interpretantur τὸ *testa*, nonnulli ex Ovidio, Met. VIII : « Mensæ sed erat pes tertius impar : Testa parrem fecit. » Calderinus aliique aiunt

fictiles fuisse pedes. — *Fulcitur testa.* Mensa pauperum inæqualis claudicat. Vid. lib. I, epigr. LVI, v. 11. ED.

11. *Immodici..... tegunt..... nulli.* Vocabulo *immodici* mira opulentiae amplificatio continetur, nam nulli bilibres magno in pretio erant propterea quod id pondus raro excedebant. Mullum sex millibus emerat Crispinus, teste Juvenale, octo millibus Asinius Celer, teste Plinio, lib. IX, cap. 17. — *Tegunt.* Adeo magni, ut lances quæ vocantur chrysendeta impleant. — *Chrysendeta.* Turnebus, lib. XIV, cap. 3. Chrysendeta vasa doctissimi viri explicant crustis aureis illigata et exornata; ut in Martiale, lib. II, epigr. XLIII. Ego vasa gemmata esse puto, quorum gemmæ consertæ et contextæ auro tenerentur (χρυσός, *aurum*; ἐνδέω, *illigo*). — *Mulli.* Gallice, *barbeaux*.

12. *Gammare* in Junt. — *Cammare.* Vilissimus ex cancrorum specie piscis *cammærus*, qui gallice *crabe*, fictilis suæ lancis rubrum colorem referebat.

13. *Grex tuus.* Pueri tui de elegantia et venustate cum Ganymede disputare possunt. In Ida monte fuit Trois filius Ganymedes ad cælum raptus ab aquila Jovis, vel a Jove in Aquilam converso, cui servus a mensa dictus est.

At mihi succurrit pro Ganymede manus.  
 Ex opibus tantis veteri fidoque sodali 15  
 Das nihil, et dicis, Candide, κοινὰ φίλων?

14. *At mihi.* Ego vero mihi ipsi servio: alii aliter explicant ex lib. IX, epigr. XLII; et lib. XI, epigramm. LXXIV.

15. *Veteri fidoque.* His verbis gravius avaritiam Candidi increpat; nobile effatum ipsius probro ei vertens. ED.

## XLIV.

IN SEXTUM.\*

EMI seu puerum, togamve pexam,  
 Seu tres, ut puto, quatuorve libras;

\* Sordidam exprimit avaritiam Sexti, qui novam artem excogitaverat, scilicet argentum negandi antequam peteretur. ED.

1. *Pexam.* Recentem et villosam. Pexæ enim vestes sunt quæ multo flocco opertæ sunt, eoque pexo et polito, arte fullonis. Ut ergo pecten nihil ad calvum; sic defloccatæ et usu detritæ vestes nihil opus habent pectine fullonis. Inde *pexæ* opponuntur tritis, id est, novæ obsoletis. Sic Martial. infr. epigr. LVIII: « Pexatus pulchre, rides mea, Zoile, trita. » Id est, pexis et novis vestibus indutus, quarum nondum flocci abiire. Hanc pexam floccorum in vestibus lanuginem, *pexitatem* vocat Plinius. *Salmas.*

2. *Seu tres, vel puto* Junt. anno 1512, et Colin. 1528; *ut pote* in quibusdam aliis. Gruterus conj. *ut puta*; suspicabatur tamen majus subesse ulcus, cui sanando se non esse parem profiteretur. Heraldus, quem

sequitur Raderus, *computo* legit, et existimat summam esse aliquam pecuniæ, quam Martialis secum audiente Sexto forte computabat. *Ad tres, ut puto*, conjicit Ant. de Rooy: de qua constr. adeas Canningiet. ad Avian. Præfat. et Oudendorp. ad Suetonium, Cæs. c. 20: « *Ut puto*, inquit, valet h. l. non, ut alias, *ut opinor*, sed *ut calculum pono*: neque obstat, quod versu priorè τὸ *ve* pro *vel* subjungat τῷ *sive*: ita et Flor. lib. IV, cap. 2, ubi vide Duker. et lib. III, epigr. v. Consule etiam Miscell. Obs. vol. IX, 216. Schrevel. proposuit: *Seu tres supputo*; quem vide in var. not. — *Ut puto*. Heraldus legit, *computo*, existimatque summam esse aliquam pecuniæ quam Martialis secum, audiente Sexto, forte computabat: attamen quum loquatur Poeta de emptionibus suis, alii melius meo judicio retinent, *ut puto*, quod interponitur dubitatio-

Sextus protinus ille fœnerator,  
 Quem nostis veterem meum sodalem,  
 Ne quid forte petam, timet, cavetque; 5  
 Et secum, sed ut audiam, susurrat :  
 Septem millia debeo Secundo;  
 Phœbo quatuor; undecim Phileto;  
 Et quadrans mihi nullus est in arca.  
 O grande ingenium mei sodalis! 10  
 Durum est, Sexte, negare, quum rogaris :  
 Quanto durius, antequam rogeris!

nis causa, deficiente scilicet memoria, atque argenti facti libras intelligit poeta; tum, ait Martialis, timet Sextus, ne, omni pecunia mea in has emptiones exhausta, aliorum pecunia indigeam; et ideo statim rationes suas secum tacite computat Sextus, ita tamen ut audiam, ne forte ab ipso pecuniam mutuer. Vid. lib. VII, epigramma LXXXVI, ubi de libra argenti. Forte legendum *libros*.

3. *Fœnerator*. Divitiarum argumentum fœnus; ut supra, lib. I, epigr. LXXVII, v. 6, de Minerva: « Hæc sapit, hæc omnes fœnerat una deos; » et epigr. LXXXVI.

4. *Veterem sodalem*. Ideo propter avaritiam longe acrius reprehendendum. ED.

5. *Ne quid*, etc. Sic amicorum petitiones antevertunt cauti divites. Vide Arist. II, Rhetor. et Sen. I, de Benef. I: « Quis enim nostrum contentus fuit aut leviter rogari, aut semel? Quis non, quum ali-

quid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus, et de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, et variis artibus prope-rantes necessitates elusit? etc. »

6. *Et secum sic, ut audiam* in edd. vett. Ald. Junt. Colin. Gryph.

7. *Septem millia*. Nostræ monetæ 700 francos: nam hic sestertii sunt, non sestertia. ED.

8. *Quatuor*. Nostræ monetæ quadringenta francos. — *Undecim*. Nostræ monetæ mille et centum francos. ED.

9. *Quadrans*. Quarta pars assis: sestertius constabat duobus assibus cum dimidio asse.

10. *O grande*. Per ironiam ingenium dixit pro sordibus et avaritia. Vid. lib. I, epigr. LXXIV, v. 4.

11. *Durum est*. Acute Sextum avarum reprehendit, quod preces atque ipsius petitionem obliqua denegatione occupasset.

XLV.

AD GLYPTUM.

QUÆ tibi non stabat, præcisa est mentula, Glypte.  
Demens, cum ferro quid tibi? Gallus eras.

2. *Demens cum testa quid tibi?* margini adscriptum habet Juntina nostra. Hoc redolet glossam; Samia namque testa Gallos sibi virilitatem secuisse tradit Cœlius ap. Plin. xxxv, 12. Cf. etiam Juven. Sat. VI, 514; Catull. lxxiii, 5, et Ovid. Fast. IV, 237: ubi narratur unde originem trahat hæc resectio.

Eos tamen ferro sibi virilia amputasse, contendit Lactant. V, 9. — *Gallus.* Galli sacerdotes Cybeles, Samia testa sibi resecebant genitalia: at non debuit Glyptus sibi præcidere mentulam; quum naturali munere non uteretur, poterat præcisum existimare. Vid. lib. III, epigramma lxxxii.

XLVI.

IN NÆVOLUM.\*

FLORIDA per varios ut pingitur Hybla colores,  
Quum breve Sicania ver populantur apes;  
Sic tua suppositis pellucent prela lacernis:

\* Hoc epigrammate carpitur Nævulus quidam, ut Candidus ille de quo epigr. xxiv et xliii duplex mentio, nomine non re amicus; qui, in magnis locupletibusque copiis positus, suas sibi uni habebat opes, in sodales tam durus et inhumanus, ut vestes innumeras teneis mallet relinquere depascendas, quam amicis largiri induendas nudis et argentibus. Ed.

1. *Florida per varios ubi* Beverlandi MS. — *Florida*, etc. Quemadmodum innumeri sunt colores

florum quos brevi morituros prædantur prope urbem Hyblam apes Sicania, sic innumeri sunt colores vestium pretiosarum quas in prelis ad nitorem pressas, vel reconditas in arculis habes. Ed. — *Hybla.* Siciliae urbs et mons, floribus et apibus frequens.

2. *Quum breve Sicania*, etc. Idem fere versus est, lib. IX, epigr. xiv, v. 2. — *Breve ver.* Flores vernos brevioris ætatis.

3. Cagnerius legit ex veteri codice: *Sic tua compositus perlucent*

Sic micat innumeris arcula synthesibus.  
 Atque unam vestire tribum tua candida possunt, 5  
 Apula non uno quæ grege terra tulit.  
 Tu spectas hyemem succincti lentus amici,

*præla lacernis.* Ramiresius : *Sic tua appositis prælucent præla lacernis.* Langius : *Sic tua appositis perlucent præla lacernis.* Pulmannus : *Sic tua compositis perlucent.* Beverlandi MS. *Collucent præla lacernis*; quam lectionem citat etiam Pulmannus. Nostram testantur ed. antiq. Ferrar. ann. 1471, Venet. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. — *Sic tua suppositis*, etc. *Præla* trabes sunt proprie quibus vulgo uvæ calcatæ premuntur; iis etiam Romani utebantur, ut vestes suppositas premerent ac rugas earum emendarent, ut nitorem illis afferrent. Hinc Seneca, de Tranquillitate vitæ, lib. I, c. 1, *Vestem ait coactam splendere ponderibus ac mille torminibus.* Vide quoque Ammianum Marcellinum, lib. XXVIII. — *Præla lacernis.* Videtur esse hypallage in ordine verborum; non enim pellucent præla, sed vestes prelis suppositæ. *Lacerna*, itemque toga vestis erat exterior et crassior, instar pallii: utraque imponebatur tunicæ; sed toga comptior, longior, ac decentior erat quam lacerna, imo et usitatior fuit quamdiu floruit Respublica.

4. *Synthesibus.* Erat *synthesis* vestis cœnatoria, pallii formam referens, et a lautioribus tantum ditioribusque usurpari solita; semper purpurea vel coccinea. Vid. lib. VI, epigr. LXXIX et lib. XIV, epigr. 1.

5. Ald. Junt. Colin. etc. *tua vellera*; sed optimi codices habent *tua candida*, i. e. tuæ togæ candidæ,

sicut epigr. LVIII, *mea trita*: quod qui non caperent, alterum subjecerunt. — *Unam vestire tribum.* Hyperbolice. *Populus romanus* in tribus 35 divisus erat, quarum aliæ urbanæ, aliæ rusticæ. *Romulus* tres principio tribus fecerat, quarum in prima numerantur Albani pastores, quibuscum Romam condiderat; in secunda Sabini; in tertia Etrusci, Ardeates, Latini, etc. Tribus singulas divisit in curias decem, curiasque in decem decurias. Auctæ sunt postea, crescente civium numero, tribus. — *Tua candida.* Tuæ togæ candidæ; ut epigr. LVIII infr. *mea trita*, pro *meæ togæ tritæ*.

6. *Apula.* *Apulia* regio est Italiæ ovibus abundans, nunc in regno Neapolitano. Duplex est: altera *Apulia Daunia*, nunc *Puglia Piana*, sive *Capitanata*; ubi modo *Sipontum*, etc. altera *Apulia Peucetia*, *Terra di Bari*, ubi *Barium*. — *Non uno grege.* *Syntheses* confectæ vellere ex plurimis gregibus passim selecto. ED.

7. *Hyemem.* Algentem amici inopiam. ED. — *Succincti.* Pæne nudi, lacera curtaque veste induti, quasi ad iter capessendum accincti. Sic noster *Boileau Sat. I*:

Passant l'été sans linge et l'hiver sans manteau.

— *Lentus.* Id est, tardus ad misericordiam. Lenti enim spectare dicuntur, qui nec ad commiserationem nec ad iracundiam aut quemlibet affectum commoverentur; gallice, *insensibles*, *phlegmatiques*.

Pro scelus! et lateris frigora trita tui.  
Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus,  
Quid metuis? Non te, Nævole, sed tineas! 10

8. Codex Thuan. *et later frigora*; Vat. *et lateri*. Alii legunt: *et lateris frigora trita mei*. Lipsius: *et lateris frigora tute times*; editiones namque veteres habent, *et lateris frigora tuta times*. Vide Delph. et var. not. — *Et lateris frigora trita tui*. Tritas obsoletasque tunicas, ideoque penetrabili frigori pervias amici tui; *latus* appellatur sodalis; vid. lib. VI, epigr. LXVIII: « Eutychnus ille tuum, Castrice, dulce latus. » Latus sic sumitur pro latrone, qui latus cingit. — Alii legunt *frigora trita mei*, et intelligunt, mei corporis. Forsan legendum est: *frigora tanta mei*. — Lipsius scribit, *frigora tute times*, hoc est, adeo amicus tuus friget, ut tu vereri possis, ne frigus ejus ad te permanet. — Vulgata lectio est, *frigora tuta times*, hoc est, vides amicum algentem, et tu ipse frigus times, aut certe timere simu-

las, a quo tamen tutissimus es, quippe pluribus vestimentis probe munitus. Verum id simulas, ne paucis et malis lacernis te ad amicum vestiendum defraudes.

9. *Infelix*. Qui rerum usum, et beneficentiæ voluptatem nescis. ED.

10. *Quid renuis?* nonnulli codd. cum edd. antiquiss. Ferrar. ann. 1471, etc. *Non metuas mortem* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. etc. *Ne metuas, non te* Ramiresius. *Quid metuis monte* Thuan. *Quem renuis non te* codex Vaticanus. *timpas pro tineas* habet Beverlandi MS. *timeas* Junt. ann. 1512. — *Quid metuis?* Eratne adeo difficile et magnificum duos pannos, vestes duas suffurari et eripere..... Palles jam et times, avare Nævole, quum audis has voces, suffurari, fraudare, eripere: sed ne timeas; eripere dico non tibi, sed tineis, quæ illas arrodunt et consumunt, et amicis largiri!

## XLVII.

IN GALLUM.\*

SUBDOLA famosæ, moneo, fuge retia mœchæ,

\* Hujus epigrammatis lectio non variat in membranis aut exemplaribus impressis.

1. *Subdola*, etc. Cave puer, ne deprehendaris a marito suspectæ ac notæ mœchæ; vel quæ te prodet

marito suo. Epigr. XLIX infr. — *Moneo*. Nam si te deprehenderit maritus, non pædicabit; nec enim gaudet natibus, quibus confidis ei te pœnas soluturum, te enim irru-mabit. Vid. epigr. LX infra.

Levior o conchis, Galle, Cytheriacis.  
 Confidis natibus? non est pædico maritus.  
 Quæ faciat duo sunt : irrumat, aut futuit.

2. *Conchis Cytheriacis.* Id est, marinis, vel venereis, quod concha nata esset Venus. Intelligere etiam possumus conchas, quas litus insulæ Cytheræ ferebat : nil

autem levius conchylibus marinis. Vid. Plaut. in Rudente. Ed.

3. *Confidis natibus.* Quod vocat eleganter *supplicium puerile* epigr. LX infr.

## XLVIII.

AD RUFUM.\*

CAUPONEM, laniumque, balneumque,  
 Tonsorem, tabulamque, calculosque,  
 Et paucos, sed ut eligam, libellos :  
 Unum non nimium rudem sodalem,  
 Et caram puero meo puellam,

5

\* Felicitatem non loco sed commoditatibus contineri docet Martialis, et quæ desideret, in obscuro secessu, vitæ modicæ et quietæ oblectamenta, enumerat. Ed.

1. *Cauponem, laniumque.* Ad mensæ delicias. — *Balneumque*, et *tonsorem.* Ad curam corporis.

2. *Tabulamque, calculosque.* Tabulam lusoriam cum latrunculis, gallice *échecs*; ad animi relaxationem. Vid. lib. XIV, epigr. xvii.

3. *Et paucos*, etc. Ad studium et animi cultum. Ita Seneca Epist. 2 et 45. « Non refert quam multos, sed quam bonos habeas libros. Distrahit animum librorum multitudo. Lectio omnis generis voluminum habet aliquid vagum et instabile. Paucis libris immorari et

innutrirī oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter hæreat. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui vult pervenire, quo destinavit, unam sequatur viam, non per plures vagetur, etc. » Ed.

4. *Unum*, etc. Ad vitæ societatem, amicum unum, atque eum mediocriter eruditum, apud quem liceat ineptire aliquando. Videndum inf. epigr. xc: « Sit non doctissima conjux; nimia enim eruditio superbiam parit, quæ in vitæ societate gravis. Non sit tamen nimium rudis inculto prorsus ingenio, et qui ab omni literarum commercio refugiat. » Ed.

5, 6. Hi duo versiculi in ed. *Barbou*, Paris. 1754, transpositi: sic etiam leguntur in Ald. Junt.

Et grandem puerum, diuque levem :  
Hæc præsta mihi, Rufe, vel Bitonti;  
Et thermas tibi habe Neronianas.

Colin. et quibusdam aliis. Nostrum ordinem servant Pulmann. Lang. Jun. Grut. Scriv. Farnab. Schrevel. Delph. et Maittair. — *Et caram puero*. Qui amore irretitus domi assiduus esset. — *Et caram*. Hujusmodi enim conserva servum in officio et apud me retinebit.

6. *Et grandem*, etc. Ad ministeria. — *Levem*. Ad voluptatem cutis nitorem et juvenilem corporis decorem diu mihi præstet. ED.

7. *Bitontis* Junt. ann. 1512, et Colin. ann. 1528. *Butuntis* legit Scriverius: Jac. Bononiensis Annot. cap. 8, emendat *Bisuntos*, quod oppidum est Hispaniæ apud Ptolemæum. — *Hoc præsta mihi*. Ego enim vel in obscurissimo oppido rebus supra enumeratis contentus ero, et regnare ac vere vivere putavero. Quemadmodum enim in amœnis locis solemus malis urgeri,

ut lib. IV, epigr. LX: « Quum mors Venerit, in medio Tibure Sardinia est »: sic contra in obscuris et sterilibus locis quoties nobis suppetunt bona, jucundam transigimus vitam. — *Vel Bitonti*. Legunt alii *Bitontis*, quod obscurum erat Apuliæ Peucetiæ oppidum. Vid. epigr. XLVI, v. 6 sup. de Apulia.

8. *Et thermas*, etc. Erant thermæ Neronianæ cæteris amœniores, ut lib. VII, epigr. XXXIII: « Quid Nerone pejus? Quid thermis melius Neronianis? » Nempe Noster inter jucunda vitæ et oblectamenta quæ optat, non locum elegit, ubi vivere mallet, urbem nec rus tantopere poetis decantatum designat; ut vere locum quo vitam agimus non ad felicitatem referre innuat, in manu cujusque fortunæ suæ arbitrium, ubicumque terrarum, esse, dum modo vitæ necessaria suppetant.

## XLIX.

DE THELESINA.\*

UXOREM nolo Thelesinam ducere : quare?

Mœcha est. Sed pueris dat Thelesina : volo.

\* Et hic nulla lectionis varietas reperienda est in exemplaribus scriptis aut excusis.

1. *Dat Thelesina*. Sui copiam. —

*Volo*. Ut mihi pueri deprehensi pœnas talionis dent. Epigr. XLVII supr. et infr. LX; et lib. X, epigramm. XL.



## L.

## IN LESBIAM.

QUOD fellas, et aquam potas, nil, Lesbia, peccas.  
 Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

1. *Nil peccas.* Hoc est, *Non erras*: quum enim fellatione ora pollueris, ideo recte facis, si aquam potas, et ex more aliarum fœminarum, quæ a coitu lavant τὰ αἰδοῖα. Est acumen in ambiguitate verbi sumere aquam, hinc in potationem, illinc in ablutionem: abstemia erat Lesbia, et aquam tantum potabat.

2. *Qua tibi parte decet sumere oportet aquam* Juntina nostra in margine; sed hoc jugulat sensum, quem intelligi vult Martialis. Nempe non illi suadet, ut ore sumat aquam; sed illam recte hoc facere affirmat.

## LI.

## IN HYLLUM.

UNUS sæpe tibi tota denarius arca  
 Quum sit, et hic culo tritior, Hylle, tuo;  
 Non tamen hunc pistor, non auferet hunc tibi caupo;  
 Sed si quis nimio pene superbus erit.  
 Infelix venter spectat convivia culi, 5  
 Et semper miser hic esurit, ille vorat.

1. *Unus sæpe.* Hyllum pathicum insectatur, quod pauperrimus quum esset, bene vasatos quærebat, et iis, si quam pecuniolam habebat, largiebatur, et ipse fame peribat. *Ramiresius.*

2. *Tritior.* Trita moneta vilior erat; ideo laudata aspera, quod nova, nec manuum tritura levior. *Idem.*

4. Ald. Junt. Colin. *pennæ super-*

*bus erit.* Cætera, nulla varietas est in exemplaribus aut manu exaratis aut prelo excusis.

5. *Spectat, etc.* Ipse non edens, esuriens, famelicus. Lib. I, epigr. XLIV, *tantum spectavimus omnes.*

6. *Hic esurit, ille.* Animadvertendum est *hic* ad remotiorem ventrem respiciens, et *ille* ad propriorem culum, contra normam. *Vorat.* Vid. lib. XII, epigr. LXXVI, v. 3.

## LII.

DE DASIO.\*

NOVIT loturas Dasius numerare : poposcit  
Mammosam Spatalen pro tribus ; illa dedit.

\* Hic Dasius, balneo præpositus, pretium exigebat ab iis qui lavare volebant, quod pretium non quadrantem superabat, ut testatur Horatius, sat. III in fine. Vide Cic. pro Cælio : « Nisi forte mulier potens quadrantana illa permutatione familiaris facta erat balneatori ; Spatale continuo tres quadrantes persolvit. »

— *De Spatale* inscribitur in Junt. ann. 1512, et Colin. ann. 1528.

1. *Novit loturos* in iisdem. *Novit licturas* in aliis. Scaliger ad Propert. IV, 3, 36, legit : *Novit loturas*, cum hac nota : « Hic simpliciter loturæ sunt *ὀψήσεις* sed tralatitæ pro eo, quod jam dixi, et quod non nominabo. Locus ille

Martialis aliter, et vitiose, editus est. » *Novit numerare*. Quum tres pro una numeret, triplexque poscat pretium, bene numerat in suum lucrum. ED.

2. *Mammosam*. Spatales mammæ tantæ erant magnitudinis, ut trium mulierum locum occuparet, atque ita triplicem mercedem ab ipsa exegit balneator. Sic de Labieno, lib. V, epigr. L. Hic sensus præ alia obscœna explicatione quidem placet : nempe Spatale et duæ illius mammæ trium locum occupabant. Ramiresius alium sensum intelligit et putat Dasium postulavisse a meretrice Spatale tria obscœnitatis genera, quæ illa libenter concessit. Vid. lib. IX, epigr. xxxiii.

## LIII.

IN MAXIMUM.\*

VIS fieri liber? mentiris, Maxime; non vis :

\* Quum Maximus se liberum esse cupere diceret, nec ea facere vellet quæ ad veram libertatem consequendam pertinent, hunc docet Noster eum liberum esse, qui ambitionis omnisque cupiditatis expertus, parvo vivit, nec culinæ divitis vaporem odoratur, nec nobilis dominæ perpetitur fastus. ED.

1. *Non vis*. Nam si constanter et certe velles, ea faceres quæ necessaria sunt ad te vindicandum in libertatem ; nec eos imitareris qui vel ventris, vel ambitionis causa libertatem plane perditum eunt, et ad nutum alienum vivunt ; cui quidem malo obviam iri posse ait, si sorte nostra contenti, neque deli-

Sed fieri si vis, hac ratione potes.  
 Liber eris, cœnare foris si, Maxime, nolis :  
 Veientana tuam si domat uva sitim :  
 Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnæ : 5  
 Contentus nostra si potes esse toga :  
 Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse :  
 Si tua non rectus tecta subire potes.  
 Hæc tibi si vis est, si mentis tanta potestas,  
 Liberior Partho vivere rege potes. 10

cias, neque opes supervacuas, neque gloriam inanem sectemur. *Heraldus.*

3. *Cœnare foris.* Durum enim est aliena vivere quadra, ut docet Juvenalis, Sat. V. Lib. IX, epigr. XI : « Liber non potes, et gulosus esse. » Plurimi enim ventris causa semet ipsos addicebant, quum potentiorum cœnas captarent, ubi omnia contumeliarum genera usque concoquenda erant.

4. *Veientana.* Vinum ex agro Veientano vilissimum. Veii, olim urbs antiqua Etruriæ, nunc diruta: in ejus loco nunc est castrum quod incolæ appellant insulam, *Isola.*

5. *Si ridere.* Si tam æquo animo paupertatem tuam diligis et foves, ut luxuriosam divitum pompam non solum sine invidia sed cum contemptu videre possis. ED. — *Chrysendeta.* Vasa gemmis ornata, de quibus epigr. XLIII supr. vs. 11. — *Cinnæ miseri.* Præ nimia talium vasorum cupiditate.

6. *Nostra, etc.* Trita et plebeia. epigr. LVIII supr. et epigr. XXXVI lib. III.

7. Pro *vincitur* Heinsius legendum putavit, *jungitur*; quod probant viri docti. Ovidio, « Quique

sui Venerem junxit cum fratre marito. » Hæc duo verba sæpe permutantur. Vide nos ad Catull. LXI, 68, et ad Tibull. I, 1, 64; et Broukh. ibid. Burm. ad Propert. IV, 2, 44. Heins. ad Ovid. Met. I, 121; VIII, 248. Drakenb. ad Liv. tom. III, p. 95. Cf. Hor. I, Od. 25, 1; et Claud. in epithal. Pall. et Celer. V, 32; *jungitur* in Beverlandi MS. unde nullo negotio fit, *jungitur.* De permutatione *c* et *g* vide Scalig. ad Catull. loco laudato. — *Si plebeia Venus.* Si non albas secteris stolas, et meretricis contentus plebeia, facili, vili, parabili. Lib. IX, epigr. XXXIII.

8. *Si tua non rectus.* Vel casam humilem intellige, vel, quod magis placet, superiores domus contignationes, quæ cœnacula vocabantur, ubi habitabant pauperes, in quæ nisi incurvi ascendere nequibant, per scalas scilicet.

9. *Si mentis.* Excelso et forti animo opus est ad divitias et delicias contemnendas.

10. *Liberior.* Parthorum reges libertatem acerrime semper propugnauerunt, et regum reges vocabantur, ut docet Suetonius in Caligula, cap. 5.

## LIV.

IN LINUM.\*

QUID de te, Line, suspicetur uxor,  
 Et qua parte velit pudiciorem,  
 Certis indiciis satis probavit,  
 Custodem tibi quæ dedit spadonem.  
 Nil nasutius hac, maligniusque est.

5

\* In hoc epigrammate exhibendo nullam lectionis varietatem produnt aut libri calamo scripti, aut typographici.

1. *Quid de te.* Lepide carpit patricium, cui custodem spadonem dedit uxor, nasuta et maligna mulier, ne ab eo pædicaretur maritus.

Lib. X, epigr. LXIX : « Custodes das, Polla, viro, nec accipis ipsa; Hoc est uxorem ducere, Polla, virum. » Erat enim rarum, et ridiculum videri poterat viro dari custodem ab uxore, quum contra usu venit, ut uxori a viro daretur. *Ramiresius.*

## LV.

AD SEXTUM.\*

VIS te, Sexte, coli : volebam amare.  
 Parendum est tibi; quod jubes, coleris :  
 Sed si te colo, Sexte, non amabo.

\* In hujus etiam epigrammatis lectione consentiunt membranæ et libri typis impressi.

1. *Vis coli.* Observantiam a me exigis. — *Volebam amare.* Te familiariter uti cupiebam.

3. *Non amabo.* Amor enim et ea quam exigebat Sextus observantia,

non conveniunt; æqualitem et familiaritatem inesse decet meræ amicitiae. Vid. Senec. de Benef., lib. VI, cap. 33 et sequent. et epistol. 47. — Aiunt Augustum parca et tenui cœna exceptum aliquando ab amico dixisse : « Non putabam me tibi tam familiarem esse. »

## LVI.

AD GALLUM, DE EJUS UXORE.\*

GENTIBUS in Libycis uxor tua, Galle, notatur  
 Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.  
 Sed mera narrantur mendacia : non solet illa  
 Accipere omnino : quid solet ergo? Dare.

\* Lemma in codice Thuaneo est :  
*Ad Gallum* ; in edd. vett. *De uxore  
 Galli*.

1. In codice membran. Putean.  
 legitur : *Galle melaudat* ; unde He-  
 raldus legendum censet, *male audit*,  
 quæ vere est lectio edd. vett. Ald.  
 Junt. Colin. etc. — *Gentibus in  
 Libycis*. Hinc colligere est hunc

Gallum in Libya magistratum ges-  
 sisse ; cujus uxor a provincialibus  
 munera accipere dicebatur ; at illius  
 avaritiam salse excusat Poeta : dare  
 quippe verbum est obscœnum hoc  
 loco. — Vel intellige, dat ipsa mer-  
 cedem, nedum accipiat. Vid. lib.  
 II, epigr. LXIII. — *Dare*. Jocus est  
 in *dare* pecuniam, et sui copiam. Ed.

## LVII.

IN FICTUM DIVITEM.\*

Hic, quem videtis gressibus vagis lentum,  
 Amethystinatus media qui secat septa;

\* Hic describitur ventosus qui-  
 dam, forte ille de quo infr. epigr.  
 LXXIV, qui, quum videri velit opi-  
 bus diffluere, revera tamen egesta-  
 te extrema laboret, conductis tan-  
 tum vestibus conspicuus. Hujusmo-  
 di homines πτωχολάζονας eleganter  
 Græci vocant, Latini *pauperes am-  
 bitiosos*. Herald.

— Codex Scriver. pro lemmate  
 habet : *De Micropsycho divite* ; quod  
 citat etiam Pulmannus. Codex

Bodleianus : *De ornato foris*. Edd.  
 vett. *In Fictum divitem*, quasi Fictus  
 sit nomen proprium.

1. *Gressibus vagis*, etc. Fastidio-  
 sus et quasi de industria inconstans  
 est incessus istiusmodi ostentato-  
 ris delicias et mollitiem mentien-  
 tis. Sic varicatis spatiari gressibus  
 eleganter dicit Afranius *fluctuatim  
 incedere*. Tardus incessus gravitatis  
 et dignitatis signum.

2. Beverlandi MS. exhibet : *me-*

Quem non lacernis Publius meus vincit,  
 Non ipse Codrus alpha penulatorum;  
 Quem grex togatus sequitur, et capillatus, 5  
 Recensque sella linteisque lorisque :

*diam qui secatur viam.* — *Amethystinatus.* Hoc est, vestibus conductis ornatus amethysti colorem violaceum referentibus. Lib. I, epigr. xcvi, vs. 7. — *Media secatur.* Hoc est, viam! sibi aperit per mediam turbam. Ut fastum ficti hujus divitis graphice depingat Poeta, hæc subjungit. Viam enim sibi arroganter aperire, est imitari divites illos superbos, fortunam immodeste ferentes. — *Septa.* Septa, ut diximus epigr. xiv supr. vs. 5, erant pars Campi Martii sudibus et cancellis circumdata, in qua inclusa unaquæque tribus suffragia sua ferebat; sed quando comitia non erant, in septis erant mercatores pretiosissima et delicatissima quæque vendentes. Vid. lib. IX, epigr. lx, et lib. X, epigr. lxxx.

3. *Quem non lacernis, etc.* De lacernis vide epigr. xxix supra, vs. 3.

4. *Non ipse Codrus, etc.* Si sensum maxime verisimilem, et ex rerum ordine perspicue apparentem adoptamus, putabimus Publium Codrumque fuisse delicatissimos homines, suarum lacernarum elegantia molles ac luxuriosos; quorum tamen elegantiam superaret fictus ille dives: attamen si meminerimus illius Codri a Juvenale citati, qui nihil habebat, et tamen perdidit totum suum nihil (Sat. III), in quamdam dubitationem adducamur necesse est, potissimum si le-

gimus epigr. xxvi, lib. V, in quo Codrum inducit Noster irascentem quod eum *Alpha penulatorum* nominaverit: fortasse conciliari sic possunt diversi hi duo sensus; scilicet, Codrus pauper erat, sed pauper quoque ambitiosus, et conductis vestibus fulgebat, ut ille quem carpit Martialis. — *Alpha, etc.* Princeps delicatarum, qui penulas sumunt. A more numerandi per literas alphabeticas. Sic Eratosthenes appellatus βῆτα τῶν φιλοσοφούντων. In sacris literis: ego sum α et ω, principium et finis. — *Penulatorum.* Penula erat quoddam pallii villosi genus, quo se muniebant Veteres adversus imbrem, ut Horat. epist. I, II, 18: « Penula solstitio, etc. » Hoc loco apparet eam præcipuo in usû fuisse apud molles.

5. *Grex togatus.* Clientum et anteaambulorum, quorum indumentum erat toga, lib. I, epigr. cix. — *Capillatus.* Cirratorum puerorum nobilium, qui comas alebant: lib. X, epigr. lxii, et lib. III, epigr. lviii. Vid. quoque ad Pers. Sat. I, et Sat. III, vs. 54: « indetonsa juvenus. »

6. *Recens.* Novissime empta et fabricata. Sic Juvenal. Sat. I: « Nova quum veniat lectica Mathonis. » — *Linteisque lorisque.* Linteæ erant vela quibus claudebatur, lora vincula quibus suspendebatur lectica. De sella et linteis quibus velabatur, fuse agit Lipsius, Elect. I, I, cap. 19.

Oppigneravit Claudii modo ad mensam  
Vix octo nummis annulum, unde cœnaret.

7. *Oppigneravit admodo Claudii mensam* in edd. antiquiss. cum Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. Pulman. Ramires. Junian. Delph. etc. Salmasius legendum censet: *Oppigneravit modo modo ad Cladi mensam Vix octo mensis annulum, unde cœnaret.* Lectio nostra debetur Grutero, eamque servant Scriverius, Farnab. Schrevel. Maittair. *Barbou*, etc. — *Claudii.* Argentarii, fœeneratoris. — *Mensam.* Pluteum, tabernam, gallice, *bureau, comptoir.*

8. *Annulum.* Indicium erat extremæ egestatis, annuli vel venditio vel oppigneratio. Juv. Sat. II: «Talibus a dominis post cuncta novissimus exit Annulus.» Enim vero, quum annulo omnia in domo signarent veteres, qui Vendebat annulum fateri videbatur se nihil amplius habere quod signaret; quemadmodum Gallus qui clavem suam venderet, se nihil amplius habere domi surripiendum, quod clave claudat, significaret. ED.

## LVIII.

### IN ZOILUM.

PEXATUS pulchre rides mea, Zoile, trita.  
Sunt hæc trita quidem, Zoile; sed mea sunt.

1. *Vexatus* Beverlandi MS. Cætera, nulla varietas est in exemplaribus manu exaratis, aut typis excusis. — *Pexatus.* Turnebus, lib. V, cap. 14. Vestes illæ pexæ sunt, in quibus nec stamen nec subtegmen apparet, eminente et telæ

contextum operiente villo. Hanc villosam speciem gerunt panni, quum recentes sunt, necdum usu attriti. Adi hujusce libri epigramma XLIV, sup. v. 1.

2. *Mea sunt*, non autem conductitia, ut tua pexa.

## LIX.

## DE COENATIONE MICÆ.\*

MICA vocor : quid sim, cernis : cœnatio parva.  
Ex me Cæsareum prospicis, ecce, tholum.

Μίκαη ἐγὼ, τί πέλω δὲ, βλέπεις· μικρὸς εἰλαπινάων  
Οἶκος· ἀνακτόρεον τὸν θόλον ἔνθεν ὄρας.

\* *Stibadium* inscribitur in Beverlandi MS.

1. Domum haud magnam quidem sed venustam imprimis et elegantem Domitianus exstruxerat, ubi cum amicis cœnaret: eam ab exiguitate micam vocari iussit et auream ab elegantia. Ex ea prospiciebatur templum exstructum in honorem D. Augusti demortui; sive mausoleum, quo viso convivæ admonebantur mortis, hic autem excitantur a Martiale ut genio propere indulgeant, nempe brevi morituri. — *Mica vocor.* Loquitur cœnatio quam Domitianus exstruxerat, et micam vocaverat propter exiguitatem: cœnatio vero est locus ad cœnandum. Juvenalis, Sat. VII, 81: « Surgat, et argentem rapiat cœnatio solem. » Illud addam auctarii loco, antiquorum luxuriam versatilia cœnationum laquearia fecisse, et ita coagmentasse, ut subinde alia facies atque alia succederet, et toties tecta, quoties ferula, mutarentur. Sic Philander in Vitruv. lib. IV, cap. 3.

2. In Beverlandi MS. *ecce thorum.* — *Prospicis, ecce, tholum.* Tholus,

teste Philandro ad Vitruvium, lib. IV, cap. 7, est ædificii camera, quæ altius crescens rotunda forma in fastigiatum cacumen desinit, etc. Si conjecturæ locus est, inquit Ramiresius, existimaverim micam hanc ita esse exædificatam, ut ex ipso triclinio prospiceretur aliquis tholus ædificii, quod sepulcrum alicujus Imperatoris contineret; et ausim affirmare esse mausoleum D. Augusti. Quo viso, de sua sorte admonebantur convivæ; mortis vero memoria ad vitæ lautitias illos excitabat. Martialis se ipsum explicuisse videtur lib. V, epigr. LXV: « Jam vicina jubent nos vivere Mausolea, Quum doceant ipsos posse perire deos. » Raderus Scaligerum sequutus Ausonianarum lectionum lib. II, cap. 26, intelligit tholum interiorem ipsius micæ, a quo pendebat cranium, quod convivas de morte admonebat, ut eo largius viverent, et potationibus vacarent. Vide lib. I, epigr. LXXI, ubi de tholo jam facta mentio. — *Tholus* apud Virgil. *Æneid.* IX, vs. 408 pro templi fornice usurpatur, unde pendebant arma fixa victoribus:



Frangere toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo :  
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Ἀνάπεσ', οἰνοπόταζε, ῥόδον λαβέ, χρίεο νάρδω·  
Αὐτὸς μιμνήσκει τοῦ θανάτου σε θεός.

« Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi. »

3. Ant. de Rooy conjicit *tangere nardo* sc. capillos. *Tingo* et *tango* sæpe permutantur. Vide Burm. ad Ovid. Heroid. epist. XIX, 44; ad Propert. IV, 3, 60. Oudendorp. ad Lucan. X, 491. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 740, et Scriv. ad Nostrum, p. 149. At Juntinæ nostræ margini adscriptum reperio: *Scande toros: pete vina: rosas cape, et ungerere nardo*. Hoc verum esse puto, quod ad *rosas cape, et ungerere nardo* attinet. Quod vero ad illud *Scande*, forte legendum *Sterne*; sed alterum propius accedit ad literarum tractum in voce *Frangere*. Vide infra ad lib. IV, epigr. VIII. — *Frangere toros*. Assiduus accumbe, ut usu diurno nocturnoque frangatur torus seu lectus cui accumbebat conviva. Lib. IV, epigr. VIII. — *Rosas cape*. Coronati floribus bibere solebant Veteres; lib. XIII, epigr. LI. Plinius, lib. XXI, cap. 19: « Crapulam et gravedines capitis, impositis coronis, olfactive discutiunt. » Heraldus hoc loco fuse agit de more illo antiquorum. — *Tingere nardo*. Ungaris nardino unguento. « Nardinum sive foliatum constat omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsa-

mo; » Plinius, lib. XIII, cap. 1.— *Tingere* hic est modus imperativus vocis passivæ.

4. Calderini vetustus codex habebat, *dememinisse deus*; quod legendum esse ostendit Cujacius ad Africanum. Hoc habet etiam editio Aldina ann. 1550, quæ lectio non probari potest: nam mortis commemorationem ad luxum acuendum inservire volebant Veteres; tantum aberat ut mortis juberent dememinisse. Herald. — *Deus*. Domitianus, si suspensi cranii expositioni faveas, vel Augustus, si mausolei Divi Augusti tholum esse placeat. Nam si Augustus, qui deus habitus, condebatur illo sepulcro, qui posset inferioris sortis homo properam non exspectare mortem? Hæc autem mortis memoria ethnicos illos ad vitæ lautitias excitabat. Lege Petronium in Trimalcionis convivio: « Larvam argenteam attulit servus; hanc quum super mensam semel iterumque abjecisset, Trimalcio adjecit: Heu nos miseros, quam totus homuncio nil est! Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus. Ergo vivamus, dum licet esse, bene. » Et Horat. epist. I, 11, 23: « Tu quamcumque Deus tibi fortunaverit horam, Grata sume manu, nec dulcia differ in annum. » ED.

## LX.

IN HYLLUM.\*

UXOREM armati futuis, puer Hylle, tribuni,  
 Supplicium tantum dum puerile times.  
 Væ tibi, dum ludis; castrabere: jam mihi dices,  
 Non licet hoc: quid, tu quod facis, Hylle, licet?

\* *In Hylum* lemma inest edd. vett.

1. *Uxorem armati*, Monet Hyllum ut discedat ab uxore tribuni militaris, a quo deprehensus non pædicaretur, sed castraretur. Namque quamvis castrari mares vetuisset Domitianus, adulteria quoque prohibuerat. Suet. cap. 7, in Domit. — *Armati*. Tribuni militares, a tribunis ærarii, a tribunis plebis et aliis distinguebantur, quod latus parazonio cingerent. Vid. lib. XIV, epigr. xxxii.

2. *Supplicium facti nec, puer Hyle,*

*times Pulmannus*, improbante Ramiresio. — *Supplicium*. Dum confidis natibus, pœnam pædiconi soluturus. Epigr. XLVII supr.

4. Ant. *de Rooy* scribit: *Non licet hoc: quid? tu quod facis, Hylle, licet?* quemadmodum τὸ *quid?* sæpius sententiam absolvit. Vide Cuper. Obs. lib. II, cap. 20. — *Non licet hoc*. Lege cautum est, ne mares castrantur. — *Quid, etc.* An itaque nulla pœna mœchi mulctandi? et ipse Domitianus tulit legem contra adulteros.

## LXI.

IN MALEDICUM.

QUUM tibi vernarent dubia lanugine malæ,  
 Lambebat medios improba lingua viros.

1. Pulmanni codex habet: *tenera lanugine malæ*. Vid. var. not. — *Quum tibi*, etc. Acerbe invehitur in maledicum quemdam; qui quum antea fellator esset, deinde maledicentia famosus factus fuerat. — *Vernarent dubia lanugine*. Antequam

ex ephelis excessisses; juvenus, quasi vernum vitæ tempus. — *Dubia*. Dicitur illud *dubium*, quod nos reddit ancipites. Sic *dubia lanugo* ea est, quæ vix oculis percipitur. *Ramires*.

2. *Lambebat medios viros*, etc. Id

Postquam triste caput fastidia vespillonum,  
 Et miseri meruit tædia carnificis;  
 Uteris ore aliter, nimiaque ærugine captus,  
 Allatras nomen, quod tibi cumque datur.  
 Hæreat inguinibus potius tam noxia lingua :  
 Nam quum fellaret, purior illa fuit.

5

est, fellabas; lib. III, epigr. LXXXI. Veteres existimabant ad partes pudendas medium corporis altitudinis inesse; constat autem paulo superius assignandum ad umbilicum.

3. *Postquam*, etc. Postquam oris tui spurcissimi turpe ministerium cœpit fastidiri ab infimis hominibus, vespillonibus; et exosum esse abjectis carnificibus. — *Vespillonum*. Vespillo vocatur qui mortuorum cadavera e lectulo effert ad rogam; sic dictus a voce *vesperi*, quia sub noctem vulgo id fiebat.

5. Sunt qui legant: *miseraque aurigine*. Calderinus legit *rubigine*. — *Uteris ore aliter*. Impura tua lingua fit maledica; calumniis et conviciis involas in omnes, bonos æque ac malos. — *Ærugine captus*. Ma-

levolo livore. *Hic nigræ succus loliginis, hæc est Ærugo mera*. Horat. serm. IV, 1. Quemadmodum ferrum quod ferrugine capitur, omnino corrumpitur, sic qui in teterrimum totus delabitur vitium quo inficitur omnino, ærugine capi dicitur.

6. *Allatras*, etc. Quodcumque nomen tibi succurrit, et tuæ linguæ objicitur, hoc, latranti cani haud absimilis, maledicenter garriendo insectaris. ED.

7. *Pulmannus*, jam noxia lingua.

8. *Purior illa fuit*. Nam lingua ejus quum fellaret, non tam impura et mala erat, quamvis impurissima. Impura lingua dicitur maledici, et fellatoris quoque. Ex hac ambiguitate lepidus est jocus; lib. III, epigr. LXXX.

## LXII.

IN LABIENUM.

Quod pectus, quod crura tibi, quod brachia vellis,  
 Quod cincta est brevibus mentula tonsa pilis :

1. *Quod pectus*. Labienum pathicum urbane perstringit, ea occasione, quod crura, pectus, brachia, et mentulam velleret. Videri hoc poterat amicæ causa facere :

sed interrogat cujus causa culum etiam sibi depilet, quod facere non poterat, nisi ut pædiconum libidini acceptiorem se præstaret. *Ramiresius*.

Hoc præstas, Labiene, tuæ, quis nescit, amicæ.  
Cui præstas culum, quem, Labiene, pilas?

3, 4. Ant. de Rooy. legit: *Hoc præstas, Labiene, tuæ, quis nescit? amicæ.* (recte inducta interrogationis nota). Deinde: *Cui præstas, culum quod, Labiene, pilas?* In quibusdam

enim est quod pro quem. Pulmanni codex habet: *Cum vellis culum cui, Labiene, facis?*

4. Cui præstas, etc. Pædiconi scilicet.

## LXIII.

IN MILICHUM.\*

SOLA tibi fuerant sestertia, Miliche, centum,  
Quæ tulit e Sacra Leda redempta Via.  
Miliche, luxuria est, si tanti dives amares.  
Non amo, jam dices: hæc mage luxuria est.

\* In *Melichum* lemma est in Ald. Junt. et Colin. et in epigr. vers. 1 et 3 *Meliche*.

2. *Leda*. Alii putant Ledam hanc meretricem fuisse, et centum sestertia a Milicho amatore ei data fuisse; alii vero melius intelligunt servam, formæ vel ministerii causa emptam, quum subjiciat Milichus se non esse captum amore Ledæ; unde concludit Poeta, minus illum esse excusandum, qui nulla motus voluptate tantam pecuniæ summam profuderit. In Sacra Via servi et res aliæ vendebantur.

3. *Si tanti dives*. Nam impensis solis centum sestertiis quæ Mili-

chus possidebat, jam pauper erat factus; pauperi autem amare turpe est, ut supr. lib. I, epigr. xciii: « Denique pædica, Mamuriane, satur. » Et Salvianus Massiliensis episcopus, lib. VII, de providentia Dei: « Criminosior quippe est luxuriosa paupertas, et majoris est invidiæ miser nugator.... minus siquidem prodigiosum est peccare juvenes, peccare locupletes. » *Ramiresius*.

4. Beverlandi MS. hæc quoque; quod citat etiam Pulmannus. — *Hæc mage luxuria est*. Ut ad paupertatem devenias prodigendo rem universam in id, quod non amas.

## LXIV.

## IN TAURUM.\*

DUM modo causidicum, dum te modo rhetora fingis,  
 Et non discernis, Taure, quid esse velis :  
 Peleos, et Priami transit, vel Nestoris ætas,  
 Et fuerat serum jam tibi desinere.  
 Incipe : tres uno perierunt rhetores anno,  
 Si quid habes animi, si quid in arte vales.  
 Si schola damnatur; fora litibus omnia fervent :  
 Ipse potes fieri, Marsya, causidicus.

\* Taurus quidam erat cunctabundus huic Doranti, quem inducit *Destouches* in sua comœdia inscripta *l'Irrésolu*, haud absimilis, et de arte quam erat professurus multos per annos dubius ac anceps; hunc igitur, modo ad rhetoris, modo ad causidici munus se cogitatione accingentem, nec ulli manum admoventem monet Martialis ne apud inferos munus suum sit auspicatorum. Ed.

— In *Laurum causidicum* inscribitur in Thuan. In *Laurum*, Pulmannus.

1. *Dum modo*. Causas dicere in foro, vel in schola docere cogitas. Rhetor artem dicendi tradit; causidicus exercet.

2. *Laure* cod. Thuan. et Pulman.

3. Optimi libri habent : *transit*, et *Nestoris ætas*, nimirum produxit syllabam ex contractione pro *transiit*. Scriverius legit : *transi vel Nestoris annos*, pro *transisti* : et crebra sunt apud Martialem hujusmodi contracta verba; *surrexti*, *adduxti*,

etc. *transis* Pulmannus, qui legit etiam *annos*. — *Peleos*. Græcus genitivus. Peleus, pater Achillis longævus fuit, Priamus quoque, et Nestor, de quibus alias.

4. *Et fuerat serum*, etc. Tibi dubio, et utrum inires, deliberanti, jam ea obrepsit ætas, qua cogitandum erat de relinquendo inito, atque ita tardissimum est incipere.

5. *Incipe*. Ad rhetoris officium te accinge. — *Tres uno*, etc. Atque hinc, vel mediocribus professoribus vacant cathedræ. — *Perierunt*. Quorum ignorantur nomina.

7. *Si schola damnatur*. Si rhetoris officium non tibi arridet; rhetor enim is est, qui in schola rhetoricæ præcepta discipulos docet. — *Fora litibus*, etc. Fervet opus, esto causidicus.

8. *Potes*. Alii, *potest*. — *Ipse potes fieri*, etc. Marsya est vocativus casus, primæ græcæ declinationis; igitur lectionem *Ipse potest fieri* rejecimus, nec tamen sensum mutavimus, qui idem est sive de Mar-

Eia age, rumpe moras : quo te sperabimus usque ?

Dum, quid sis, dubitas, jam potes esse nihil. 10

sya loquatur, sive Marsyæ alloquatur ipsum Martialis. Ed. — Sensus est : Ipsa Marsyæ statua in foro stans, tam crebris causidicorum clamoribus tunditur, ut quamvis saxea dicendi artem callere possit; Lipsius antiquarum lectionum, lib. XIII. Ad Marsyæ statuam Romani vadimonia obibant. De Marsya, lib. X, epigr. LXII.

9. Codd. Thuan. et Vat. *speravimus*; Beverlandi MS. *sperabimus*; alii, *spectabimus*. Lib. Spect. epigr. XXIV, v. 5. — *Sperabimus usque*. Quousque spes tantum dabis, nec explebis? Jamdudum dicitur: Fiet

Taurus rhetor vel causidicus; quando dicetur tandem, causidicus vel rhetor factus est?

10. *Esse nihil*. In duplici hujus verbi ambiguitate ludit Martialis. *Esse nihil* significat *mori*, et *nullam artem amplecti exercendam*. Hujusmodi sunt hæ gallicæ locutiones: *Il n'est plus* (mortuus est); *Il n'est rien* (nihil agit.) Ed. — Igitur hic sensus est: Dum dubitas, quid genus vitæ sis amplexurus, vita te deficiet; et simul: dum dubitas quam artem sis professurus, decrescente ingenio, valetudine, ineptus fies ad ullam profitendam.

## LXV.

IN SALEIANUM.\*

CUR tristiozem cernimus Saleianum?

An causa levis est? Extuli, inquis, uxorem.

O grande fati crimen! o gravem casum!

Illa, illa dives mortua est Secundilla,

\* Ironice et irrisorie illudit Saleianum, quod, ficto ob uxorem mortuam dolore, tristior incederet, a qua tamen decies centena millia nummum dotis acceperat. *Ramiresius*. — Et dum videtur queri Martialis quod ei fatum uxorem abstulerit, revera queritur quod ei, improbo et indigno viro, tantam attulerit pecuniam. Ed.

— In *Saleranum* lemma est in edd. vett. In *Saletanum*, in aliis.

1. *Tristiozem*. Id est, tristitiæ simulatorem.

2. *An causa*, etc. Hoc versu Saleiani respondentis verba continentur. — *Extuli*. Proprium funeris verbum, id est, ad rogam deponari jussi, et sepeliri.

3. *O grande fati crimen!* etc. Hæc sunt quæ refert Martialis, ut videtur, fortunæ crimini vertens, quod viduum Saleianum fecerit, sed contra, ut intus ipse putat,

Centena decies quæ tibi dedit dotis?  
Nollem accidisset hoc tibi, Saleiane.

5

quod eum fecerit divitem. ED. — *Crimen*. Quod in veris doloribus accidebat, hic in ficto fingit Poeta: fortunam enim et fatum et deos ipsos accusabant Veteres, ut supr. lib. I epigr. XIII: « Nimirum timuit nostras fortuna querelas. »

5. *Centena decies*. Subaudi, *millia sestertium*, nostræ monetæ centum millia francorum. Porro, ut recte notat Ramiresius, hæc summa in genere pro maxima dote vulgo ponebatur; imo quoties magnam pecuniæ vim significabant, certo isto numero utebantur Veteres pro incerto. — *Tibi dedit dotis*. Mortua in matrimonio muliere, dos a

patre profecta ad patrem revertitur, at quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater non sit, apud maritum remanet. Adventitia autem dos penes maritum remanet, præterquam si is qui dedit, *ut sibi redderetur, stipulatus sit*, etc. Ulpianus in suis fragmentis, titulo VI, de Dotibus.

6. *Nollem accidisset*. Idem jocus qui jam in versu tertio. Videtur enim hic versus sonare, Nollem te uxorem amisisse; sed revera significat: Nollem tibi tantam hæreditatem obtigisse, nempe tam immerito. ED.

## LXVI.

IN LALAGEN.\*

UNUS de toto peccaverat orbe comarum  
Annulus, incerta non bene fixus acu.  
Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est,

\* Morosam depingit matronam, quæ, compta ab ancilla ornatrice, quum animadvertisset in unico annulo cirrorum peccatum fuisse; ira accensa, eodem speculo, quo id animadverterat, in Plecusam ornatricem animadvertit tanta sævitia, ut sectis comis et fracto capite misera Plecusa graviter vulnerata ad humum ceciderit.

1. *Peccaverat*. Non erat in ordine. — *Orbe*. Circulus multos

annulos continens, vocatur orbis.

2. Heraldus legit *inserta*; ita olim Salmas. ad Solin. p. 760. — *Annulus*. Cincinnus, crobylus. — *Incerta*. Quæ crines non fideliter constringit, sed extra locum defixa est. — *Acu*. Acu crinali qua comuntur mulieres.

3. *Hoc facinus Lalage, speculo quod viderat, ulta est* in edd. vett. Ald. Junt. Colin. etc. — *Hoc facinus*. Errorem nimirum Plecusæ

Et cecidit sectis icta Plecusa comis.  
 Desine jam, Lalage, tristes ornare capillos, 5  
 Tangat et insanum nulla puella caput.  
 Hoc salamandra notet, vel sæva novacula nudet,  
 Ut digna speculo fiat imago tuo.

ornatricis in componendis capillis perinde ac delictum puniit furens Lalage, ornatricis capillos vellens, et caput speculo contundens. Juven. Sat. VI, v. 491: «Componit crinem laceratis ipsa capillis, Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis. Altior hic quare cincinnus? taurea punit Continuo flexi crimen, facinusque capilli.» Morosæ enim erant erga ornatrices suas matronæ istæ. Et deformitatem suam, quam dum comebantur et ornabantur, speculo sese contemplantes, inspectabant, ancillarum suarum indigna pœna, quædam ulciscabantur. Hoc est cur Juvenalis, loco supra citato, lepide addat: «Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ, Si tibi displicuit nasus tuus? ED. — Quo viderat. In quo speculo viderat abnormem capillum.

4. Beverlandi MS. sævis jacta Phlegusa: sed Plecusa rectum est; i. e. ancilla πλέκουσα, quæ plicat et componit crines. — Et cecidit. Non quidem interfecta est, sed humi procubuit graviter læsa ictu speculi. — Plecusa. Ornatricis ancilla a πλέκειν, texere, sicut Psecas Ovidio et Juvenali a ψεκάζειν, concinnare.

5. Desine tam Pulmannus, Langius, alii. — Tristes, etc. Tristitiæ et verberum causas. Metonym.

6. Tangit MS. Beverlandi. —

Insanum, etc. Ob pilum conturbatum desæviens.

7. Idem MS. nuda novacula. — Salamandra. Genus est lacertæ quod ignem ipsum exstinguere dicitur, et in eo vivere illæsum, adeo frigidæ naturæ est. Ejus virus sive saliva hanc vim habet, ut omnes pilos corporis evellat. Plin. lib. X, cap. 67; et Petron. Arb.: «Quæ salamandra supercilia tua exussit?» Optat igitur impotenti mulieri defluvium vel tonsuram capillorum Martialis.

8. Dignior ut speculo codex vetus Cagnerii, qui vulgatam non ferendam esse pronuntiat. — Ut digna speculo. Quid hic sit intelligendum, in dubio relinquunt variæ interpretum sententiæ; alii intelligunt: Ut quo speculo ornatrici dissecuisti comas, et tu tibi omnes dissectas in eodem conspexeris. Tam crudele enim speculum non meretur nisi deformes repræsentare imagines; nihil autem turpius est calva muliere. Alii autem: Ut calvum caput tuum æque reddatur leve ac speculum, quo imaginem tuam videris. Judicet lector peritus: nec facile est sensum probabilem inde elicere. Intelligerem forsitan: Opto, Lalage, ut tibi frangatur caput, sicut fregisti speculum. ED. Ultima syllaba vocabuli digna producitur, propter sequentes duas consonantes.



## LXVII.

IN POSTHUMUM.\*

OCCURRIS quocumque loco mihi, Posthume, clamas  
 Protinus, et prima est hæc tua vox, Quid agis?  
 Hoc, si me decies una conveneris hora,  
 Dicis : habes puto tu, Posthume, nil quod agas.

\* Officiosam Posthumi inertiam deridet, cujus unicum videbatur negotium alios rogare quid agerent, quod erat signum eum nihil habere quod ipse ageret.

2. *Quid agis.* Hac scilicet formula obvios salutabant Antiqui. Plinius Secundus, lib. III, epist. 20:

« Et Hercule, quousque illa vulgaris? Eho quid agis? Ecquid comode vales? » Vid. Brisson. lib. VIII, de Formul.

3. Langius ex ed. Pulmanni citat: *Hoc mihi, si decies una conveneris hora*: citat etiam, *cum veneris hora*.

## LXVIII.

AD OLUM.\*

QUOD te nomine jam tuo saluto,

\* Ut Prisci (lib. I, epigr. cxiii), et Cæciliani (lib. VI, epigrammate lxxxviii), sic in hoc epigr. Oli se clientem esse recusat Martialis, et idem sapientiæ præceptum quod jam poetico vestitu ornavit (epigr. lxxxiii supr.) iterum tractat; scilicet, eum qui sibi imperat, aliis non servire; quia paupertate sua contentus, vacat cupiditatibus, quas explere non possit nisi pecuniam ab amico potenti per adulationes erogando. ED.

1. *Nomine jam tuo.* Salutare proprio nomine æqualium erat, vel

superiorum, ad conciliandam vel confirmandam gratiam. Unde candidati, seu petitores magistratum, plebeculæ hominem quemque proprii nominis salutatione demulcebant. Hinc mirabile illud *nomenclatorum*, quos etiam monitores vocabant, ministerium, de quo multa apud Veteres mentio: nomenclatores, quos Horatius gratiæ conciliandæ instrumentum existimat, nimirum magno debebant esse usui huic rhetori de quo mentio lib. V, epigr. liv, et ejus similibus.

Quem regem et dominum prius vocabam ,  
 Ne me dixeris esse contumacem :  
 Totis pilea sarcinis redemi.  
 Reges et dominos habere debet ,  
 Qui se non habet , atque concupiscit ,  
 Quod reges dominique concupiscunt.  
 Servum si potes , Ole , non habere ;  
 Et regem potes , Ole , non habere.

2. *Quod regem Beverlandi MS.*—  
*Quem regem et dominum.* Vid. sup.  
 epigr. XVIII, v. 8.

3. *Non me Beverlandi MS.* —  
*Contumacem.* Non superbum me  
 esse dixeris et quasi rebellem; sed  
 potius mei compotem, et ambitio-  
 nis expertem. ED.

4. *Totis pilea sarcinis*, etc. Spor-  
 tulæ, cœnarum, etc. jactura liber-  
 tatem comparavi; hanc omnibus  
 servitutis præmiis potiore ducō.  
 Intelligit Ramiresius: Sarcinulas  
 meas vendidi, ut corrassa inde pe-  
 cunia possem sportulæ tuæ supplere  
 vicem. — *Pilea.* Antiquitus servi  
 statum mutantēs, ac manumissi ca-  
 pite raso pileum accipiebant. Plau-  
 tus in *Amphitryone*: « Quod ille  
 faciat Jupiter, Ut ego hodie raso  
 capite calvus capiam pileum. » Hæc  
 sunt servi Sosiæ verba qui optat  
 manumitti.

6. *Qui se.* Is dicitur se habere,  
 qui suas cupiditates coercet.

7. *Quod reges concupiscunt.* Di-

vitias, servos, clientes. Hæc vero  
 ut acquirant domini, majoribus  
 serviunt dominis, ut hodie no-  
 biliores aulici. Ego vero, inquit  
 Poeta, me habeo, et nihil quæro  
 aliud.

8. *Servum si potes*, etc. Ex istis  
 saluatoribus et anteambulonibus  
 fastuosum suum colentibus regem,  
 pars erat quibus, ad necessaria  
 emenda, utilior erat sportularum  
 proventus; pars, quibus ad super-  
 vacanea tantum sibi paranda ille  
 suppetebat. Erant enim miseri cli-  
 entes quibus, ut ait Juven. Sat. I:  
 « Hinc toga, calceus hinc est, Et  
 panis fumusque domi »; erant au-  
 tem alii rem quamdam per se fa-  
 miliarem habentes, et sportulas ta-  
 men accipere non erubescerent,  
 unde suis indulgerent deliciis, ser-  
 vorum operas, clientium turbam  
 ipsi emerent, etc. — Quibus rebus  
 si carere vellent, et rege carere po-  
 terant. Videatur lib. IX, epigr. XI,  
 vs. 4. ED.

## LXIX.

IN CLASSICUM. \*

INVITUM cœnare foris te, Classice, dicis :  
 Si non mentiris, Classice, dispeream.  
 Ipse quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire :  
 Quum cœnaret, erat tristior ille, domi.  
 Si tamen invitus vadis, cur, Classice, vadis? 5  
 Cogor, ais : verum est; cogitur et Selius.  
 En rogat ad cœnam Melior te, Classice, rectam.  
 Grandia verba ubi sunt? si vir es, ecce, nega.

\* Classicum cœnipedam tangit qui maxime convivia expetebat, ita tamen loquebatur quasi minime expeteret. Vid. Sidon. lib. III, epist. 3. Ed.

2. *Dispeream*. Formula adjuvantis, apud Romanos usitata. Ed.

3. *Ipse quoque*, etc. Sensus est : Si princeps ille helluonum Apicius (de quo lib. III, epigr. xxii), quamvis ditissimus, et luxuriosissime domi cœnans, gaudebat ad cœnam invitari, cur tu, pauperior, et male domi cœnaturus, non gaudeas? Ed.

4. *Ant. de Rooy* pro ille proposuit *inde*, quod interpretatur *ex hoc* vel *propterea*. Vid. Burm. ad Ovid. Fast. IV, 237. — Ita ordinata voces : erat ille tristior, quum cœnaret domi.

6. *Cogor*. Ab amicis, inquit Classicus. — *Cogitur*, etc. Gula nempe cogit vos. De Selio dictum epigr. xi, xiv, et xxvii supr. *Cogi* latine dicitur is qui vi aliena contra voluntatem suam, vel qui voluntate sua pertinaci ad rem du-

citur. Vid. ad Terent. in Andria, act. IV, scen. 1.

7. *Melior*. Cujus tanta fuit mensæ elegantia, ut nitidus fuerit appellatus. Stautus, Sylv. lib. II, de arbore Atedii : « Stat quæ perspicuas nitidi Melioris opacet Arbor aquas. » — *Rectam*. Civilem, honestam, qua cum patronis clientes accumbabant olim, antequam daretur sportula, quæ in locum cœnæ rectæ fuit substituta. Suetonius, in Domitiano, cap. 7 : « Sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine. » Lib. VIII, epigr. L.

8. *Ant. de Rooy* legeret : *Grandia verba ubi nunc?* Solent enim frequentius in ejusmodi increpatione adverbium *nunc* vel *tunc* adhiberi. Virg. Æn. V, 391; X, 897; et Ovid. Heroid. epist. IV, 150. Porro, pro *ecce nega*, malit *ire nega?* præsertim quum jam *en* versu proximo præcesserit. — *Grandia*. Te scilicet invitum cœnare foris. — *Si vir es*. Si gulam cohibere potes, dic te nolle ad cœnam Melioris ire.

## LXX.

IN COTILUM.\*

NON vis in solio prius lavari  
 Quemquam, Cotile : causa quæ, nisi hæc, est?  
 Undis ne fovearis irrumatis.  
 Te primus licet abluas, necesse est,  
 Ante hic mentula, quam caput, lavetur. 5

\* Hujus epigrammatis lectionem non variant membranæ aut libri typographici.

1. *Non vis.* Cotilum fellatorem alios fastidientem, et qui nolebat quemquam prius in solio lavari, notat; et docet spurciorem eum esse, quam quemvis alium. *Ramiresius.* — *In solio.* Vid. epigr. XLII, supra, ubi quid sit *solium* et in quem usum, disputatur. Ed.

4. *Te primus.* Cotilus formidabat aquas irrumatas; in quibus scilicet alii lavissent mentulas; ne igitur irrumatæ sint, lavet ipse primus; sed hac lege, ut potius obscenas partes, quam caput in solio abluat, quod fellantes os habent spurcum. Lib. XI, epigramma xCVI.

5. *Caput.* Hoc enim illa contaminatus.

## LXXI.

AD CÆCILIANUM.\*

CANDIDIUS nihil est te, Cæciliane; notavi.  
 Si quando ex nostris disticha pauca lego,

\* Cæcilianum veteratorem callidum carpit facetissime, qui quoties aliqua carmina Martialis legerentur, continuo ea cum similibus Marsi vel Catulli versibus comparabat, tanquam si Martialis carmina illis præferret. Dicit, malle se, ut Cæcilianus recitet sua, quam illorum veterum poetarum. Totum

autem id epigramma per ironiam contextum est. *Ramires.*

1. *Callidus nihil est* in codice Thuan. librarii errore pro *Callidius*, ut alii legunt. — *Candidius.* Ironice. *Candidus* enim ille dicitur, qui ingenuæ et absque invidia judicat. — *Notavi.* Id sæpe observavi.

2. *Alii legis.* Codex autem Arond.

Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli.

Hæc mihi das, tamquam deteriora legas.

Ut collata magis placeant mea? credimus illud.

Malo tamen recites, Cæciliane, tua.

quem probamus exhibet, *lego*. Ed.

3. *Marsi*, qui epigrammatum scriptor fuit non ignobilis. Vide epistol. lib. I; et lib. V, epigr. v.

4. *Hoc mihi codd.* Put. et Arondell. probante Heraldus. — *Hæc mihi das.* Gallice, *Tu me les donnes pour mauvais*. Ed. — Alii legunt *Hoc mihi das*, et intelligunt: *Hoc facis in meam gratiam*, ita mihi adularis.

5. *Et collata* cod. Arondell. *Ut collata magis placeant mea* sine interrogatione Heraldus. Verba, *et, ut*, sæpe permutantur. Vide Drakenb. ad Liv. Tom. III, p. 409, et quos laudat idem Drakenb. ad Sil. Ital. v. 217. — *Credimus*. Per ironiam subjicit Poeta, Credo te eo fine et animo veterum poemata recitare,

ut, meis collata, deteriora videantur. Revera hoc facis, ut mea præiis sordescant, quasi majori lumine offuscata; enim vero, ut eorum ingenium prætermittatur, hoc saltem habent, quod antiqua sunt; homines autem invidia moti vetera præsentibus præponunt, et opera vivorum poetarum reprehendunt, non alio nomine quam quod nova sunt.

6. *Malo tamen*, etc. Facete hoc ambiguo sensu dictum; id est, Malo me honorari prælatum tibi quam Marso et Catullo; sed revera malo, ut tua pessima carmina recites, in meorum contemptionem, quam elegantissima illa Marsi et Catulli; his enim procul dubio mea magis placebunt.

## LXXII.

### IN POSTHUMUM.

HESTERNA factum narratur, Posthume, cœna,

Quod nollem: quis enim talia facta probet?

1. *Hesterna*, etc. Præ se fert dolorem, audito quam indigne exceptus sit Posthumus a Cæciliano, qui colaphum illi in os impegerit, quum interim verbis alienis exprobraret illi turpe crimen fellationis, et deflectat ad improbum sensum

hæc verba *præcisum*, vel *percisum*. Vide lib. IV, epigr. XLVIII, et lib. XII, epigr. xxxv. *Rumor pro irrum*, ut lib. III, epigr. LXXII, LXXIX et LXXXVI. *Factum*, supr. epigr. xxxi; *testes* sensu etiam obsceniori: similis est jocus in Amphitryone.

Os tibi præcisum, quanto non ipse Latinus  
 Vilia Panniculi percutit ora sono :  
 Quodque magis mirum est, auctorem criminis hujus 5  
 Cæcilium tota rumor in urbe sonat.  
 Esse negas factum : vis hoc me credere? credo.  
 Quid quod habet testes, Posthume, Cæcilius?

3. *Os tibi præcisum* Junt. anno 1512; Colin. anno 1528; Plant. 1579; Lang. etc. *Os tibi percisum* Ald. Turnebus, lib. VII, cap. 12; Scal. in *Catalecta Virgilii*; Gruter. Ramires. Scriv. Farnab. et Schrev. De permutatione *præ* et *per*, quæ plerumque litera *p* in codd. notare solebant librarii, quamvis signum adderetur, quo distingui facilius possent, vide nos ad Tibull. I, 10, 68; III, 1, 11, et III, 3, 9; Interpp. ad Virg. *Æn.* I, 721; II, 566; ad Justin. XXVIII, 2, 5; Arntzen. ad Catonis disticha, pag. 146; Burm. ad Anthol. lat. tom. II, p. 627; et Drakenb. ad Sil. VI, 43. Anton. *de Rooy* malit: *Os tibi percussum*; haud ingrata ejusdem

vocis repetitione. Vid. lib. VII, epigr. xcrv; et Ovid. *Metam.* III, 330, ed. Basil. — *Os tibi præcisum*; alii *percisum*. Percidere enim est batuere, tundere. Turnebus, lib. VII, cap. 12. — *Quanto*, etc. *Majore sono*, quam ubi Latinus ille mimus alapis cædit ministrum suum. Juven. Sat. VI: « Qua sorbeat aera sanna. » — *Latinus Vilia Panniculi*. De Latino diximus lib. I, epigr. v, cui Panniculus minister erat ad risum conciliandum, sinebatque se alapis percuti a Latino. Lib. V, epigr. lxi: « O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini! Te successurum credo ego Panniculo. » — *Testes*. Jocus est in ambiguitate sensus hujus vocis. ED.

## LXXIII.

IN LYRIM.

QUID faciat vult scire Lyris : quid? sobria fellat.

1. Alii legunt : *Quid faciat, vis scire Lyris?* Musambertius : *Quid faciat vis scire Lyris quoque sobria? fellat.* Junt. et Colin. *quod sobria.* Huic versui pentametrum subjicit codex Bodleianus : *Gaudeo : quid facies ebria facta Lyris?* — Si hanc

retinemus lectionem intelligemus, Lyrim, quæ ebria antea fellabat, sobriam fellavisse, ut suæ mentis compos, sciret quid faceret. — Si legimus : « *Quid faciat vis scire, Lyris? quod sobria : fellat* », intelligemus : *Vis scire quid faciat*

Lyris, quum ebria est? nil aliud quam quod facit quoque sobria: fellat. — Denique si legimus: « Quid faciat vis scire Lyris: quid? sobria fellat », intelligemus: Vis scire quid faciat Lyris? fellat sobria; immo magis ebria. — Si legimus hunc versum ut Musambertius: *Quid faciat vis scire Lyris quoque sobria? fellat*, intelligemus quasi diceret: Illa se videri vult ebriam tantum hoc facinus facere (ut Aristoph. *Vespis*); sed idem opus etiam sobriæ.

## LXXIV.

IN SAUFEIUM, FICTUM DIVITEM.\*

CINCTUM togatis post et ante Saufeium,  
 Quanta reduci Regulus solet turba,  
 Ad alta tonsum templa quum reum misit,  
 Materne, cernis? invidere nolito.  
 Comitatus iste sit, precor, tuus nunquam.

\* Consonat huic epigrammati epigr. LVII supr. Depingit in eo fastuosum incessum et comitatum Saufeii cujusdam ambitiosi pauperis, sua bona fœneratoribus oppignerantis, ut anteambulones haberet et pedisequos. Mittitur epigr. ad Maternum nobilem oratorem hujus ætatis, de quo plurima mentio apud Plinium juniorem, et in eo Dialogo de causis corruptæ eloquentiæ, qui tribuitur Quintiliano. Vide quoque lib. X, epigr. xxxvii, et supra epigr. LVII.

— In *Saufellum* inscribitur in edd. vett. *Ad Maternum* Ramires.

1. *Togatis*. Clientibus, toga indutis honoris causa. ED. — *Post et ante*. Anteambulonibus, lateronibus, pedisequis.

2. Legitur in editione Junii *sola turba*, pro *solet turba*; operarum manifestus error. — *Quanta reduci*. Sensus est: Vide Saufeium cinctum

turba tanta quanta cingitur Regulus, quum clientes innumeri e tribunali reducem, ubi ejus eloquentia absolutus fuit reus quidam, comitantur, et domum deducunt. ED. — *Regulus*. Causidicus, amicus Martialis, qui in eum benignus. Vid. lib. I, epigr. XIII, LXXXIII et CXII. De ejusdem autem facultate dicendi, deque mala mente et malo animo, multa legere potes apud Plinium. — *Turba*. Lib. I. Oratores vero clari et victores domum e foro deducebantur a populo et amicis reorum absolutorum.

3. *Tonsum*. Rei qui pendente judicio sordebant squalidi capillis et barba promissa, ubi absoluti erant, tondebantur, mutatisque vestibus uncti Capitolium ascendebant, Jovi gratias ex voto acturi, stipante amicorum quoque uncta et tonsa corona. Vid. epigr. xxiv supr. vs. 1 et 2. ED.

Hos illi amicos, et greges togatorum,  
Fusciculus præstat, et Faventinus.

7. *Ruriculum Beverlandi MS.* sciculus et Faventinus prædia  
— *Fusciculus et Faventinus.* Duo aut vendita aut pignori data, ut  
fœneratores, a quibus mutuam pec- esset unde adulatoribus his satis-  
cuniam acceperat Saufeius, qua faceret; nam prædiorum potius  
hunc togatorum comitatum condu- quam fœneratorum nomina sunt.  
ceret. Epigr. LVII supr. Vel *Fu- Heraldus.*

## LXXV.

DE LEONE CICURE, AD FERITATEM REVERSO.\*

VERBERA securi solitus leo ferre magistri,  
Insertamque pati blandus in ora manum,  
Dedidit pacem, subito feritate reversa,  
Quanta nec in Libycis debuit esse jugis.  
Nam duo de tenera puerilia corpora turba,  
Sanguineam rastris quæ renovabat humum,  
Sævus et infelix furiali dente peremit.

\* Arena amphitheatri sanguine ferarum et gladiatorum cruenta, de more a pueris renovabatur. Vagabatur in eadem domitus et cicur leo, qui tamen subito datus in pristinum furorem, pueros invasit, et duos eorum miserabiliter in conspectu omnium laceravit.

— *De Leone et Pueris* est lemma in codice Thuaneo. In aliis: *De Leone.* Reliqua adjecimus.

1. *Securi magistri.* Nihil metuentis. Vide lib. Spectac. epigr. x et xviii.

3. *Et didicit Beverlandi MS.*

4. *Quanta nec*, etc. Ad feritatem reversus est, et quidem majorem quam habuit ante, dum montes per

Libycos vagaretur. ED.—*In Libycis.* Montibus Libyæ leonum nutricis. In Libya est Gætulia ubi ferocissimi nascuntur. Virg. Æn. V, 351: « Gætuli tergum immane leonis. »

5. *Nam duo de tenera.* Duos e pueris theatralibus ministris, qui amphitheatri arenam, sanguine humano et ferino (lib. Spect. epigramm. xi, v. 1) cruentam, versando rastris renovabant injecta super nova arena, ne lubrica, et ad standum pugnandumque instabilis pedes decertantium falleret ancipites.

7. *Furioso dente* in Beverlandi MS. — *Sævus et infelix.* Sævus, præter expectationem; et infelix,



Martia non vidit majus arena nefas.  
 Exclamare libet : Crudelis, perfide, prædo,  
 A nostra pueris parcere disce lupa!

10

quia tristis facinoris tristis auctor  
 innocios mactavit pueros, vel quia  
 ipse postea interfectus est.

8. *Martia arena.* In qua tamen  
 cædes quamplurimæ perpetraban-  
 tur. *Martia* dicitur, vel quia Marti  
 sacra et pugnis gladiatorii conse-  
 crata; vel quia Romana, ut lib. I,  
 epigr. iv, vs. 4.

9. *Exclamare libet.* Vid. lib. X,  
 epigr. xxxi, vs. 5, ubi eadem for-  
 mula.

10. *Nostra lupa.* Quæ non modo  
 Romulo et Remo infantibus peper-  
 cit, sed ipsos uberibus admotis nu-  
 trivit. Hæc historia satis nota est  
 ex Plutarcho in Romulo, Livio,  
 Flor. et aliis.

## LXXVI.

DE MARIO.

ARGENTI libras Marius tibi quinque reliquit.  
 Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

1. *Argenti libras.* Ab instituto  
 hærede Marius hæredipetæ, cujus  
 nomen ignoratur, reliquit tantum  
 quinque libras argenti, unde de-  
 ceptus est, relicto nempe exiguo  
 quinque librarum argenti legato,  
 quum totam hæreditatem expecta-  
 ret captator ille. In eo jocus est,  
 quod quum verba tantum, non  
 munera, Mario dedisset captator,  
 vicissim Marius verba dedit, seu  
 illum spe sua frustravit. *Verba dare,*  
 latine est *decipere.* Vide Ovid. de  
 Arte Amandi, v. 166. — Vel  
 etiam intellige Marium non solven-  
 do esse propter grande æs alienum,  
 et ideo inane esse relictum ab eo

legatum. Ed. — Sed longe diver-  
 sus est, quem Ramiresius adoptavit,  
 sensus, scilicet: Marium semper  
 neglexeras incultum, nec muneri-  
 bus missis ejus captabas hæredita-  
 tem; igitur quum te hæredem in-  
 stituit, tibi *verba dedit*, id est, te  
 decepit nihil simile expectantem.  
*Verba dare* enim est præstare ali-  
 quid quod præter spem accidit:  
 qui sensus non nobis insulsus vi-  
 detur: judicet lector. Ed.

2. Nonnulli codices habebant:  
*Cui nihil, Isse, dabas*, ut *Isse* sit  
 proprium nomen, quod non displi-  
 cet Calderino. Pro *is tibi*, codd.  
 Vat. et Thuan. exhibent, *hic tibi.*

## LXXVII.

IN COSCONIUM.\*

COSCONI, qui longa putas Epigrammata nostra,  
 Utilis ungendis axibus esse potes.  
 Hac tu credideris longum ratione colossum,  
 Et puerum Bruti dixeris esse brevem.  
 Disce, quod ignoras : Marsi doctique Pedonis

\* Inepto cuidam censori Cosconio Martialis numeranti potius quam ponderanti versus, et ipsius epigrammata longiora existimanti, respondet Poeta, non bene dici *longiora* vel *breviora* quaecumque justa suarum partium proportione congruenter concinnantur; sic et Plinius, lib. V, epist. 6: « Vides quot versibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Æneæ, Achillis ille describat; brevis tamen uterque, quia facit quod instituit. Ed.

— Hic nulla lectionis varietas invenienda est in exemplaribus scriptis aut impressis.

2. *Utilis ungendis.* Quum tantopere celeritatem ames, melior esses auriga quam poeta, et currum, ungero illius rotas, facilius incitares, quam versum duceres. — Vel: homo es ita pinguis et obesus (id est, ita stolidus et hebes), ut adhiberi possis loco unguinis et adipis vice, ad ungendas rotas. — Hunc sensum adoptat Ramiresius, et stultum quemque a Veteribus pinguem et crassum vocari multis confirmat exemplis: ita Horat. Serm. lib. I, 3, 58: « Tardo cognomen pinguis damus. » Ed.

3. *Hac ratione.* Qua tu censes longa esse mea epigrammata, ita dices longum esse colossum, qui longus esse nequit, quum habeat suam proportionem. Vid. lib. Spect. epigr. II, vs. 1.

4. *Et puerum Bruti.* Statuam a Strongylione statuario factam, ad imaginem pueri a Bruto amati, qui formosissimus fuit, sed exiguæ staturæ, nec tamen parvus dici debet, utpote qui membra habeat suæ mensuræ convenientia. Lib. IX, epigr. LI; lib. XIV, epigr. CLXXI; et Plin. lib. XXXIV, cap. 8. — *Bruti.* Decimi Bruti, Cæsaris percussoris, qui se post Philippensem pugnam, in qua ab Antonio et Octavio victus est, interemit. — *Brevem.* In utroque autem signo laudis summa est propter symmetriam: in hac brevitatis, quæ puero, in illo altitudinis, quæ imperatori Deo convenit. Vide Plin. Hist. nat. lib. XXXIV, cap. 8. Ed.

5. *Marsi doctique Pedonis.* Poetæ nempe egregii fuerunt, qui vel unum epigramma duabus paginis absolvebant. De Marso supra dictum epigram. LXXI, vs. 2; et lib. VII, epigr. xcviII, vs. 5. Pedonis

Sæpe duplex unum pagina tractat opus.  
 Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis;  
 Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

vero Albinovani, epigrammatum auctoris celeberrimi, restat consolatio ad Liviam, quæ et Ovidio a quibusdam adscripta circumfertur.

6. *Sæpe duplex.* Sæpe unum epigramma binas implet paginas.

8. *Sed tu.* Qui nec venuste quidquam, nec argute dicere potes. Brevis vero est ille Poeta, qui facit quod instituit, quum nempe dicit apte pro subjecta materia; longum vero vel unum distichum videri potest, in quo aliquid super-

fluum est. Cosconii disticha mala nempe hoc sensu longissima esse intelligit, quia laxa et fastidiosa. Vid. lib. XIV, epigramm. cccii. — Raderus etiam intelligit; Quia tota vita laborasti, nec unum distichon absolvisti, et edidisti. Malo priorem sensum; nam vocat *longa* Cosconii *Disticha* per oppositionem eorum quibus nihil demi potest. Significat igitur multa ex istius epigr. recidi recte posse, quæ nempe largiori vena profluant. ED.

## LXXVIII,

AD CÆCILIANUM.\*

ÆSTIVO serves ubi piscem tempore, quæris?  
 In thermis serva, Cæciliane, tuis.

\* Neque in hoc epigrammate quidquam variant membranæ aut libri typis excusi.

2. *In thermis.* Thermæ sunt balnea calida, a calore (qui græce θερμη) sic denominata; thermæ autem Cæciliani adeo erant frigidæ,

ut vel æstate pisces a corruptione vindicare possent. Ideo fingit Poeta se a Cæciliano interrogari, ubi servare pisces possit per æstatem, et illum inexpectato responso carpit festive et irrisorie castigans ob thermarum frigiditatem.

## LXXIX.

IN NASICAM.\*

INVITAS tunc me, quum scis, Nasica, vocasse.  
Excusatum habeas me, rogo : cœno domi.

\* Si nostram lectionem retineamus, sic intelligemus : Quum scis, o Nasica, domi me amicis instruxisse cœnam, tunc me invitas; ut scilicet tu ipse inviteris. Sed Poeta, quasi non intellecta mente Nasicæ, subdolum cœnippetam deludit, respondendo tantum : excusatum me habeas, domi cœnam amicis apparavi. — Si autem legimus *vocatum*, sic intelligemus : Quum me vocatum ab aliquo comperis, protinus me invitas, sciens me non iturum. Quod artificium a me deprehensum ut scias, tibi hodie, quasi me invites, irrisorie antevertens respondeo, *Cœno domi* : id est, parce metu, non tibi rem faciam molestam; sordidi convivoris mensæ

meam præpono mensam; nec ire volo, etiamsi velles, et possim. Ed.

1. Ed. antiquiss. Ferrar. anno 1471; Venet. Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. aliæ vett. *vocatum*, pro quo Scriv. reposuit *vocasse*. Ant. de Rooy distinguere malit : *Invitas tunc, me quum scis, Nasica, vocasse*. Sic infr. lib. IV, epigr. LXVIII, eodem modo *invitare* absolute : « Invitas centum quadrantibus. » Lib. VIII, epigr. xxii : « Invitas ad aprum. » Lib. IX, epigr. ciii : « Denariis tribus invitas. »

2. *Cœno domi*. Jocus ab inexpectato; si quidem excusatio non in domicœnio, sed in aliena invitatione vulgo fit.

## LXXX.

DE FANNIO.\*

HOSTEM quum fugeret, se Fannius ipse peremit.  
Hoc, rogo, non furor est, ne moriari, mori?

\* Fannius Cæpio, proscriptus quod in Augustum conjurasset, quum fugeret percussores, se ipse interemit, ne interimeretur, et mortem morte redemit. Seneca, epist. 58 : « Sic mori vinci est. »

1. *Fannius*. Quem irridet, quod

metu mortis ipse sibi mortem consciverit. De hac voluntaria morte, aut potius de hoc furore, diximus lib. I, epigr. ix.

2. *Hoc Pulmannus*. Alii *hic. Num furor est* MS. Beverlandi. *Moris* Junt. ann. 1512.

## LXXXI.

IN ZOILUM.

LAXIOR hexaphoris tua sit lectica licebit :  
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

1. Per me licebit, o Zoile, ut tua lectica sit laxior et amplior quam illæ quæ a sex bajulis portantur; et ita te divitem fingas, non invidebo; modo eadem in lectica mortuus efferaris, in qua gestaris vivus; hoc est, brevi mortuum te videam. — *Hexaphoris*. Lectica quæ gestatur a sex famulis (ἕξ, *sex*; φέρω, *porto*.) — *Lectica*. In ea gestabantur vivi, et efferebantur mortui, maxime nobiles ac divites; pauperes vero in sandapila, quæ est plebeium feretrum. Suetonius in Domitiano, cap. 17, « Cadaver ejus populari sandapila per vespiliones exportatum. » In vetusto codice sic legitur ultimus versus : *Quum tamen hæc tua sit, Zoile; sandapila est*. Argute quidem, quum vivum cadaver videretur Zoilus.

2. Inveni in MS. *Quum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila est*. Et

ita scripsit Martialis. *Gronov.* Sic erat etiam in vet. cod. Pulmanni. Inde poeta intelligeret lecticam fastuosi Zoili laxam, maxime videri posse sandapilam, quum et pauper sit et strigosus, et vivo cadaveri persimilis. Alii sic exponunt. Tu, Zoile, velut e lautioribus unus, tum lectica ampla et magnifica circumferis a sex lecticariis, quum dignus sis sandapila seu feretro: nihil enim es præter vivum cadaver; immo jam tum non ferri, sed efferi videris, adeo squalidum, emortuum, turpe et fædum habes corpus, vel potius cadaver. *Raderus*. — Nec Raderi explicationem prorsus abjiciendam puto: nam hæc macies tetra, iste lividus et fædus corporis habitus apprime invido homini, ipsius invidiæ archetypo conveniunt, ita ut poetæ non aliis coloribus Invidiam pinxerint. *Ed.*

## LXXXII.

AD PONTICUM.

ABSCISSA servum quid fingis, Pontice, lingua?  
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

1. *Abscissa servum fugias quid* Junt. anno 1512, et Colin. anno 1528. *Abscissa servo* Beverlandi MS. Ant. *de Rooy* putat scribendum omnino, *Abscisa*. Vide Arntzenium ad Victor. epit. cap. 23. Reddendum et hoc verbum infra lib. III, epigr. LXXXV: « Quis tibi persuasit nares abscidere mœcho: » ubi itidem *abscindere* circumfertur. Et Senecæ, de Ira, I, 15: « Num quis membra sua odit tunc, quum abscidit? » ubi, vulgo, *abscindit*. Hinc Anon. in epist. crit. ad eundem Ant. ita scribit: « Primæ voci maculam tu abstersisti; liceat mihi quartam sanare; faciam id ope MS. Thuan. qui pro *fingis*, *figis* præfert: vere si quid video, modo mentem capias auctoris, et sensum vocabulj; illum puta, quem ubi-

que Poeta impudicus sectatur; neque enim *figis* est *cruci figis*, quod non nemini in mentem venit. » *Abscissa servum quod lingis* legit Janus Rutgersius var. lect. lib. VI, cap. 2. Raderus, *quod fœdas*. Alii, *quod fugis*. — *Quid fingis*. Quum ipse Ponticus elinguem reddidisset servum, impuris suis voluptatibus servientem, ne turpitudinem ejus declararet, fingeat ab alio linguam fuisse servo abscissam; sed frustra, teste etiam Juvenale, Sat. IX: « Secretum divitis ullum Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur, Et canis, et postes, et marmora », etc. Sic gallice dicitur: *Les murs ont des oreilles, une langue*. ED. Alii *fœdas*. Sensus manifestus est.

2. *Nesci tu* Thuan. unde Beverlandus legi jussit, *Nescin tu*.

## LXXXIII.

IN SÆVUM MARITUM.\*

FOEDASTI miserum, marite, mœchum:  
Et se, qui fuerant prius, requirunt

\* *De marito et Mœcho* pro lem-mate profert Pulmannus.

2. *Etsi qui fuerant* in quibusdam.

*Et se qui fuerant* edd. vett. *E se qui fuerant* codex Farnabii. — *Et se requirunt*. Sensus est: Ab uxore tua

Trunci naribus auribusque vultus.  
Credis te satis esse vindicatum?  
Erras : iste potest et irrumare.

requiritur prior mœchi forma, quam antea. Vid. sup. epigr. LX, quum sana illi supersit pars qua vs. 3; et epigr. LXXXV lib. III, quod peccare possit, et forte fœdius ejusdem argumenti omnino est.

## LXXXIV.

## IN SERTORIUM.

MOLLIS erat, facilisque viris Pæantius heros :  
Vulnera sic Paridis dicitur ulta Venus.  
Cur lingat cunnum Siculus Sertorius, hoc est :  
Ex hoc occisus, Rufe, videtur Eryx.

1. *Mollis*, seu pathicus. Fingunt Poetæ, Venerem solere turpibus amoribus vindicare injurias sibi ac suis illatas. Quare, si, ut refert interpres Thucydidis ad librum I, Philoctetem, quod interfecerit Paridem, ulta fuit Venus hac pœna, ut pathicus esset; credo ego (jocatur Poeta) Sertorium Siculum interfecisse conterraneum suum Erycem, Veneris filium; namque illum non leviori turpitudinis pœna male mulctavit Venus, etc. — *Pæantius heros*. Philoctetes, filius Pæantis.

4. Non bene hanc lectionem concoquo: præterquam enim, quod insuave sonat *hoc, oc*; non memini, hanc præpositionem a quoquam

bonæ notæ auctore, pro *ab* (eo quidem sensu, quo h. l. capi deberet) usurpari. *Abs hoc* vult Guietus ad Lucan. IV, 719, quod non est nauci. Quid? si legas: *Esse huic occisus, Rufe, videtur Eryx*. Sic Spectac. Epigr. xxvii: « Huic percussa foret », etc. licet ibi in aliis libris legatur *Hinc*. Sed tamen nescio quid duri sic quoque hic versus habet. Tu vide an lenius excogitare queas. *Ant. de Rooy*. — *Eryx*. Filius Veneris et Butæ, cæstus certamine inclytus, qui fuit occisus in Sicilia, ignoto nec unquam comperto occisore; unde monti in Sicilia nomen, cui superpositum templum Veneri Erycinæ dicatum de quo Virg. Æneid. lib. V, v. 759.

## LXXXV.

AD AMICUM.\*

VIMINE clausa levi niveæ custodia coctæ,  
 Hoc tibi Saturni tempore munus erit.  
 Dona quod æstatis misi tibi mense Decembri,  
 Si quereris; rasam tu mihi mitte togam.

\* Est hoc epigramma callida togæ petitio, a Martiale urbane facta. Ed.

— *De Præposteris donis* lemma est in Junt. ann. 1512, et Colin. ann. 1528.

1. Junius et critici quidam reposuerunt *niveæ custodia coptæ*. Beverl. MS. exhibet: *nitidæ custodia coptæ*. De quibus sic Ramiresius: Argute nimis Junius et critici quidam, *coptam* pro *cocta* reposuerunt; quum *copta* placentæ genus sit, de qua lib. XIV, epigr. LXVIII, cui contusæ species aut legumina commiscebantur: nam quomodo hic posset dici nivea et apta æstivo tempori? et quomodo placentæ vase vimineo servabitur? Hæc omnia decoctæ nivis refrigeratæ procul dubio conveniunt. — *Vimine clausa levi*, etc. Sensus est: Ampullam seu lagenam vitream aquæ decoctæ et nivibus refrigeratæ continendæ destinatam, viminibus supertextis armatam et munitam mitto tibi his Saturnalibus, ipso decembri. Si offendat muneris æstivi hiberna intemperativitas, ulciscere hanc injuriam pari intemperativitate, ac mitte mihi togam æstivam. — *Custodia*. Carcerem vulgo significat; recte autem

lagenam dicitur aquæ aut vini carcer; adde quod vimen inductum lagenæ fictili aut vitreæ illam tuetur et custodit, ut ipsa vinum aut aquam servat. — *Coctæ*. Solebant Romani aquam decoquere, saccare et nivibus refrigerare, eaque uti per æstatem. De qua Juven. Sat. V, 49: « Si stomachus domini fervet vinoque ciboque, Frigidior Geticis petitur decocta pruinis. »

3. *Dona quod æstatis*. Quum aquam frigidam conservet hæc ampulla. — *Mense decembri*. Saturni festa, sive Saturnalia, hoc mense celebrabantur; tunc ad amicos munera missitare moris erat. Vide lib. V, epigramma LXXXV. — *Rasam*. Rasa toga, minorem fovens calorem, est consentanea æstivo tempori. Inter rasam et detritam hoc est discrimen, quod *trita* ea est quæ vetustate villum amisit, quum antea pexa fuerit et crassa; *rasa* autem ea est, quæ sua textura nullum habet eminentem villum; quam levem appellat, lib. VII, epigr. LXXXV: « Nec levis toga, nec rudes lacernæ. »

4. *Si quereris* Junt. ann. 1512, Colin. ann. 1528, Gryph. ann. 1535, et Ald. ann. 1550.



## LXXXVI.

AD CLASSICUM.\*

QUOD nec carmine glorior supino,  
Nec retro lego Sotaden cinædum,

\* Irridet critica censura errorem multorum, qui existimant magnum quiddam præstari ab his, qui difficillima scribunt poemata, non ob reconditam eruditionem, non ob accuratam elocutionem, sed tantum ob intortos quosdam numeros et coactos, quibus nihil laboriosius. Quod videmus nec Græcos, nec Latinos celebres poetas unquam tentasse. Est enim puerilis quidam labor in his nœniis collocatus, quas poeta appositissime nugas difficiles appellat, et ineptias studio et labore compactas. *Ramiresius*. — Sic olim, apud nostrates, laus erat poetæ qui versibus minoribus majoribusque artificiose intermixtis, carmen ediderat quod aræ, vel poculi, vel alæ, vel crucis oculis repræsentaret imaginem; sic arduis metri ambagibus, et continuata versus aut mensuræ, aut *rimæ* cujusdam semper redeuntis necessitate impediabantur antiqua carminum genera apud Gallos usurpata; *le lai, le virelai, le chant royal, la ballade, la villanelle*, etc. Ed.

1. *Carmine glorior supino*. Supinus cursus est ille qui retro fit. Ovid. de Ponto, lib. IV, eleg. 5: « Fluminaque in fontes cursu reditura supino. » Itaque carmen supinum intellige illud, quod metro stante

sic recurrit, ut neque literis motis, nec transpositis, quemadmodum ab initio ad finem, sic a fine relegatur ad initium; quale est hoc distichon: « Signa te signa, temere me tangis et angis, Roma tibi subito motibus ibit amor »; et hic versus: « Sole medere pede, ede, perede melos »; aut ille medici cujusdam ad hydropicum: « Mitis ero, retine leniter ore sitim. » Vide Sidon. lib. 9, epist. 14. Ejusdem generis est carmen quod non per literas sed per voces retro legi potest, ut illud Virgilio: « Musa mihi causas memora quo numine læso, » quod minime claudicat si legimus: « Læso numine quo memora causas mihi, Musa »; vel illud quod iambicum est: « Micant nitore tecta sublimi aurea »; et fit pentametrum si legimus: « Aurea sublimi tecta nitore micant. » Ed. Multaque alia, inter quæ Rhabani artificiosus dicam an laboriosus liber de Laudibus sanctæ crucis; atque ejusdem argumenti alter, Publilio Optatiano Porph. auctore. — Erat quoque apud veteres Gallicos versuum conditores, versus genus quod vocabatur *retrograde*, et quemdam offerebat sensum, seu recte, seu retro legeretur. Ed.

2. *Nec retro lego Sotaden cinædum*. Id est, nec lego et condo car-

Nusquam Græcula quod recantat Echo,  
Nec dictat mihi luculentus Attis

mina, mollia qualia composuit primus Sotades. Ed. — De Sotadæo versu plurima sunt apud rei metricæ scriptores, et præcipue apud doctissimum Terentianum Maurum, de quibus non est nunc disputandi locus. Vid. Strab. lib. XIV, et Scaliger. Poet. lib. II, cap. 30. — Hic vel speciatim dicit Martialis quod præcedenti versu dixerat generatim, scilicet se non scribere versus retrogrados, ut Sotades; vel intelligit carmen quod procurrit in laudem alicujus, et recurrit in vituperium. Nota sunt illa: *Laus tua non tua fraus*, etc. Aliud quoque genus Sotadici carminis vide lib. III, epigr. xxix.

3. *Nusquam*. Nusquam in meis versibus, Ed. — *Græcula quod recantat Echo*. Sensus est: quod non scribo Græcorum more carmina quorum extremæ voces sive syllabæ geminentur, ut Echo voces repetit et recinit. — *Græcula*. Ingenio ad nova et singularia quæque excogitanda acutissimo eminebant Græculi inopes, qui Romam commebant occasionem ditescendi quæritantes; Juven. Sat. III, v. 78: « Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit! » Ed. — *Echo*. De versibus Echicis vid. Scaliger. Poet. lib. II, cap. 29; et Politiani miscellanea, cap. 22. In iis duæ ultimæ versus syllabæ ita repetuntur, ut aliquem sensum efficiant, veluti si pentametrum sic finias: « Cur ita clamat? amat. » Vel: « Femina dira viri nex est et terribilis lis. » Lege Anthol. lib. IV, cap. 10. —

Suos Echicos versus habebant quoque et quidem multiplices veteres gallici poetæ; erat enim olim *la rime annexée*, quæ jubebat eadem voce versum priorem finire, et incipere posteriorem:

*Cour est un périlleux passage,  
Pas sage n'est qui va en cour.  
Court est son bien, etc.*

— *La rime couronnée*:

*Ma colombelle belle,  
Je vais priant, eriant, etc.*

— *L'emperière*:

*Qu'es-tu qu'un immonde monde, onde.*

— *La senée*, quæ jubebat omnes versus voces eadem litera incipere, *Ardent amour, adorable Angélique.*

— *La batelée*, quæ in fine versus, et in hemistichio versus insequentis legebatur. — *La brisée*; ita ordinata, ut quatuor versus octo syllabis constantes possent efficere octo versus quatuor constantes syllabis. — *L'équivoque*; lege *Clément Marot*:

*En m'ébattant, je fais rondeaux en rime,  
Et en rimant bien souvent je m'enrime;  
Bref, c'est pitié entre nous rimailleurs,  
Car vous trouvez assez de rime ailleurs;  
Et quand vous plaît, mieux que moi rimasset,  
Des biens avez et de la rime assez, etc.* Ed.

4. *Nec dictat mihi luculentus Attis*, etc. Sensus est: Nec argumentum præclarum et operosum carminis mihi dat Atys quem canam versu Galliambico, debili ac lascivo. — *Attis*. Atys seu Attys, Lydus quidam seu Phrygius, puer elegans fuit, a Cybele adamatus, cujus sacra in Phrygiam invexit. Quæ quidem sacra impudicitia

Mollem debilitate Galliambon;  
 Non sum, Classice, tam malus poeta.  
 Quid si per graciles vias Petauri

fama laborabant, et celebrabantur a sacerdotibus eviratis effeminatisque, qui Galli a fluvio Phrygiæ Gallo dicebantur.

5. *Choliambum* Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ vett. — *Mollem debilitate*. Vox *mollis* in utramque partem latine potest accipi; significat enim vel *venuste elegans*, vel *effete enervis*: hoc sensu a Martiale nunc sumi patet ex voce *debilitate*, ablativo casu vocis *debilitas*. Ed. — *Galliambon*. Elumbis hic versus qui Atydem maxime decet eviratum, sic appellatur a voce *iambus*, quia senis pedibus iambis constat; et a voce *Galli*, quia a Gallis sacerdotibus canebatur. Carmen galliambicum primus scripsit Cæcilius, et deinde Catullus de Aty, cujus initium est: « Super alta vectus Atys celeri rate maria. » Vid. Diomed. Muret. Scalig. Poet. lib. II, cap. 21; Macrob. Saturn. lib. I, cap. 21, et quæ scripsit Terentianus Maurus de metris. Ed.

6. *Non sum, Classice*, etc. Quod sotadicos, echicos, galliambicos, non facio versus, non sum tam contemnendus poeta, quam quidam illorum versuum amatores putant. Capitur ingenio lector sapiens, non nugis laboriosis.

7. *Quid si per*, etc. An si juberes Ladam transmittere Petaurum, putas eum id facturum? Non faceret certe, aut faceret admodum invitus; quia naturali pedum velocitate egregie commendabilis, non vellet naturalem istam pro ar-

tificiosa relinquere, et funambulorum more vilium, hoc per machinas facere, quod per se facere potest. Ita ego, elegantiam facilem et nativam, non longe accersitam et ardue victam difficultatem in carminibus meis requiro. Ed. — *Petauri*. De Petauro, quid esset et qua figura, obscura omnino ratio est. — Scaliger ad hunc versum Manilii, lib. V: « Corpora quæ valido salient excussa Petauro », sic de Petauro disserit: Rota in sublimi posita a duobus versabatur. Alter superne, alter inferne nitebatur. Ita fiebat ut alternis dejecti nunc penderent, nunc erecti sederent. Per eandem rotam etiam corpora contento saltu subjecta trajiciebant. Lib. XI, epigr. XIII: « Quam rota transmisso toties intacta Petauro. » Unde et ex Juvenale, et ex aliis rebus quas congerit Hieronym. Mercurialis in doctissimo libro de arte gymnastica, imo ex etymologia vocis ipsius Petauri (*αὔρα*, *aura*; *πέτρομαι*, *volo*), apparet machinamentum fuisse quo homines celerrime rotarentur, non ad hanc rem viribus aut agilitate corporis opus habentes, sed exercitata quadam industria. Non absimili forsitan modo nostris temporibus funambuli fune quo insident vehementius librata celeri saltu per rotam chartaceam corpora transmittunt. Quare comparatio est aptissima; quemadmodum enim hoc artificium a Lada cursore eximio alienum, ita a Martiale mi-

Invitum jubeas subire Ladam?  
 Turpe est difficiles habere nugas,  
 Et stultus labor est ineptiarum.  
 Scribat carmina circulis Palæmon :  
 Me raris juvat auribus placere.

10

nutæ illæ carminum ineptiæ. ED.

8. *Ladam*. Cursor fuit celeberrimus, cujus velocitatem celebrat Pausanias in Corinth. et Arcad. epigr. 4, Anthol. Juven. sat. 13; v. 97; Cicero, lib. 4, ad Herennium; Noster, lib. X, epigr. c.

11. *Scriba carmina* Junt. anno 1512. — *Circulis*. Hoc est, plebeiorum hominum otiosæ coronæ, legentem undique cingenti, ut dixit lib. I, epigr. XLII. — *Palæmon*. Forte Q. Rhemnius Palæmon, qui poemata faciebat ex tempore, et

scripsit variis et vulgaribus metris. Grammaticorum superbissimus, cujus « arrogancia fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret, secum et natas et morituras literas jactaret ». Suetonius, de illustribus Grammaticis, cap. 23; vel forte alius fuit hic Palæmon.

12. *Raris*. Hoc est, paucis sed doctis. Horatius I, Serm. sat. ultima, vs. 73 : « neque, te ut miretur turba, labores, Contentus paucis lectoribus. » Et mox, vs. 76 : « Nam satis est Equitem mihi plaudere. »

## LXXXVII.

IN SEXTUM.\*

DICIS amore tui bellas ardere puellas,  
 Qui faciem sub aqua, Sexte, natantis habes.

\* In *Phæbum* lemma est in nonnullis codd. et edd. vett. et sic legi jussit Schrevel.

2. Beverlandus legit : *sub aqua, Phæbe, nitentis*, cum hac nota : « Niti quid sit, notum ex Suetonio, qui Vespasianum dixit habuisse vultum nitentis. » Infeliciter hic conjicit Beverlandus; nam *nitentis* metrum non patitur, atque ea mutatione perit antithesis, ar-

*dere puellas*, et ipsum, *sub aqua natantis*. — *Qui faciem*. Pallidam nempe, et turgidam, ex eo quod, ut aiunt, sub aqua augescant omnia. Ludit Poeta, inquit Ramiresius, in illa antithesi, *ardere puellas*, et faciem natantis habere, vix enim ejusmodi vultus flammam accendat. Si hoc epigramma inscribimus ad Phæbum, est alterum ad eundem, lib. III, epigr. LXXXIX.

## LXXXVIII.

IN MAMERCUM.\*

NIL recitas, et vis, Mamerce, Poeta videri.  
 Quidquid vis esto, dummodo nil recites.

\* Perstringit vanum quemdam Mamercum, qui gloriose poetam se subinde jactabat, quum tamen nihil unquam recitaret. Cujus ingenio ita diffidit, ut molestum eum fore, si quid recitet, affirmet, et eleganti concessione et permissione quidquid velit esse, vel nomen poetæ ei concedat, dummodo nihil recitet. *Ramiresius*.

1. *Nihil recitas* in Junt. anno 1512. Cætera non variant exemplaria scripta aut impressa. —

Olim poetæ recens elucubrata poemata publice recitabant. Juvenalis sat. VII, 39: « At si dulcedine famæ Succensus recites, Maculonus commodat ædes, Ac longe ferrata domus servire jubetur. »

2. *Dummodo*. Nos enim importunis tuis recitationibus enecares. Horatius, in fine Artis Poeticæ: « Indoctum doctumque fugat recitator acerbus: Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo: Non missura cutem, etc. »

## LXXXIX.

IN GAURUM.\*

QUOD nimio gaudes noctem producere vino,  
 Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.  
 Carmina quod scribis Musis et Apolline nullo,  
 Laudari debes: hoc Ciceronis habes.

\* Hujus epigrammatis lectio non variat in libris manuscriptis, aut prelo typographico excusis. — Ejusdem est argumenti fere epigr. XLVIII lib. IX.

2. *Catonis habes*. Horat. III, od. 21: « Narratur et prisca Catonis

Sæpe mero caluisse virtus. » Vide et Plut. in vita Catonis; et Plin. lib. III, epigr. XII.

4. *Hoc Ciceronis*. Qui parum feliciter musas poeticas est aggressus. Vid. Senec. epist. 108; Juven. sat. X, v. 122: « O fortunatam, natam

Quod vomis; Antoni: quod luxuriaris; Apici: 5  
 Quod fellas; vitium dic mihi cuius habes?

me consule, Romam! Antoni gladios potuit contemnere, si sic Omnia dixisset! \*

5. *Quod vomis.* Antonii vomitus describit Cicero in Philipp. II. — *Apici.* Qui suum patrimonium luxu consumpsit, de quo lib. III, epigr.

XXII. Vid. et supra epigrammatis LXIX versus 3.

6. *Vitium*, etc. Hic cares auctore magno. Τὴν φωνὴν ἐνοπήν σε λέγειν ἐδίδαξεν Ὀμηρος. Τὴν γλῶσσαν δ' ἐν ὀπῇ τίς σ' ἐδίδαξεν εἶχαι; Antholog. II, 13.

## XC.

AD QUINTILIANUM. \*

QUINTILIANE, vagæ moderator summe iuventæ,  
 Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ,  
 Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,

\* Quod genio suo indulgeat, nec laboriosam ullam exerceat artem, inde se excusat Martialis Quintiliano, quod, parvo contentus, non opes amplificare suas cupiat, sed beata modicaque vitæ conditione frui satis habeat. ED.

1. *Junt. in marg. gnavae* pro *vagæ*. — *Quintiliane.* Calaguritanus fuit Quintilianus. Calaguris est urbs Hispaniæ ad ripas Iberi, hodie *Calahorra*, in Castilia veteri. Hinc Romam a Galba adductus est, ut constat ex Eusebio in Chronic. Olympiad. 211 et 217. — *Vagæ.* Vagam vocat poeta iuventutem; est enim silentii, quietis, attentionis impatiens. — *Moderator.* Annos 13 Romæ erudiendis juvenibus impendit, et in his Domitiani nepotes edocuit Quintilianus.

2. *Gloria*, etc. *Toga sæpe* pro

I.

pacificis artibus et literis bonis sumitur, quæ vigent in pace cuius insigne toga, ut sagum belli; ergo hunc locum sic intelligemus: Quintiliane, qui primum inter eruditos locum eloquii laude obtines. — Vel etiam vox *toga* proprie intelligenda est de senatoria dignitate, ad quam evectum fuisse Quintilianum intelligere est ex Juvenalis verbis, sat. VII, v. 192: « Appositam nigræ lunam subtexit alutæ. » Aluta autem in calceis senatorum et nobilium Romanorum erat ornamentum; epigr. xxix supra.

3. *Vivere quod*, etc. Ignosce mihi si quamvis pauper, quamvis ætate adhuc integra, et annis florentibus atque ad laborem utilibus, otio et genio meo indulgeo clementius. — *Pauper.* Qui rem familiarem tenuem habent, eam augere conantur; quod

Da veniam : properat vivere nemo satis.  
 Differat hoc, patrios optat qui vincere census, 5  
 Atrique immodicis arctat imaginibus.  
 Me focus, et nigros non indignantia fumos  
 Tecta juvant, et fons vivus, et herba rudis.  
 Sit mihi verna satur : sit non doctissima conjux :  
 Sit nox cum somno : sit sine lite dies. 10

non facit Martialis. ED. — *Nec inutilis annis*. Sicut divites, qui sumptum possunt facere commodius, sic et senes decet otium, qui labori sunt impares. Ita Anchises, *Æneid.* lib. II, v. 647 : « Jampridem invisus divis et inutilis annos Demoror. » Nec dives, nec senex est Martialis, et jam feriatur.

4. *Properat vivere*. Vid. lib. I, epigr. XVI; lib. II, epigr. LIX; lib. IV, epigr. LIV; lib. V, epigr. XX et LVIII; lib. VII, epigr. XLVII et LXV; lib. VIII, epigr. XLIV et LXXVII.

5. *Differat hoc*. Non indulgeat genio suo is, qui suo patre ditior vult evadere.

6. Codex Bodleianus : *aptat imaginibus*. — *Arctat*. Arctiora illa quasi facit, innumeras inserendo imagines, quæ omnem locum occupant. ED. — *Imaginibus*. Majorum imagines qui præclari aliquid gesserant, collocabantur in atriis seu in primo intra ædes aditu, inde ad triumphorum, funerum, etc. pompam proferendæ. Juven. Sat. VIII, 1 : « Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo Sanguine censer, pictosque ostendere vultus Majorum, et stantes in curribus Æmilianos, Et Curios jam dimidios, humerosque minorem Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem? » Et infra : « Quis

fructus generis tabula jactare capaci Corvinum, et posthac multa deducere virga Fumosos equitum cum dictatore magistros. »

7. *Et nigros non*, etc. Id est, non laquearia auro incrustata, vel variata coloribus, quæ ne fumo corrumpantur, cautio est, sed tecta humili contignatione compacta, quæ si fumo infuscentur, nulla jactura sit.

8. *Et fons vivus*, natura ipsa scaturiens, non conquisitis longo labore et sumptu aquæductibus nec tubis ad voluptatem ex metallo fabrefactis. — *Herba rudis*. Gramina sua sponte nascentia, nec otiosis ordinata myrtetis, ut dixit lib. III, epigr. LVIII.

9. *Verna satur*. Servi saturi alacriter serviunt, nec conqueruntur, nec convivis invident. Lib. III, epigr. LVIII : « Vescuntur omnes, ebrioque non novit Satur minister invidere convivæ. » — *Non doctissima conjux*. Quæ enim docta, plerumque molesta est. Juvenalis, sat. VI, 448 : « Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit, Dicendi genus, aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes. »

10. *Sine lite dies*. Lib. V, epigr. XV : « Nec lites tetricas, forumque triste Nossemus. »

## XCI.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.\*

RERUM certa salus, terrarum gloria, Cæsar,  
 Sospite quo magnos credimus esse Deos;  
 Si festinatis toties tibi lecta libellis  
 Detinuere oculos carmina nostra tuos;  
 Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,  
 Natorum genitor credar ut esse trium.

Εὐχος τοῦ κόσμου, τῶν ὄντων, Καῖσαρ, ἔρυμα,  
 Οὐ πιθόμεσθα πέλειν σωζομένοιῳ θεοῦς·  
 Εἴ του τοὺς ὄσσους αὐτοσχεδίῳ πόνῳ  
 Βιβλί' ἀναγνόντος θέλξαν ἀοιδαὶ ἐμαί·  
 Ὅ, ῥῥα τύχη κώλυσε, δοκεῖν ποίησον ἔμ' εἶναι,  
 Ὡς κλείζεσθαι παιδογόνον τριάδος.

\* Petit Martialis a Domitiano jus trium liberorum.

2. *Ramiresio pro magnos videtur legendum manos.* — *Sospite quo.* Ex tua incolumitate credimus et Deos esse, et rerum humanarum curam suscipere. Lib. VII, epigr. LIX; lib. V, epigr. I: « Sospite quo gratum credimus esse Jovem. » Vide et lib. I, epigramm. XIII et LXXXIII. Vel aliter: te sospite credimus esse magnos deos, qui alioquin, nisi tu Capitolium dedisses et instaurasses, vel omnino interissent, aut certe non magni habitus essent.

3. *Si festinatis.* Si carmina mea festinata, ac prope ex tempore condita legisti.

5. *Quod fortuna.* Hæc erat formula petendi jus trium liberorum.

6. *Natorum genitor.* Qui tres habebant liberos, multis privilegiis gaudebant. In spectaculis honestior illis locus assignabatur: in honoribus petendis gratia fiebat annorum propter liberos. Codice de Decurionibus, lege IX: « In albo decurionum præscriptis, patrem non habenti filios anteferri constat. » Juvenal. sat. IX, 87: « Jura parentis habes, propter me scriberis hæres, Legatum omne capis », etc. Gellius, in lib. II, cap. 15: « Sicuti capite septimo Legis Juliæ priori ex consulibus fasces sumendi potestas fit, non qui plures annos natus est, sed qui plures liberos quam collega, aut in sua potestate habet, aut bello amisit. » De jure trium liberorum mentio lib. III, epigr. xcvi,



Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis :  
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

Εἴ γ' οὐκ ἤρεσά τοι, τόδε μοι παραμύθιον ἔσω·  
Εἰ δέ σοι ἤρεσ', ἐμοὶ ταῦτ' ἐπίχειρα πέλοι.

v. 6 ; lib. VIII, epigr. xxxi ; lib. IX, epigr. lxxvii. Natum hoc jus trium liberorum a trigeminis Horatiis, vid. lib. Liv. I. Poeta ἄπαις prolis hujus imaginariæ jus ab Imperatore petit, laboris sui præmium vel solatium. Plin. epist. lib. X, « Exprimere, Domine, verbis non possum, quantum mihi gaudium adtulit, quod me dignum putasti

jure trium liberorum. » Ex quo intelliges pro singulari munere claros tantum viros, id honoris et præmii consecutos esse, quod etiam ad aulicos et principi gratiosos defluxit.

7. *Solatia nobis.* Liviæ, Druso filio extincto, datum est hoc jus, solatii ergo : quandoque victis dona in solatium. Elegans et acuta sententia claudit petitionem. ED.

## XCII.

AD UXOREM.\*

NATORUM mihi jus trium roganti  
Musarum pretium dedit mearum,  
Solutus qui poterat. Valebis, uxor.  
Non debet Domini perire munus.

\* Jure trium liberorum, quod epigr. præced. petebat, sibi concesso, alloquitur suam uxorem Martialis, et valere jubet. ED.

3. *Solutus qui.* Nam solus Cæsar concedebat hoc jus, de quo præcedenti epigr. et lib. III, epigr. xcvi. — *Valebis, uxor.* Neglecta, aut repudiata, aut mortua : nihil jam mihi uxore opus ; quippe si ex te susciperem liberos, jam domino munus illud suum periret, seu frustra id dedisset. Hoc autem quodammodo peccare esset in dominum, et munificentiam ejus ac beneficium obliterare. *Musambertius.*

4. Scribere Valerius voluit, *domino*, et intelligi, Quia trium liberorum jus a domino impetravi, *valebis, uxor*, sive nihil jam mihi uxore opus. *Musambert.* Vide var. not. Juntina nostra habet etiam *domino* in margine. — *Non debet.* Jam enim ex matrimonio liberos suscipere nolo, ne, quod mihi beneficium a Domitiano concessum est, paterna lege consequar. Aut intellige τὸ *valebis* pro, morere ut tibi succedam ; nam pro numero liberorum sibi invicem succedebant vir et uxor. Vide Ulpianum, lib. Regularum, tit. 15. *Judicet lector.*

## XCIII.

AD REGULUM.\*

PRIMUS ubi est, inquis, quum sit liber iste secundus?  
 Quid faciam, si plus ille pudoris habet?  
 Tu tamen hunc fieri si mavis, Regule, primum:  
 Unum de titulo tollere iota potes.

\* *De Regulo* vidend. epigr. LXXIV supra, et lib. I, epigr. XIII, LXXXIII et CXII.

— Nulla varietas est in hujus epigr. lectione.

1. *Primus ubi*. In lucem prodiit secundus hic liber, primo non edito, forte quia cautior fuit Poeta, donec legentium judicia audiret; vel forte quia in primo libro multa scripserat ad laudem Titi, cujus tamen nomen non addiderat, sed Cæsarem tantum dixerat, quæ li-

benter laturus non erat Domitianus, qui Titi fratris et patris Vespasiani laudes arrogabat sibi.

2. *Quid faciam?* Non est mea culpa, inquit Martialis; liber primus est modestior, qui erubuit scilicet nostras ad te perferre nugas.

4. Pro II, pone I; fietque tibi primus liber. In epigrammatibus enim ordo minime respiciendus; nulla series est melior opusculorum, quorum unusquisque sibi sufficit. ED.



---

M. VAL. MARTIALIS  
EPIGRAMMATUM  
LIBER III.

---

I.

AD LECTOREM, DE LIBRO GALLICANO.\*

**H**oc tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris  
Gallia, Romanæ nomine dicta togæ.  
Hunc legis, et laudas librum fortasse priorem :  
Illa, vel hæc mea sunt, quæ meliora putas.

\* *Secesserat Poeta in citeriorem Galliam; indeque librum Romam miserat; quem, si minus priore placeat, excusat, veluti in loco peregrino minusque urbano natum.*

— Lemma deest in codice Thuaneo.

1. *Hoc tibi.* Hunc librum, qualiscumque ille sit, mitto tibi, o Romane lector, e Gallia Cisalpina, quæ Togata dicitur. — *Longinquis ab oris.* Ex urbe Longobardiæ, quæ nunc vocatur *Imola*, olim Forum Corneli, in via Æmilia. Vid. epigramma iv, infr.

2. *Gallia, Romanæ*, etc. Pars Galliæ cis Alpes, ac versus Romam

sitæ, dicebatur *Togata*, quia incolæ togis, ut Romani quibus erant viciniore, utebantur. Transalpina vero, quæ nunc proprie Gallia dicitur, *Braccata* et *Comata* vocabatur, quia braccis utebatur seu laxioribus femoralibus, et comam alebat. — *Romanæ togæ.* Proprius cultus Romanorum toga. Virg. *Æn.* lib. I, v. 286: « Romanos rerum dominos, gentemque togatam. »

3. *Priorem.* Id est, librum secundum Martialis, nam primum omnium qui « plus pudoris habebat » non ante alios fuisse editum patet ex lib. I, ep. 11; lib. II, ep. xciii. Ep.

4. *Dousa per interrogationem*

Plus sane placeat, domina qui natus in urbe est; 5  
Debet enim Gallum vincere verna liber.

legendum autumat : *quæ meliora putas ?* Hinc Gruterus edidit : *Illā , vel hæc , mea sunt : quæ meliora putas ?* — *Illā vel hæc , etc.* Sic hunc versum intelligendum existimo , nullo tamen auctore interprete : Potes librum priorem huic antepone; esto : hoc me consolor , quod saltem liber quem meliorem iudicas , meus sit ; si meorum operum cum alterius operibus collatione facta , alterius librum præferres , non gauderem ; meorum autem cum meis , gaudeo ; habebo semper aliquid quod laudes. ED. — Alii sic intelligunt : epigram-

mata secundi libri quæ tibi magis placent , mea sunt ; imo et hæc libri tertii mea sunt. Alii denique , ut supr. legunt per interrogationem : quæ meliora putas ? Statue , lector.

5. *Domina.* Roma quæ rerum domina , triumphatique orbis caput. Vide lib. I, epigr. iv, v. 3.

6. *Gallum vincere.* Jure enim cedit hospes civi , Barbarus Latino , liber in urbe natus libro extra urbem nato. — *Verna.* Vernæ servi sunt domi sui domini nati ; vernam vero priorem librum Romæ scriptum appellat , ut opponatur huic tertio in Gallia composito.

## II.

### AD LIBRUM SUUM.\*

Cujus vis fieri , libelle , munus ?  
Festina tibi vindicem parare ,  
Ne nigram cito raptus in culinam  
Cordyllas madida tegas papyro ,

\* Librum suum jubet se sub tutelam Faustini urbani eruditique hominis ponere ; a quo si foveatur , immortalitatem sperare , et criticorum morsus contemnere potest. Vid. lib. IV, epigr. LXXXVII. ED.

1. *Cujus vis fieri , etc.* Imitatio Catulliana , epigr. 1 : « Cui dono lepidum novum libellum. »

2. *Vindicem.* Assertorem , patronum , qui tuam causam suscipiat vindicandam defendendamque. Vi-

de lib. I, epigr. LIII, v. 5 ; et LIV versum 11.

3. *Ne nigram , etc.* Ne damneris in culinam et aromatopolarum tabernas , pro charta inepta , infelicis genii et fati. — *Nigram.* Fuliginosam.

4. *Cordyllas tegas.* Pisciculi sunt , partus scilicet thynnorum , qui post elapsum primum annum thynni nuncupantur. Vide Plin. lib. IX , cap. 15 ; et lib. XXIII , cap. 11 ;

Vel thuris piperisque sis cucullus.  
 Faustini fugis in sinum! sapisti.  
 Cedro nunc licet ambules perunctus,  
 Et frontis gemino decens honore  
 Pictis luxurieris umbilicis;  
 Et te purpura delicata velet,  
 Et cocco rubeat superbus index:  
 Illo vindice nec Probum timeto.

5

10

Pers. sat. I, v. 43: « Nec scom-  
 bros metuentia carmina, nec thus. »  
 — *Madida papyro*. Papyro detrita  
 qua aromatopola involvit pisciculos  
 madidos oleo.

5. *Cucullus*. Papyraceum involu-  
 crum, ore lato et rotundo in fun-  
 dum acutum desinens, sic formam  
 cuculli repræsentans. Anaxandri-  
 des, apud Athen. lib. IX, cap. IV.

6. *Faustini*. Qui opera ipse com-  
 ponebat a Martiale laudata. Vide  
 lib. I, epigr. XXVI. — *In sinum!*  
*sapisti*. In favorem et patrocinium.  
*Sinu ferre vel gestare* est formula  
 usitatissima apud Veteres, pro *ca-*  
*rum habere*, ut *ex sinu alicujus esse*  
 pro *ex intima familiaritate*. Vid. lib.  
 II, epigr. VI, v. 7.

7. *Cedro nunc licet*, etc. Hujus  
 versus et sequentium sensus est:  
 Nunc, si a Faustino recipiaris,  
 potes ditissimis ornamentis te de-  
 corare, et quidem per diu duraturis;  
 utpote qui sub tali Mecænate  
 immortalitatem jure tuo sperandam  
 habeas. ED. — *Cedro*. Per synecdo-  
 chen, pro oleo cedrino. Oleum  
 enim a cedro expressum inunctos

libros a tineis et carie vindicat.  
 « Nec titulus minio, nec cedro  
 charta notetur », Ovid. Trist. I,  
 eleg. 1. Et sic « Speramus carmina  
 fingi Posse linenda cedro », Horat.  
 ad Pisones, 331. — *Ambules*. Per  
 ora hominum. ED.

8. *Et frontes* Junt. ann. 1512,  
 et Colin. ann. 1528. — *Et frontis*.  
 De ornamentis librorum diximus  
 lib. I, epigr. LXVII.

11. *Et croco* Beverlandi MS. —  
*Cocco*. Indicem librorum seu titu-  
 lum minio scribebant; est autem  
 coccus granum quo fit color splen-  
 didus (gallice *écarlate*). ED.

12. *Nec Probum*. Quum Probus  
 Berytius Phœnix sub Nerone flo-  
 ruerit Martialis tempore forsitan non  
 superstes, non intelligemus hic Pro-  
 bum ipsum, sed censorem quem-  
 libet severissimum, qualis fuit M.  
 Val. Probus Berytius, qui emenda-  
 tioni librorum potissimam operam  
 dedit, teste Suetonio, lib. de Gram-  
 maticis. — In Beverlandi MS. *nec*  
*probrum timeto*; et sic etiam conj.  
 Ramires. de Prado, improbante  
 Musambertio.

## III.

## IN MULIEREM DEFORMEM. \*

FORMOSAM faciem nigro velamine celas :  
 Sed non formoso corpore lædis aquas.  
 Ipsam crede Deam verbis tibi dicere nostris,  
 Aut aperi faciem, vel tunicata lava.

\* Irridet stultam feminam pulchra facie, et fœdissimo corpore; quæ quum tegere corpus, et aperire faciem debuisset, contra celabat faciem et nudum corpus ostendebat. *Ramires.*

1. Ed. antiquiss. Ferrar. anno 1471; Ald. 1501; Junt. 1512; Colin. 1528; aliæ vett. habent *nigro medicamine velas*. Pulmanni vetus codex, *nigro medicamine celas*: unde *Ramiresius de Prado* conj. unde *Ramiresius de Prado* conj. *nigro velamine celas*, quod optimos habere libros ait *Scrivenerius*, et requirere τὸ ἀπερι vs. 4. — *Velamine*. Subligar quoddam, ut lib. III, epigr. LXXXVII, v. 4. Alii *medicamine velas*, et interpretantur œsy-

po, medicamine et incrustamento cosmetico, quod *Juvenalis* vocat *tectorium*, Sat. VI, vs. 463. Quod parum verisimile videtur, quum sit *nigrum* et in balneo adhibeatur.

2. *At non Beverlandi MS.* — *Sed non*, etc. Sed deformi corpore violas aquas.

3. *Ipsam crede*. Aquæ nympham intellige; fontibus autem numen inesse colligebant Veteres ex perennitate scaturiginis.

4. Codd. Thuan. et Vat. *aut tunicata*: Juntina nostra in marg. *De tege vel faciem, vel*, etc. — *Aperi*. Aut ex deformi tuo corpore colligemus faciem quoque esse deformem.

## IV.

## AD LIBRUM SUUM. \*

ROMAM vade, liber: si, veneris unde, requiret,  
 Æmiliæ dices de regione viæ.

\* Loquitur cum libro suo quem Romam mittit; queritur enim de Romanorum fastidio et de corruptorum judicio, qui eo tempore ci-

tharædos longe præferabant poetis. Ed.

2. *Æmiliæ dices*. Si Romani a te requirent, unde veneris, dices te

Si, quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit,  
Corneli referas me licet esse foro.

Cur absim, quæret : breviter tu, multa, fatere, 5  
Non poterat vanæ tædia ferre togæ.

Si, quando veniet? dicet : responde, Poeta  
Exierat; veniet, quum citharædus erit.

venire ab eo tractu Italiæ qui est circa viam Æmiliam. Ea est pars magna Longobardiæ cis Padum, et *Romandiola* nunc dicitur; nomen illi ab Æmilio consulè qui eam viam straverat.

3. Beverlandi MS. et Juntina nostra in marg. *rogarit*. — *Corneli foro*. Est urbs a Sylla dicta, nunc *Imola*; vide supr. epigr. II, v. 2. Ad hanc via ducebat Æmilia.

5. *Cur absim, quæret, breviter tu*, etc. Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ. *Cur absim quæret : breviter tu*, etc. Modius et Ramires. *Cur absim quæret, breviter tu*, etc. Musambert. Ant. de Rooy pro *tu* legendum censet *tam*; *tam multa* pro *tot*, ut infr. lib. VII, epigr. XLIX : « Tam multi pariter, etc. » Forte olim scriptum fuit *tā multa*. Hanc autem virgulam, loco literæ *m* pictam, prope rantibusque scribis neglectam, infinitos auctorum locos conspurcasse, notum est. Vide Arntzen. Specim. Obs. cap. 13, ubi egregie complura Veterum loca restituit. Adi et ejusdem Patruum ad Caton. Dist. I, 12. Et hic tanto facilius fuit lapsus, quia vox sequens a litera *m* incipiat; *a* autem et *u* sæpius fuisse perinutata, dudum vv. dd. observatum. — *Breviter tu, multa, fatere*. Si hunc locum sic interpungimus, ordo est: breviter fatere: non poterat ferre *multa tædia* vanæ togæ.

Sin autem duas virgulas tollimus, intelligemus: brevibus verbis *multas* complectere causas meæ absentia; scilicet tædia omnis generis quæ mihi in Urbe sunt toleranda.

6. *Vanæ tædia ferre togæ*. Hic intellige omnia tædia quæ ex clientelariis officiis, unde multus labor, nec quidquam emolumenti, superveniunt Martiali; vel *tædia* sume pro *fastidia*; et intellige contemptum literatorum et eruditorum, quos fastidiunt Romani togati. Ed.

7. *Quando venit, dicet, tu responde* in Ald. Junt. Colin. et aliis vett. et sic codd. Gruteri, probante Gronovio. *Et quando veniet, dicens responde* membrana Bong. Vide var. not. — *Responde*. Ultima syllaba imperativi modi secundæ declinationis amat interdum corripi, ut *doce, vide*, etc. quia dicebatur olim *respondo, respondis*, ut *ferro fervis*, etc. Vid. Scalig. ad Manil. l. V, contra quem tamen censet Schrev.

8. *Quum citharædus*. Tunc enim temporis Romæ pluris fiebant citharædi, quam Poetæ: ita Romanorum mores carpit, lib. V, epigr. LVI: « Artes discere vult pecuniosas? Fac discat citharædus aut choraules. » Sueton. in Vesp. cap. 19, ingentem pecuniæ vim donatam Terpno Diodoroque citharædis ab eodem Vespasiano testatur. Juven. sat. III, v. 21 et 64.

## V.

AD EUMDEM.\*

VIS commendari sine me cursurus in Urbem,  
 Parve liber, multis? an satis unus erit?  
 Unus erit, mihi crede, satis, cui non eris hospes,  
 Julius, assiduum nomen in ore meo.  
 Protinus hunc primæ quæres in limine Tectæ; 5  
 Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille, Lares.

\* Librum, epigr. 11 supra, Faustino missum, Julio quoque Cereali, amico suo, mittit; quod ut faciat, librum alloquitur, qua eat via docet, jubetque Julium ejusque uxorem pro se salutare, omissa epistolæ commendatione, ut fit inter familiares. Ed.

1. *Vis commendari.* Me non habiturus patronum et vindicem, foro Cornelii commorantem, vis, parve liber, tibi alios indicem patronos ac vindices? Ed.

3. *Unus erit, etc.* Pro multis erit Julius, fidus amicus, qui te benigne excipiet ex me venientem. Ed. — *Hospes.* Ignotus; ignoti enim fere sunt hospites et peregrini.

4. *Cujus et assiduum* Beverl. MS. — *Julius.* Ad quem lib. I epigr. XVI. — *Assiduum nomen.* Quia multa sunt in opere, ubi de eo mentio.

5. *Protinus hunc adeas, primique in limine tecti* ed. antiq. Ferrar. ann. 1471; Ald. 1501; Junt. Colin. Gryph. aliæ vett. *primi qui limine tecti* vetus codex Cagnerii. Dan. Heins. ad Claud. III Cons. Honor. 10, ex vestigiis Vaticani codicis corrigebat: *primæ in limine tectæ;*

quod ad Senecam Gronovius jam occupaverat. Nic. vero Heins. ad Ovid. Fast. VI, 192, emendat: *Protinus hunc primæ quæsitum i limina Tectæ: Quos tenuit, etc.* Ita, inquit, ex vestigiis membranarum scribendum, quidquid viri docti obloquantur. Lectionem nostram testantur codd. Scriverii, unusque Farnabii, Oxoniensis scilicet. — *Protinus hunc primæ quæres in limine Tectæ.* Tecta erat quædam Urbis via, in cujus ingressu erant ædes istius Julii. Alii legunt: *Protinus hunc adeas, primique in limine tecti:* et duplex est sensus; scilicet: Julius habitat primam domum quæ se offert Romam per viam Æmiliam ingredientibus; aut, Recta ad Julium Cerealem, eumque saluta in *primi tecti limine*, hoc est, in atrio ipso, ut si diceret: Nil opus tibi captare secretum, in atrio ipso, quæ prima pars ædium et limini proxima est, inter saluatorum et clientium officia eum adire poteris; nulla enim mora interposita, recipiet te, et leget. *Musambert.*

6. *Daphnis.* Dives aliquis libertus, aut alius vulgo notus.



Est illi conjux, quæ te manibusque sinuque  
Excipiet, vel si pulverulentus eas.

Hos tu seu pariter, sive hanc, illumve priorem  
Videris; hoc dices : Marcus avere jubet.

Hoc satis est : alios commendat epistola : peccat,  
Qui commendandum se putat esse suis.

7. *Manibusque sinuque.* His verbis gratissimum fore Julio atque ejus uxori hunc librum auguratur. Namque fovemus gremio, et manibus amplectimur, quæcumque magno affectu prosequimur. Vid. sup. epigramm. II, v. 6.

9. *Pariter.* Ambos videris simul.

10. *Marcus.* Martialis. Ut advenientes *Ave*, seu *Salve*, sic abeuntes

et recedentes *Vale* dicebant. Suetonius, in Augusto, cap. 53. Brissotius, de Formulis, lib. VIII.

11. *Et satis est libri vett.* Heins. ad Ovid. Amor. III, 8, 60, legi jussit : *Id satis est.* Hunc vid. ad Amor. II, 14, 44. — *Alios, etc.* Alienos, ignotos. — *Peccat.* Nemo sapiens se commendat amicis suis diligenter et sollicite.

## VI.

### AD MARCELLINUM.\*

Lux tibi post Idus numeratur tertia Maias,  
Marcelline, tuis bis celebranda sacris.

Imputat æthereos ortus hæc prima parenti :  
Libat florentes hæc tibi prima genas.

\* Marcellinum donat hujus epigrammatis munere, ut celebret diem decimum sextum ante kalendas Junias; quo die et pater Marcellini natus fuerat, et ipse Marcellinus primam deponerat barbam; quod ob testimonium virilitatis pluris esse æstimandam patri hanc diem dicit, quam ob natalem suum.

1. *Idus.* Martius, Maius, Julius, October Nonas septimo, Idus decimo quinto die habent. Menses cæteri quinto Nonas, et Idus decimo tertio.

2. *Bis celebranda.* Quod ea die pater natus sit, et ipse Marcellinus deposuerit primam barbæ lanuginem; hæc enim lanugo deponeretur magna conviviorum et ludorum celebritate.

3. *Computat nonnulli.* — *Imputat.* Beneficii recolendi onus velut imponit, vel cælesti revolutione reversum computat.

4. *Libat, etc.* Tondet, resecat, vel diis offert instar primitiarum ætatis robustioris; *libare* enim in sacrificiis usurpari solet. Ejus diei

Magna licet dederit jucundæ munera vitæ,  
Plus nunquam patri præstitit illa dies. 5

quo primum barbam radebant, insignis apud Romanos erat lætitia et anniversaria memoria : hæc festa vocabantur *Juvenalia* ; ludos, sacrificia, munera tunc frequentabant, barbam resectam diis consecrabant. Vid. Sueton. Ner. cap. 12 ; Xiphil. in Nerone et Heliogabalo ; Juv. Sat. III, v. 186.

5. *Magna licet.* Quod dies natalis vitam patri dederit, munus est ingens ; sed majus est, quod eadem illa die filius vir evaserit : nam viri appellabantur a barba resecta. Martial. epigr. LXXXVIII : « Tonsum fac cito, sero virum. » RADER.

6. Farnabius e quibusdam edd. affert : *præstitit ulla dies.*

## VII.

DE EDICTO DOMITIANI CŒNAS RECTAS REVOCANTE.\*

CENTUM miselli jam valet quadrantes,  
Anteambulonis congiarium lassi,  
Quos dividebat balneator elixus.

\* Nero cœnam rectam clientibus exhibitam a potentioribus redegerat ad sportulam, quæ calathus fuit, quo primum obsonia, postea centum quadrantes dabantur. Sueton. in Nerone, cap. 16 : « Publicæ cœnæ ad sportulam redactæ. » Domitianus autem abrogato illo Neronis edicto revocavit cœnas rectas. Sueton. in Domitiano, cap. 7 : « Sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine. » — Edictum illud laudat Martialis, et pristinam insectatur divitum avaritiam, sportulas dantium misellas. Vid. infr. epigr. xxx et lx. — In omnibus : *De Sportula*, quod mutavimus. ED.

1. *Centum miselli*, etc. Centum quadrantibus, id est, viginti quin-

que assibus constabat sportula, cui ex edicto Domitiani valedicit. Vid. lib. I, epigr. lx ; lib. VI, epigr. LXXXVIII ; lib. X, epigr. LXXIV. ED.

2. *Anteambulonis.* Clientis patronum suum præcedentis, ut ei viam faceret, et honoris causa sterneret. Vid. lib. II, epigr. xviii, v. 6. ED. — *Congiarium.* Congiarium est munus regium seu imperatorium, certa pecuniæ summa, qua populum donabant principes. Congiarium ergo recte dicit sportulam, munus patronorum quos *reges* ubique vocat. Congiarium dicitur a congio, mensura liquidorum. Vide tomo IV, p. 260, Tacitum Edit. nostræ. ED.

3. *Balneator.* Clientibus singulis cum domino lavantibus dari solebant centum quadrantes, quos forte

Quid cogitatis, o fames amicorum?

Regis superbi sportulæ recesserunt.

5

Nihil stropharum est : jam salarium dandum est.

dividebat balneator; vel balneator hic sumitur pro omni famulo pecunias clientibus dividente. — *Elixus*. Aquarum et vaporum calore prope coctus.

4. *Quid cogitatis?* Quid vobis jam animi est, o patroni, qui eratis antea clientium vestrorum fames? — *O fames*. Exiguam quippe sportulam largientes patroni fame necabant suos clientes.

5. *Regis superbi*. Hoc est, patroni, quem dominum et regem appellabant clientes: vel, Neronis superbi, qui cœnas rectas sustulerat. Posterior hic sensus magis mihi placet a Ramiresio pulchre observatus, quidquid insultet Scriverius; et huc recte refertur ille versus alter libr. spectac. epigr. II, vs. 3: « Invidiosa feri radiabant atria regis. » Et in eodem lib. Spect. Epigr. II, vs. 8: « Abstulerat miseris tecta superbus ager »; Neronis nempe.

6. *Nihil tropharum est* conj. Calderinus; i. e. alimentorum, quasi dicat amplius non dantur cibi in sportulam: attamen, *stropharum* legi jussit. — *Stropharum*. Strophæ (στροφή, a verbo στρέφειν, *vertere*), fraudem interdum et fallaciam si-

gnificat, qua circumvenit simplicem callidus. Quid sit autem fraudis in hoc loco, non facile patet. Anne quod delusi fuere clientes, quum primum iis negata est cœna recta? an, quum cibi dati in calathis non æquarent centum quadrantibus? an, quum pro cibis data fuit exigua pecuniæ summa? An quod variis artificiis et ambagibus divites illi avari sportulam differre, aut aliquo casu omittere conarentur? An, ut ait Ramiresius, intelligit imposturam istam divitum, qui dicebantur *habere convivas*, quum tamen nullus apud eos cœnaret, sed sportulis datis omnes dimitterentur convivæ? unde communis loquendi formula: Ille tot denariis, hic tot quadrantibus invitatur? Vid. lib. IV, epigr. LXVIII, et lib. IX, epigr. CI. ED. — *Salarium*. (*Sal*; græce ἀλάριον; ἄλς). Ea voce significatur certa portio ciborum et inter eos, salis, quæ viri- tim dividi olim solebat militibus ac Imperatorum comitibus. Interdum sumitur pro annona, stipendio et mercede; in hoc loco significat cœnam rectam et liberalem, clientibus pro mercede dandam.

## VIII.

## IN QUINTUM.\*

THAIDA Quintus amat : quam Thaida? Thaida luscam.  
Unum oculum Thais non habet, ille duos.

\* Hujus epigrammatis lectionem non variant exemplaria scripta, aut impressa.

1. *Thaida Quintus*, etc. Cæcitatem Quinti, non oculorum, sed ipsius animi irridet hoc epigrammate. Amabat enim Thaida meretricem luscam, quam nemo nisi cæcus amare posset. Illa, inquit, uno oculo caret, Quintus duobus.

2. *Unum oculum*, etc. Thais lusca est corpore, cæcus est animo Quintus: vid. epigr. XI infra. ED. — *Duos*. Utroque caret oculo, metaph. id est, cæcus est amore, qui non meretricis vitia, quæ oculos vere pungunt, deprehendat. Vide infra, epigr. XXXIX: « Iliaco similem puerum, Faustine, ministro Lusca Lycoris amat: quam bene lusca videt! »

## IX.

## IN CINNAM.\*

VERSICULOS in me narratur scribere Cinna.  
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

\* Hic nulla lectionis varietas est in libris calamo exaratis, aut typis impressis.

2. *Nemo legit*. Pessimam poetam notat, cujus carmina perinde negli-

gantur, ac si scripta numquam fuissent. Quid interest versus non scribi, vel non edi, vel non legi? siquidem nemini innotescant. Vid. epigr. lib. VI, 64. ED.

## X.

## IN PHILOMUSUM.\*

CONSTITUIT, Philomuse, pater tibi millia bina  
 Menstrua, perque omnes præstitit illa dies,  
 Luxuriam premeret quum crastina semper egestas,  
 Et vitiis essent danda diurna tuis.

\* Philomusi pater, menstrua filio suo luxu perduto constituerat, eaque singulis diebus divisim dabat, ne uno die, totius mensis alimenta consumeret. At qui filio suo tam prospecte caverat et consuluerat, dum viveret; is pessime eidem cavito testamento suo, quo eum hæredem ex asse reliquit; quum ei alimenta potius diurna, et singulis diebus præstanda relinquere debuisset. Quare eo testamento quo hæres scriptus est, revera est exhæredatus, quum eo facto, patrimonium, quod statim dilapidabit, ad eum sine ullis conditionibus pervenerit. *Herald.*

2. *Perque omnes.* Duo millia sestertium distribuit pater in triginta partes, et singulas singulis diebus dedit Philomuso, qui adeo prodigus erat, ut omnia effunderet. Alii intelligunt duo quidem millia in unum mensem assignata fuisse Philomuso, sed tamen propter immodicas impensas singulis diebus duo millia Philomuso data, atque ab illo fuisse consumpta, ita ut in crastinum nihil ipsi prorsus superesset. Videat lector. Horatius I, sat. III, 15: « Decies centena dedisses Huic parco, paucis contento,

quinque diebus Nil erat in oculis. »

4. *Et vitiis essent*, etc. Scilicet videbat te quotidie per luxum et gulam omnia, quæcumque tibi data fuerant, ligurire ac dilapidare, adeo ut nihil tibi pecuniæ restaret in crastinum; ergo non menstrua, sed diurna tibi danda intelligebat. — *Diurna.* In singulos menses assignabatur servis a domino ad victum certa frumenti mensura, et quædam summa, nostræ monetæ circiter 3 fr. 60 c. Fiebat quoque quotidiana distributio quædam salis et minorum ciborum, quæ vocabatur *diarium*, seu *diurnum*, seu *demensum*: si ex his frugaliter servus aliquid reservaret, poterat inde, intra sex annos, teste Cicerone in epistolis ad familiares, peculium colligere, quo vicarium emeret a quo adjuvaretur, vel se ipse a servitute redimeret. Sed hoc tamen misellum peculium aliquando imminuebatur muneribus quæ domino dare necesse habebant servi; quam necessitatem acerbè dolet Davus in Phormion. act. I, scen. 1. *Ed.* — *Et vitiis esset* in quibusdam vett. et sic est in edd. Ramiresii, Junii, Delph. etc. — *Tanta diurna* conj. Gronovius.

Idem te moriens hæredem ex asse reliquit : 5  
 Exhæredavit te, Philomuse, pater.

5. *Ex asse.* Totam hæreditatem dividebant in partes duodecim, ut assem in duodecim uncias : ita as hæreditatis, hæreditatem integram significabat. De asse, illiusque partibus alibi dictum. ED.

6. *Exhæredavit te.* Quum enim factus sui juris Philomusus patrimonium uno die dilapidaturus esset, pater illum hæredem instituens perinde fecerat, ac si exhæredasset. Vel *Exhæredavit*, quod vivens pater tot et tantas impensas suppeditavit Philomuso, ut hæreditatem vel nullam, vel ære alieno obrutam reliquerit. — Anteferendam censeo priorem interpretationem, quæ scilicet congruat cum prædicta Philomusi prodigalitate : et sic integer et ab omni parte cohærens sibi epigrammatis sensus evadit. ED.

## XI.

### AD QUINTUM.\*

SI tua nec Thais, nec lusca est, Quinte, puella,  
 Cur in te factum distichon esse putas?  
 Sed simile est aliquid : pro Laide Thaida dixi.  
 Dic mihi, quid simile est Thais et Hermione?

\* Succensuerat Martiali Quintus quidam, ob superius VIII epigr. ; qui Quintus Hermionem amabat. Irrisorie respondet poeta : Si tua puella, o Quinte, nec Thais vocatur, nec lusca est, cur existimas distichon illud in te esse factum? Si puella tua Lais vocaretur, aliquid poterat videri simile, quod Thais et Lais affinia quodammodo nomina sunt. Sed si tua puella vocatur Hermione, quid simile habet cum Thaide? At dices tu, Quintum notasti eo disticho, is vero ego sum. Mutemus amantis nomen : nam quum ego ludam semper nominibus fictis, quid interest, Quin-

tum vocem, an Sextum, Thaidis amatorem? sit amator Sextus; et sic tota lis dirimi poterit. *Ramires.*

2. Beverlandi MS. *distichon esse doles.*

3. Langius in marg. pro v. l. habet : « Pulmanni codex, *dixi.* » Nullibi alteram lectionem reperire possum : conjicio tamen ex Ramiresii nota, illum ante oculos habuisse : *Sed simile est aliquid, pro Laide Thaida dici.* Quem vide in Var. Notis. — Hujus versus et sequentis duo possunt adoptari sensus : scilicet amicam Quinti fuisse Hermionem existimabimus, et sic intelligemus : *Esset quædam simi-*

Tu tamen es Quintus : mutemus nomen amantis ;  
Si non vult Quintus Thaida , Sextus amet.

litudo nominum , si tua puella Lais vocaretur , quum ego Thaida nominaverim ; quum autem tua vocetur Hermione , quid simile est ? — Aut contra existimabimus puellam Quinti fuisse Laida ; tum sic intelligendum : Urgebis me nimis aperte lusisse in affinitate nominum , ubi pro Laide tua dixi Thaida. Verum non magis hinc notatur quam si appellassem eam Hermionem. Ed.

5. *Tu tamen es Quintus.* Et ego

Quintum nominavi ; unde Quintus videtur notatus. — *Mutemus.* Quum enim meis in jocis semper utar nominibus fictis , nihil refert utrum Quintum aut Sextum Thaidis amatorem nominem.

6. *Sextus amet.* Videtur ludere poeta in ambiguitate verborum Quintus et Sextus quæ simul nomina propria sunt , et ordinalia (*cinquième , sixième*) et forsân de numero amatorum joculari. Ed.

## XII.

IN FABULLUM , AVARUM CONVIVATOREM.\*

UNGUENTUM , fateor , bonum dedisti  
Convivis here : sed nihil scidisti.  
Res salsa est bene olere , et esurire.  
Qui non cœnat et ungitur , Fabulle ,  
Hic vere mihi mortuus videtur.

\* Fabullum nimis elegantem convivatorem carpit , optimo unguento convivas ungentem , et famelicos dimittentem : hominem stolidè vanum , qui quum lautus videri velit ; in rebus minime necessariis sumptum faciat ; in aliis autem , quæ sumptum necessario desiderant , sordes suas explicet. Ed.

2. *Convivis.* A balneis et ante cœnam prisci inungebantur , admistis succis odoratis. — *Here.* Heri ; ut lib. I , epigramm. XLIV. — *Scidisti.* Verbum est conviviorum pro-

prium : qui vero nihil scindebat , nihil convivis comedendum distribuebat. Vid. infra epigr. XIII et XCIII ; et lib. I , epigr. LI.

3. *Res falsa est* codex Bodleianus. — *Res salsa.* Ironice ; id est ridicula et inepta. Vid. lib. I , epigramm. LX.

5. *Hic vero mihi Juntina* , anno 1512 , et *Colinæana* , anno 1528. — *Vere mihi mortuus.* Enim vero non solum ungebantur mortui , sed iis etiam apponebatur cœna inutilis , Silicernium dicta ; hæc postea

cum iis cremabatur in rogo. ED. — Ludit sane eodem modo Lucianus, libro de Mercenariis : ubi ait miseros literatores, aut alios id genus, qui magnatum mensas colebant, cum aliis accumbere solitos, coronatos sane et unguento delibutos; sed sæpius mala fame et siti per-

ditos, quum nihil iis ministraretur. Quare mortuorum columnis eos non esse absimiles, quas in parentalibus unguento quidem perfunderent, et coronis ornarent; ipsi autem dapibus, quæ simul apponebantur, sese oblectarent. *Herald.* Vid. Juv. in Sat. de Parasito. ED.

## XIII.

IN NÆVIAM, AVARAM CONVIVATRICEM.

DUM non vis leporem, dum non vis carpere mullum,  
Et plus quam patri, Nævia, parcis apro;  
Accusas, rumpisque coquum, tanquam omnia cruda  
Attulerit. Nunquam sic ego crudus ero.

1. *Dum non vis piscem* legit Scriverius : *Dum non vis pullos* Beverl. MS. *carpere pisces* codex Thuan. *carpere pullos* in aliis. — *Carpere.* In partes scindere convivis distribuendas. ED. — *Mullum.* Gallice, *barbeau.*

3. *Rumpis.* Cædis, mulctas; ludit in ambiguitate verbi, coquum scindis, loco leporis seu mulli: sic epigr. xciii infra: «Esse negas coctum leporem poscisque flagella; Mavis, Rufe, coquum scindere quam leporem.» ED. — *Tanquam,* etc. Sic ea in alias cœnas reservanda reportantur. Vid. lib. I, epi-

gramm. civ, v. 7. ED. — *Cruda.* Male cocta. ED.

4. *Crudus.* Crudus est qui cruda habet in stomacho alimenta, quæ propter nimiam copiam concoquere et digerere nequit. Juv. Sat. I, v. 143: «Et crudum pavonem in balnea portas.» Vid. quoque, lib. XII, epigr. lxxvii: qui autem non comedit, crudus esse non potest. ED. — Ex nimia saturitate oritur cruditas stomachi, qua non erat laboraturus Martialis, quum cibos crudos prætexeret Nævia, atque a mensa integros auferri juberet. Ludit Poeta in ambiguitate vocis *crudus.*



## XIV.

## DE TUCCIO.\*

ROMAM petebat esuritor Tuccius,  
 Profectus ex Hispania.  
 Occurrit illi sportularum fabula :  
 A ponte rediit Mulvio.

\* Lemma est in Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *De Tutio*. Langius, Ramiresius, Junius, et Delph. *De Tucio*. Pulmanni MS. *De Tuscio*.

— Quidam Tuccius sportularum fiducia Romam petebat: existimabat enim se solo sportularum proventu posse Romæ vivere (vide infra epigr. xxx, et lib. II, epigr. lxxviii.) Quum autem in Mulvio ponte, quam fastidiose et avare clientes exciperent patroni, et quam miseris officiis sportula, nec famelico sufficiens, acquireretur, vidisset, in Hispaniam rediit. ED.

3. *Occurrit*. In ponte Mulvio, in via Flaminia sito, et distante mille passibus ab Urbe, accepit Tuccius, quam tenuis sportula daretur Romæ, atque illinc ne periret fame, in Hispaniam rediit. Non de tenuitate sportulæ, sed de cœna recta (supra epigr. vii) quæ pecuniæ omnem locum tenebat, hunc locum vult intelligi Ramiresius. ED. — *Fabula*. Sæpe accipitur pro narratione ridicula; sæpe pro actione theatri; hic pro rumore publico sportulas joculariter et acerbe simul deridente. ED.

## XV.

## DE CODRO.

PLUS credit nemo, quam tota Codrus in urbe.  
 Quum sit tam pauper, quomodo? cæcus amat.

1. *Plus credit* Beverlandi MS. Juntina nostra in margine habet, «In omnibus credit». Ant. de Rooy legit: *Plus credit nemo tota, quam, etc.* — *Credit*. Ludit in ambiguitate verbi «credere», quod signi-

ficat fidem adhibere, et dare pecunias mutuo.

2. In edd. vett. *quomodo cæcus amat?* In Pulmanni codd. *quomodo cæcus amat*, sine interrogationis nota. — *Cæcus amat*. Hoc est, amore ob-

cæcatus existimat puellam esse formosam, vel castam, quæ tamen deformis est, nec casta; multi putant vere fuisse cæcum hunc Codrum, qui amaret puellam, quam audierat esse formosam. Lib. VIII,

epigr. XLIX. Potest etiam explicari: mala et cæca fiducia deluditur Codrus, qui quum sit omnino pauper, sperat se posse ab amata mutuum amorem impetrare, ut ipsi faciat sui copiam. Ed.

## XVI.

### IN CERDONEM.

DAS gladiatores, sutorum regule, cerdo,  
 Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.  
 Ebrius es: nec enim faceres id sobrius unquam,  
 Ut velles corio ludere, cerdo, tuo.

1. Ramiresius legit: *sutorum, Regule, cerdo*, ut Regulus sit nomen proprium. *Cerdo* nomen proprium esse ait Cagnerius. — *Sutorum* quemdam justa indignatione suggillat, quod gladiatorium munus exhibuerit; quem Bononiensem esse constat ex epigr. LIX hujus libri, et succensuisse Martiali ob hæc scommata discimus ex epigr. XCIX. — *Dat gladiatores*. Constat non esse muneris exhibendi omnibus æquam potestatem. Exstat enim apud Tacitum, lib. IV Annal., senatusconsultum, quo cautum est ne quis gladiatorium munus ederet, cui non erat census equestris: et ex Suetonio, Claud. cap. 28, conjici potest libertis nisi ex voluntate principis hoc jus non competere. Recte igitur deridet Martialis infimum opificem, quod erat spectatarum personarum sibi arrogan-tem. Ed. — Eadem est indignatio Juvenalis sat. III: « Quondam hi

cornicines et municipalis arenæ Perpetui comites, notæque per oppida buccæ, Munera nunc edunt et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter. » Et Pers. sat. IV, versu penult. « Respice quod non est; tollat sua munera cerdo. » — *Sutorum regule, cerdo*. Hoc differunt *sutor* et *cerdo*, quod sutor faciat calceos, cerdo reficiat, ac veteres sarciat: hinc veteramentarius etiam appellatur. Itaque *cerdonem* ironice vocat Martialis *sutorum regulum* et principem. Ed.

2. Junt. ann. 1512, *sicca rapit*. — *Quodque tibi*, etc. Quidquid lucri tibi dedit subula, instrumentum tuæ artis, hoc tibi rapit sica, instrumentum artis gladiatoris. Ed. — *Sica*. Sica est brevis gladius, incurvus instar falculæ, a secando dicta. Thrax seu Retiarius contra Mirmillonem sica pugnabat. Vid. epist. libri V.

4. *Velles ut corio* Pulmanni MS.

Lusisti, satis est : sed te, mihi crede, memento 5  
Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

— *Ut velles corio*, etc. Ludit in verbo Martialis. Enim vero *corio suo ludere* proverbium est, quod significat suis impensis aliquid facere. Ludos autem exhibet suis impensis cerdo, et quidem pecunia per corium comparata. ED.

5. *Lusisti corio*; sed Beverlandi MS. *Lusisti satis*, sed Ald. 1501. Junt. Colin. Gryph. Lang. etc. *Lusisti fatis*; sed Junt. nostra in margine. *Lusisti : satis est : sed* codex Pulmanni.

6. *Nunc in pellicula*, etc. Jocus

idem qui jam in quarto versu. *Se in pelle sua tenere, in propria pelle quiescere*, proverbium est ductum aut ab Æsopica rana quæ quum inflasset pelliculam, bovem æquatura, rupto corpore, periit : aut ab asino Cumano quem idem Æsopus fabulatur leonis pellem induisse, et re cognita, usque ad necem verberatum pœnas stultitiæ dedisse. Suadet igitur Martialis cerdoni ut se in pellicula sua, id est, in conditione et in corio contineat : *ne sutor ultra crepidam*. ED.

## XVII.

### IN SABIDIUM.

CIRCUMLATA diu mensis scriblita secundis,  
Urebat nimio sæva calore manus;  
Sed magis ardebat Sabidi gula : protinus ergo

Δὴν περιδινηθεὶς ἐπιδορπιδίῃσι τραπέζαις,  
Σφοδρότερῃ θέρμῃ χειῖρας ἔκαιε πλακοῦς·  
Ἄλλ' οὐ Σαβιδίου σόμα καίετο· ἐσσυμένως δὲ

1. *Circumjacta* Beverlandi MS. Antiquus codex Calderini *scribitita*; sed male emendarunt, *sportita*; vel, *intrita*, ut in ed. prima Dictionarii Calepini in vocab. *intritum*; et sic legit Merula contra Calderinum; vel *sribilita*. « Dictio hæc depravata est in novis codd. omni parte, in vetustissimis non omnino; nam vetusti codices sic habent, *scritiita*, quod ita emendandum censeo scri-

*blita*; nam *scriblita*, auctore Varone in Menippea, est genus cibi liquidioris. » Calderinus. *Inscripta* codex Pulmanni, et Beverlandi MS. — *Scriblita*. A verbo *στρεβλεῖν*, *torquere*; quod in circuitu torqueatur. Similis est origo vocabuli gallici, *tourte*. — *Mensis secundis*. Gallice, *au second service*. Vid. lib. I, epigr. CIV, vs. 8. ED.

3. *Magis ardebat*. Ludit in ver-

Sufflavit buccis terque quaterque suis.  
 Illa quidem tepuit, digitosque admittere visa est : 5  
 Sed nemo potuit tangere : merda fuit.

Δίς τ' ἐνεφύσησεν, τρίς τε γνάθοισιν ἐαῖς.  
 Καὶ ὅς ἀπεψύχθη μὲν, ἀφῆς τ' ἀνέχεσθαι ἔδοξεν·  
 Ἄλλ' οὐδεὶς ἔτλη (σκῶρ ἐτέτυκτο) θιγεῖν.

bis urebat calore, et ardebat cupiditate. ED.

6. *Tangere*. Ludit pariter in verbis digitos admittere, et tangere. ED. — *Merda fuit*. Fædo Sabidii halitu fuerat corrupta : ideo nemo

voluit aut sustinuit, non tantum edere vel gustare eam scriblitam, quæ fœtorem veluti stercoris contraxerat; sed nec manibus tangere. Lib. VII, epigr. xciv. — *De Sabidio*, vide lib. I, epigr. xxxiii.

## XVIII.

IN MAXIMUM.\*

PERFRIXISSE tuas questa est præfatio fauces.  
 Quum te excusaris, Maxime, quid recitas?

\* Irrisio est cujusdam Maximi, qui recitaturus raucitatem excusavit, quum posset recitationem ipsam excusare. Vid. lib. IV, epigr. xli; et lib. VI, epigr. xli.

1. *Perfrixisse*. Nimio frigore te factum esse raucum. — *Præfatio*. Antequam recitarent, præfabantur

aliquid quo monerent auditores ea quæ in rem judicabant esse.

2. *Quum tu excusaris ex ed.* Pulmanni citat Langius. — *Quum te excusaris*. Recitare non debuisti, sed tuis faucibus et nostris auriculis parcere; excusatio totum opus removet, vel differt.

## XIX.

DE VIPERA IN ORE URSÆ.\*

PROXIMA centenis ostenditur ursa columnis,  
 Exornant fictæ qua Platanona feræ.  
 Hujus dum patulos alludens tentat hiatus  
 Pulcher Hylas, teneram mersit in ora manum.

Πασάδος ἄγχι σαῶς ἑκατονσύλου ἄρκτος ὀράται,  
 Ἢι πλατανῶν ψεύσαις θηρσὶν ἐπισέφεται,  
 Ἢς ὡς ἐψιῶν πείραζε τὸ χάσμα, καθῆκε  
 Κοῦρος Ἰλας ἀταλὴν χεῖρα κατὰ στόματος·

\* Est flebilis narratio casus cujusdam quo periit pulchellus puer: stabant apud Vipsanam porticum fictiles feræ ad ornamentum loci, apertis rictibus, positæ; in quarum hiatus ludibundus puer manum immittebat; forte accessit ad ursam quamdam in cujus ore viva latebat vipera; quæ irritata pueri manu eum acriter momordit, immisso veneno brevi periturum.

1. *Proxima centenis*, etc. Prope Vipsanam porticum (de quo lib. I, epigr. cix, v. 3; et lib. II, epigr. xiv, vs. 9), quæ centum columnis fulta est, in loco platanis consito, visuntur multæ ferarum imagines ex metallo, seu marmore, seu lapide expressæ, inter quas est ursa. — Scaliger interpretatur hunc locum de stadio quod erat prope theatrum Pompeii, regione nona, et temporibus Martialis sub Domitiano exstructum fuit, quod Eusebius in Chronico vocat hecatostylon.

2. *Exornant pictæ* Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ. — *Fictæ*. Fingunt statuarii, pingunt pictores. — *Platanona*. Locum platanis ex ordine consitum.

3. Codex Thuan. *temptat hiatus*. Pulmanni codex: *alludere tentat hiatus*. — *Tentat hiatus*. Faucium altitudinem explorat, quasi provocaret ac diceret: Morde, fera, si potes!

4. *Hylas*. Fuit puer, Theodamæ filius, egregiæque venustatis, Herculi admodum carus. Quum Jasonem et Argonautas uterque ad vellus aureum rapiendum comitaretur, Hylas prope fontem, ad quem accesserat aquam haustus, a nymphis fuit raptus. Hercules in litus descendit, et Hylam diu vocatum ita flevit amissum, ut Argonautas longius sequi noluerit: quum autem pulchritudinis laude effloret Hylas, Hylan vocat puerum pulchellum Martialis. Virg. Georg. III, 6: « Cui non dictus Hylas puer?

Vipera sed cæco scelerata latebat in ore,  
 Vivebatque anima deteriore fera.  
 Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto  
 Dum perit : o facinus, falsa quod ursa fuit!

Ἀλλὰ λάθρη κατ' ὀπήν φώλευεν ἔνεδρος ἔχιθνα,  
 Ἄρκτος ὑπὸ ψυχῆς τ' ἔπνεε λυγροτέρης·  
 Οὐδὲ δολῶν ἐπαΐσει κόρος, πρὶν ὀδόντι χαραχθεὶς  
 Φθῆσθαι· φεῦ τοῦ ἄγους, πλασῆ ὅτ' ἄρκτος ἔην!

5. *Vipera sed cæco celata* in Pulmann. *celo scelerata* in Beverlandi MS. *latebat in ere* Thuan. *latebat in are* ex Palat. legendum censet Grut. — *Cæco*. Tenebroso, ita ut quid intus abderetur videri non posset.

6. *Vivebatque anima*, etc. Et in hac fera crudeli, quoad corpus innoxia, latebat quasi anima crudelior, scelus meditans nocentius morsura. Ed.

7. *Dente recepto*. Venenum viperæ in dentibus est, aut in vesica tenui ad guttur inserta, quæ, quum viperæ dentibus comprimitur, emit vit virus.

8. *Dum perit : o facinus ausa quod ursa fuit* in Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Comperit et facinus ausa* correxit Ramires. de Prado. Ex nonnullis codd. *fassa quod* citat Musambertius; unde fecit, *Dum perit : o facinus falsa*; quam lectionem nunc testantur codd. Bodl. et Scriverii. Voces *fassa* et *falsa* sæpe permutantur. Alii legunt, *o facinus falsa quod ursa facit*. — *O facinus, falsa quod ursa fuit!* O factum male, quod non vera fuerit ursa! Tunc enim non inseruisset illi puer manum in os; aut ipsa formoso puero pepercisset vipera clementior.

## XX.

DE CANIO.\*

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?  
 Utrumne chartis tradit ille victuris

\* Jocosorum Gaditanorum jocosum concivem Canium, qui lepidissimis suis sermonibus potuisset Ulyssem ipsum detinere, describit perpetuo ridentem. De eodem Canio, vid. infr. epigr. LXIV, et supr.

lib. I, epigr. LXII, v. 9, et epigr. LXX. Ed.

1. *Ruffus* Ald. Junt. Colin. et Gryph.

2. *Victuris*. In omnem posteritatem legendis, et habentibus ge-

Legenda temporum acta Claudianorum?  
 An quæ Neroni falsus adstruit scriptor?  
 An æmulatur improbi jocos Phædri?  
 Lascivus elegis, an severus herois!  
 An in cothurnis horridus Sophocleis?  
 An otiosus in schola Poetarum

nium, ut ipse ait lib. VI, epigr. LX, v. 10; vid. quoque lib. I, epigr. CVIII, v. 5, et lib. II, epigr. III, v. 7.

3. *Temporum acta Claudianorum.* Historiam rerum romanarum sub Claudio imperatore, quinto ab Julio Cæsare, gestarum.

4. *Beverlandi MS. falsus asseruit scriptor.* — *An quæ Neroni*, etc. Neronis historia a multis scriptoribus mendacissime fuerat composita, qui vivo turpissime adulabantur, vel mortuo, nova, quæ non cogitarat, adstruebant scelera. Tacitus in præmio Annalium: « Tiberii, Caiique, et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsæ; postquam occiderunt recentibus odiis compositæ sunt. » Ergo sensus hic est: An ad fidem et veritatem historiæ revocat componitque, quæ per odium aut adulationem excogitata fuerant commenta?

5. *Æmulatur.* Fabulas componit lepidas tersissimasque. — *Phædri.* Qui fuit Augusti libertus, et fabulas Æsopi ex græco latinis elegantibus senariis reddidit. Improbum vero dixit, quia fictis animalium colloquiis sui temporis mores acute carpit.

6. *Elegis.* Elegiarum materiam sic definit Horatius in Arte poetica: « Versibus impariter junctis querimonia primum, Post etiam inclusa

est voti sententia compos. » — *Severus herois.* Grave est enim heroici carminis argumentum.

7. *An in cothurnis*, etc. An tristis et altus majestate carminis tragici, scribit tragœdias? In tragœdiis autem inducti heroes et reges grande loquuti, altis innitebantur calceamentis; claruitque stylo tragico Sophocles. Et quamvis Æschylus fuerit primus, qui magniloquentiam docuerit, ut testatur Horat. in Arte poetica; « Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno »; in proverbium tamen abiit *Sophocleus cothurnus*, quod Sophocles cæteros tragicos dictionis gravitate longe superaverit; ut Virg. Eclog. VIII, vs. 10: « Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. » *Ramiresius.* — *Sophocleis.* Nam Sophocles Atheniensis poeta græcus tragicus insignis fuit, cujus exstant multæ tragœdiæ. Floruit circa annum mundi 3574. Cum Æschylo poeta item tragico certavit, eumque sæpe vicit, ac duodeviginti palmis clarus, ultima demum sic elatus est, ut gaudio victus obierit.

8. *An otiosus*, etc. An in conventu poetarum recitat elegantes comœdias, vel alia carmina. — *Otiosus.* Ab aliis negotiis vacuus. — *Schola.* Hic schola non proprie sumitur; nullus enim Romæ hoc tempore locus destinatus poetis;

Lepore tinctos Attico sales narrat?  
 Hinc si recessit, porticum terit templi; 10  
 An spatia carpit lentus Argonautarum?  
 An delicatæ sole rursus Europæ  
 Inter tepentes post meridiem buxos  
 Sedet, ambulatve liber acribus curis?  
 Titine thermis, an lavatur Agrippæ, 15  
 An impudici balneo Tigillini?

sed communiter accipiendum pro quovis hominum conventu ad recitatuos poetas audiendos. *Ramires*.

9. *Attico*. Atheniensium laudatur elegantia et urbanitas.

10. *Porticum terit templi*. Forsan Isidis, quod erat procul porticus Europæ, et Argonautarum. Vide lib. II, epigr. XIV, v. 7. Ed.

11. *Spatia*. Forsan septa, de quibus diximus lib. II, epigr. XIV, v. 5, quæ erant prope templum Neptuni, juxta quod porticus pulcherrima, in qua picta erat Argonautarum historia. Ed.

12. *An delicatæ*, etc. Ordo est: An sedet inter Europæ delicatæ buxos sole tepentes? Erat prope porticum Europæ silvula e buxo. Vid. lib. II, epigr. XIV, vs. 3 et 15. — *Delicatæ*. Id est, deliciis Romanorum utilis, qui hanc prope porticum juxta meridiem apricabantur. Vid. lib. II, epigr. XIV, v. 15.

15. *Stertitve ? thermis an lavatur Agrippæ ?* MS. Oxoniensis. *Stertitne* Beverlandi MS. — *Titine*. Titi Imperatoris, qui deliciæ mundi; quem procul dubio versu clariore sæpe celebrasset, si per Domitianum licuisset. *Rader*. — *Titine thermis*. Titi Imperatoris thermas interpretare velociter exstructas. Vid. lib.

*Spectac.* epigr. II, v. 7. *Thermæ* sunt balnea calida, ut jam diximus; vid. lib. II, epigr. XLVIII, vs. 8. Ed. — Legunt alii *Stertitne thermis*, minus bene meo judicio, sed forte bene legeretur: *Stertitne, thermis an lavatur Agrippæ ?* Agrippa quoque thermas construxerat, quibus nomen suum imposuerat. M. Vipsanius Agrippa fuit Augusti gener, ædificavit templum in honorem omnium deorum quod appellavit Pantheon, addiditque porticum lauris obumbratam. Vide lib. I, epigr. CIX, vs. 3.

16. *Tigellini* legi jussit *Ramires*. — *Tigillini*. Legitur et *Tigellini*; qui est Sophonius Tigellinus de quo et ejus impudicitia Tacitus, lib. XIV, Annal.: « Imposuit cohortibus Sophonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo sequutus. » Et paulo post addit: « Validior Tigellinus in animo principis ex intimis libidinibus assumptus. » Et lib. Historiarum I: « Sophonius Tigellinus, obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta »; cujus vitam etiam breviter describit vetus Scholiastes Juvenalis ad versum: « Pone Tigellinum », Sat. I, v. 155. ubi vid. nostr. edit. vol. I, pag. 17. Ed.



An rure Tulli fruitur, atque Lucani?  
 An Pollionis dulce currit ad Quartum?  
 An æstuentes jam profectus ad Baias  
 Piger Lucrino nauculatur in stagno?  
 Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

20

17 *Tulli atque Lucani.* Fratres hi erant summa inter se caritate conjuncti, ut constat ex lib. I, epigr. xxxvii; et lib. IX, epigr. lii. — *Fruitur.* Hoc est, an rusticatur?

18. Beverlandi MS. *curritat quartum.* — *Ad Quartum.* Prædium suburbanum ad quartum lapidem. Ita suburbana prædia aut prætoria nominabant, ad Tertium, Quartum, Sextum, intellige lapidem milliarum. Singula passuum ab urbe milia notabantur lapidibus in via publica positis.

19. *An æstuentes.* Aquas calidas Baiarum intellige inter Misenum et

Puteolos, in Campania, ubi et stagnum Lucrinum. Lib. I, epigr. lx et lxi.

20. *Piger Lucrino nauculatur* in ed. antiq. Ferrar. ann. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. aliis. Ita Phædrus in quarta regione sæpe posuit anapæstum. Pulmannus legit *naviclatur*. Lectionem nostram testantur optimi Gruteri codd. Sic ex (*navita*) *navita* simplici syncope fit *nauta*; namque veteres Romani *v* consonantem non pronuntiabant. — *Nauculatur.* Pro *naviculatur*, *navigat*.

21. *Vis scire.* Respondet Musa.

## XXI.

IN CRUDELEM DOMINUM.\*

PROSCRIPTUM famulus servavit fronte notatus.  
 Non fuit hæc domini vita, sed invidia.

\* *De domino et famulo* lemma est in cod. Pulmanni.

1. *Proscriptum.* Dicebantur proscripti, quorum vita et caput venale proponebatur in tabula, certo adscripto pretio, si quis eos interemisset. Talis fuit is de quo agitur in hoc epigrammate, cui nomen Antius Restio. Ille a Triumviris proscriptus, anno ab Urbe condita

710, fugit, uno servo fugæ comite et conscio, quem paulo ante per summam crudelitatem literis in fronte inustis notaverat, quam ignominia notam et pœnam imponebant vulgo domini servis nequam et fugitivis. Supervenientibus militibus quam diutius occultari Antius non posset, servus rogum extruxit, et hominem quemdam ignotum a se

comprehensum occisumque in ro-  
gum injecit, quærentibusque per-  
cussoribus ubi esset Antius, rogam  
ostentans, « ibi, inquit, pœnas suæ  
in me crudelitatis luit ». Præsens  
spectaculum et præterita heri cul-  
pa fidem fecit; ita servatus est An-  
tius. Val. Max. lib. VI, cap. 8;  
Macrob. I, Saturnal. cap. 11; Sen-  
de Beneficiis lib. III, cap. 23. —  
*Fronte notatus*. De notis quæ ser-  
vorum frontibus inurebantur, lib.  
II, epigr. xxix. Servus sic notatus  
vocabatur stigmatias.

2. *Sed invidia*. Summa enim hu-

manitate usus erga dominum cru-  
delem servus omnibus eum fecit  
odiosum; ita illum multo gravius  
ultus est vita servata, quam ulcisci  
potuisset erepta; omnibus indi-  
gnantibus ab Antio tam indigne  
habitum fuisse servum, a quo po-  
stea tam amanter servatus fuit. *In-  
vidia* latine sumitur pro aliorum  
offensione et indignatione. Ma-  
gnam igitur sibi conflavit invidiam  
dominus; servus contra miseratio-  
nem et admirationem nobili facto  
consequutus est, et hero pœnitentiam  
sævitiæ injecit. Ed.

## XXII.

DE APICIO.\*

DEDERAS, Apici, bis tricenties ventri,  
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.  
Hoc tu gravatus, ut famem et sitim ferre,

\* Apicii luxuria abiit in prover-  
bium Tiberii Cæsaris tempore, quo  
et ipse vixit, qui helluones omnes  
longo intervallo superavit. Seneca  
Consol. ad Helviam, cap. 10: « Su-  
perfuturum sibi sestertium centies  
computavit, et velut in ultima fame  
victurus, si HS centies vixisset,  
veneno vitam finivit. Quanta luxu-  
ria est, cui sestertium centies ege-  
stas fuit! » Ed.

— Hoc epigramma, et quæ se-  
quuntur quadraginta duo, locum  
obtinent in Ald. Junt. et Colin.  
post epigr. LXVII libri quinti.

1. *Dederas Apicibus* in Colin. anni  
1528. — Legendum putat Meur-  
sius, *ter trecenties*, quia Seneca te-

statur Apicium hausisse sestertium  
nongenties in comessionibus. —  
*Bis tricenties*. Apicius septingenta  
millia sestertium habebat in bonis  
nostræ monetæ 8,750,000 franc.;  
sexcenta millia luxu consumpserat,  
centum vero millia supererant.

2. Beverlandi MS. *luxit*; codex  
Pulmanni *luxu*. — *Centies laxum*.  
Hoc est, non minus centies, immo  
vero amplius; et nostræ monetæ,  
1,250,000 francorum, ex Rollino.

3. Edd. vett. *ne famem et sitim  
ferres*. Nostram lectionem ex codd.  
suis dedit Gruterus. — *Hoc tu gra-  
vatus*. Hoc gravatus, quasi hanc  
summam habere esset famem et  
sitim ferre, quasi hæc pecunia non

Summa venenum potione duxisti.  
Nil est, Apici, tibi gulosius factum.

sufficeret ad arcendam famem et sitim. Ed.

4. Beverlandi MS. *perduxit* pro *duxisti*. Scriverius legi jussit *perduxisti* pro *perduxisti*. Vide Carrion. antiq. lect. I, 11; Heinsium ad Virgilium, Æneid. lib. IV, 682; Tollium ad Auson. p. 270; et

Burmannum ad Propert. I, 3, 27.

— *Summa potione*, scilic. ultima.

5. *Gulosius*. Nunquam ullo tuo facto clarius ostendisti quam esses gulosus. Vel Poeta irridet Apicium, quasi centies emisset summam potionem qua periit, unde cariore pretio nunquam biberat.

## XXIII.

IN AVARUM INVITATOREM.\*

OMNIA QUUM RETRO PUERIS Opsonia tradas :  
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

\* Triclinium tres lectos habebat ita dispositos, ut unum complecterentur alii duo, referrentque formam Π majusculæ; in medio orbis collocabatur ad ponendas dapes, qui orbis mensa dicebatur, ut inde convivæ recumbentes in lectuli tricliniis possent sibi desumere quod libuisset. Quum autem hic omnia obsonia statim ac ponerentur in mensa traderet pueris retro, ait satius fuisse ut a pedibus collocaretur. *Ramires*.

— In antiquis codd. lemma est: *In cœnipetam avarum*. In edd. vett. *In invitatorem*, improbante Herald.

1. Beverlandi MS. *pueris retrahens*. In quibusdam edd. *obsonia*: in membranis fere scribitur, *opsonia*, ut est in margine Juntinæ nostræ; et recte, nam græce est,

ὀψώνιον. Beverlandi MS. *tractas* pro *tradas*, quæ verba sæpe permutantur in codd. — *Omnia quum retro*. Quidam pueri vocabantur ad pedes, qui ad pedes lecti, in quo recumbebat dominus, retro stabant, et a tergo, ejus soleas servantes. — Seneca de Beneficiis, lib. III, cap. 27: « Ut primum diluxit, servus qui cœnanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixisset. » — Quum igitur traderet omnes dapes avarus ille invitator famulis auferendas, vel delicatulis pueris edendas, commodius hoc factum fuisset, si a tergo accumbentium fuisset posita mensa: quæ posita in fronte, non magis utilis erat convivis. — *Opsonia*. Cibi omnes, præter panem ita vocabantur ab ὀπάζω, coquo.

## XXIV.

## DE HARUPISCE HERNIOSO.\*

VITE nocens rosa stabat moriturus ad aras  
 Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.  
 Quem Tuscus mactare deo quum vellet haruspex,  
 Dixerat agresti forte rudique viro,  
 Ut cito testiculos peracuta falce secaret, 5  
 Teter ut immundæ carnis abiret odor.  
 Ipse super virides aras luctantia pronus  
 Dum resecat cultro colla, premitque manu;  
 Ingens iratis apparuit hernia sacris.  
 Occupat hanc ferro rusticus, atque secat : 10  
 Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,  
 Talibus et fibris numina prisca coli.

\* *De Tusco haruspice* inscribitur in Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. Junian. aliis. *De hernioso haruspice* in cod. Pulmanni.

1. *Vite nocens rosa.* Hircus Baccho immolabatur, quia vites rodit, ut porcus Cereri, quod frugibus obsit. Ovid. lib. I, Fast. Ennii poetæ versus græcos imitatus, quos  $\pi\alpha\rho\rho\delta\iota\kappa\omega\varsigma$  adducit Suetonius in Domitiano, cap. 14: « Rode, caper, vitem, tamen hinc quum stabis ad aras, Intus quod spargi in cornua possit, erit. » Lib. XIII, epigramm. xxxix: « Lascivum pecus, et viridi non utile Baccho, Det pœnas: nocuit jam tener ille deo. »

2. Cod. Bodl. et Beverlandi MS. *tuis victima digna sacris.*

3. *Quem Tuscus.* Ex Tuscia, sive Hetruria, hodie *la Toscane*, Ro-

mam allata est haruspicina. Haruspex autem, teste Donato ad Phormionem Terentii, act. IV, scen. 4, ab haruga nominatur. Nam haruga dicitur hostia, ab hara in qua concluditur et servatur. Alii, qui sine aspiratione hoc vocabul. scribunt, dici putant quia aruspex « in ara inspicit exta ».

5. Junt. *per acuta.* Quia in codd. legerat, et *acuta*, Scriv. *malit, sed acuta.*

7. *Virides.* Hoc est, stratas herba viridi. Vide Terent. act. IV, scen. 4, de more herbis aras sternendi.

9. *Iratis.* Forte propter irreverentiam haruspicis, cujus hernia apparebat, quam exsecuit rusticus, quum hirci testiculos abscindere debuisset.

Sic modo qui Tuscus fueras, nunc Gallus haruspex,  
Dum jugulas hircum, factus es ipse caper.

13. *Qui Tuscus.* Ludit poeta in voce *Gallus*, quasi ille haruspex patriam commutasset; sed intelligit Gallum fuisse factum, hoc est, castratum: Sacerdotes enim Cybeles castrati dicebantur Galli.

14. *Ipse caper.* Hircus et caper in eo differunt, quod hic castratus sit, ille vero minime; aliquando tamen confunduntur. Virg. Eclog. VII: « Vir gregis ipse caper. » Vid. Gell. lib. IX, cap. 9.

## XXV.

AD FAUSTINUM, DE SABINEO RHETORE FRIGIDO.\*

Si temperari balneum cupis fervens,  
Faustine, quod vix Julianus intraret:  
Roga, lavetur, rhetorem Sabineum.  
Neronianas hic refrigeret thermas.

\* Jocus est in Sabineum Rhetorem frigidissimum in dicendo, quem ait hyperbolicōs, posse fervens balneum refrigerare.

— Lemma in Beverlandi MS. est: *De Sabineo Rhetore frigido.*

2. *Julianus.* Aliquis Faustino notus, qui aquis nonnisi fervidissimis lavabat.

3. *Rogo laves uti rhetorem Sabineum* legit Calderinus. *Rogo lavetur rhetorem Sabineum* Ald. ann. 1550. *Rogo lave tuti rhetorem Sabineum* Ald. ann. 1501; Junt. ann. 1512; Colin. ann. 1528, aliæ. *Rogo lavet uti* in quibusdam. *Rogo laver uti* in aliis. Legitur etiam: *Roga lavetur hic rhetor Sabineus*; probante Ramiresio, et, *Rogo lavetur hic rhetor Sabineus*. Ant. de Rooy conj. *Rogo, lavet tibi rhetorem Sabincium*; ut

*Rogo* sit adhortantis, vel pro *quæso*: sic supra, lib. II, epigr. XIV; et lib. II, epigr. XXXIX. — *Sabineum*. Ineptum nempe.

4. *Neronianas is refrigerat thermas* Junt. ann. 1512. *Neronianas is refrigerat thermas* Ald. Colin. Gryph. etc. *refrigeret* pro *refrigerat* non placet eidem Ant. de Rooy. — *Neronianas*. Cæteris calidiores. Vide lib. II, epigr. XLVIII; et lib. VII, epigr. XXXIV. — *Refrigeret*. Hoc est, qui vel aquam calidissimam refrigerare possit. Jocus est a frigore aeris ad orationis frigus seu potius ineptias. Dicimus enim orationem ineptam frigere. Suet. in Claudio cap. 41: « Et quum primum frequenti auditorio commississet, ægre perlegit refrigeratus sæpe a se ipso. »

## XXVI.

IN CANDIDUM. \*

PRÆDIA solus habes, et solus, Candide, nummos,  
 Aurea solus habes, myrrhina solus habes;  
 Massica solus habes, et Opimi Cæcuba solus;  
 Et cor solus habes, solus et ingenium.

\* Candidum eundem avarum et sui unius amantem, quem jam (lib. II, epigr. XXIV et XLIII), suggillavit, quod suas sibi reservaret delicias, nec amicis communicaret, nunc deridet Noster, quod unam tantum rem habeat communem, scilicet uxorem. ED.

1. *Solus habes.* Sensus est: Tibi soli habes, licet hoc Pythagoricum semper habeas in ore præceptum: κοινὰ φῶλον. ED.

2. *Aurea, myrrhina.* Vasa; vid. XIV, epigr. CXIII. Sic fere myrrhina describit Plinius, lib. XXXVII, cap. 2: « Oriens, inquit, myrrhina mittit ex humore sub terra calore densata. In pretio sunt ob nitorem et coloris varietatem, purpurei, candidi, et tertii ignescentis. Aliqua et in odore commendatio est, etc. » Jos. Scalig. ad versum illum Propertii lib. IV, « Murraque in Parthis pocula cocta focus », adversatur Plinio, asseritque myrrhina pocula ex Signino cocto apud Sinas facta esse, quæ gallice *porcelaine* vocatur. Vide Pancirolum, et, ad eum, Salmuth.

3. *Massica.* Massicus mons in Campania fuit, vini generosi ferax. Nunc est in ea parte Italiæ quæ vo-

catur Terra Laboris in regno Neapolitano, *Monte Marsico* appellatus, inter Minturnas et Calenum. Vide lib. XIII, epigr. III. — *Opimi.* Lucio Opimio consule, anno ab Urbe condita 633, ante J. C. 119, vini optimi felix et ingens in Italia tota proventus fuit; quod in testas seu amphoras diffusum, in annos 200 duravit. — *Cæcuba.* Cæcubum vel Cæcubus, mons et ager est in Latio, vini optimi fertilis, prope Fundos et Amyclas urbes, ad sinum Caietanum. Mons ille nunc vocatur *Monte di Gaeta*. Cæcubum vinum, per se ipsum jam generosum, inde majoris pretii est quod Opimio consule fuerit recollectum: hinc avaritiam Candidi gravius increpat Noster qui merum tam eximium sibi soli reservat. ED.

4. *Et cor.* Solus tibi sapere videris; cordati dicuntur qui sapientiam aut fortitudinem habent. Vid. epigr. XXVII infr. v. 4. Sic et apud Ennium: « Egregie cordatus homo Catus Æliu' Sextus. » — Est metonymiæ genus haud infrequens, quo variæ partes corporis sumuntur pro quibusdam animi affectibus, aut indolis qualitatibus: verbi causa, pectus, spiritus, etc. ED.

Omnia solus habes ; nec me puta velle negare : 5  
Uxorem sed habes, Candide, cum populo.

5. Alii legunt : *hoc nec puto posse negari*. Fr. Modius, *Novantiquarum Lectionum epist.* 75. Ramiresius : *hoc non puto posse negare*. Edd. vett. Ald. Junt. Colin. Gryph. *hoc me puto velle negare*. Scriverius, *nec me puta velle negare*. Alii, ut Schrevelius, *hoc me puta velle negare*.

## XXVII.

IN GALLUM.\*

NUNQUAM me revocas, venias quum sæpe vocatus :  
Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas.  
Invitas alios : vitium est utriusque. Quod? inquis.  
Et mihi cor non est; nec tibi, Galle, pudor.

\* Gallum sæpe a se vocatum ad cœnam dicit, se autem nunquam revocatum a Gallo. Indignatur; et se stultum, qui hoc fecerit; et Gallum impudentem, qui non fecerit, et tamen alios invitet, affirmat. *Raderus*.

3. *Utriusque*. Meum æque ac tuum. Schrevelii MS. *utrinque*.

4. *Et mihi cor non est*. Nec enim te invitare deberem. Vid. præcedens epigr. v. 4. — *Nec tibi, Galle*. Quum me de te bene meritum ad cœnam non revoces.

## XXVIII.

IN NESTOREM.\*

AURICULAM Mario graviter miraris olere!  
Tu facis hoc : garris, Nestor, in auriculam.

\* Hic nulla lectionis varietas est in libris manuscriptis, aut codicibus prelo excusis.

2. *Tu facis hoc*. Tu causa es cur

illi male oleat auricula, cui graveolentiam affers impuro tuo halitu. De τῶ in aurem garrere, vid. lib. I, epigr. xc.

## XXIX.

IN SERVUM EQUITEM FACTUM.\*

HAS cum gemina compede dedicat catenas,  
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

\* Zoilus, e servo ergastulario, eques factus fuerat. Hunc ut pristinae conditionis admoneat Poeta, fingit eum suas Saturno dedicare catenas; et ludit in voce *annulos* quod ad catenas pertinet et ad equestrem dignitatem. ED.

— In plerisque *In Zoilum*, quod mutavimus.

1. *Gemina compede*. Servi improbi, compedibus vincti, opus in ergastulo faciebant. — *Dedicat catenas*. Servi libertate donati compedes et catenas consecrabant Saturno; qui quidem deus, in compedes olim a filio Jove coniectus, adeptus deinde libertatem, servos in clientelam suam videbatur accepisse; itaque, ut Apollodorus ait, Saturnus per totum annum laneo vinculo alligabatur, quo mense decembri tantum solvebatur; quum per Saturna-

lium dies servi libertatem adepti incederent per urbem pileati. Horat. sat. I, 5: «donasset jamne catenam.»

2. *Annulos olim ferreos gerebat in pedibus; nunc gerit aureos in digitis*. Lib. XI, epigr. xxxviii: «Zoile, quid tota gemmam præcingere libra Te juvat, et miserum perdere sardonicha? Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus; Non eadem digitis pondera conveniunt.» — Est alter jocus de annulis, lib. VIII, epigr. v. — Hujus epigrammatis carmen est e Sotadico genere, ut diximus lib. II, epigr. lxxxvi, v. 2. Hic versus a phaleucio seu hendecasyllabo in eo tantum discrepat. quod ante dactylum, qui mediam versiculi partem obtinet, habeat anapæstum; ita constat 14 syllabis, quæ sex pedes efficiunt.

## XXX.

AD GARGILIANUM, CLIENTEM EGENUM.

SPORTULA nulla datur; gratis conviva recumbis:

1. *Sportula nulla*, etc. Domitianus rectas cœnas restituit (vide supr. epigr. vii); nihil datur jam

pecuniæ clientibus: quomodo poteris jam Romæ vivere, quippe nullam artem calles, unde tibi com-



Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?  
 Unde tibi togula est, et fuscæ pensio cellæ?  
 Unde datur quadrans? unde vir es Chiones?  
 Cum ratione licet dicas te vivere summa :  
 Quod vivis, nulla cum ratione facis.

pares togam, solvas pensionem domus tenebrosæ, pretium meretricis, etc. Ad hæc omnia præstanda utebantur clientes centum illis quadrantibus quibus, ut ait Juvenalis: « Hinc toga, calceus hinc est, Et panis, fumusque domi. » — *Gratis conviva.* Vide infr. epigr. LX.

3. *Fuscæ pensio cellæ.* Tenebrosæ sordidæque habitationis pretium annuum.

4. *Unde datur quadrans, unde vir es Chiones?* in Ald. Junt. Colin. etc. probante Ramiresio. Alii vero sic interpungunt: *Unde datur quadrans?*

*Unde? Vir es Chiones!* Nostram interpunctionem dedit et Calderinus. — *Quadrans.* Quo pretio lavabant Romani. Horat. I, sat. 3: « Dum te quadrante lavatum Rex ibis. » *Vir es Chiones.* Chione, scortum sui corporis copiam egenis faciens.

5. *Cum ratione licet.* Jocus est in ambiguo; in priori versu moderationem, in posteriori vero iudicium significat: enimvero mori præstaret, quam vitam tam miseram ducere. Gallice versum: *Tu vis raisonnablement, mais sans raison de vivre.*

## XXXI.

AD RUFINUM, DIVITEM ARROGANTEM.\*

SUNT tibi, confiteor, diffusi jugera campi,  
 Urbanique tenent prædia multa Lares:

\* Rufinum monet ne pauperiores despiciat, quum videat ditiores quam se, et quidem viles homines. ED.

1. *Sunt tibi,* etc. Magnum soli spatium possides.

2. *Albanique* codex Thuaneus. — *Urbanique,* etc. Multæ sunt tibi domus; vel tibi est domus tam vasta, ut spatium complectatur quod multis domibus esset satis. ED. — *Urbanique tenent prædia multa*

*Lares.* Sensus est: habes multa prædia urbana. Prædium urbanum ædificium quodlibet est, seu in urbe seu rure positum; prædium rusticum omne terræ spatium, seu in urbe seu rure, in quo non ædificatur. « Ædificia omnia, urbana prædia appellamus »; Justinianus, Instit. lib. II, tit. 3, § 1. ED. — *Lares.* Lares sunt dii domestici, cujusque domus proprii: accipiuntur pro ipsa domo. Nota Brissonii

Et servit dominæ numerosus debitor arcæ,  
 Sustentatque tuas aurea mensa dapes.  
 Fastidire tamen noli, Rufine, minores. 5  
 Plus habuit Didymus : plus Philomelus habet.

hæc est : Dii tui Penates occupant in urbe quantum soli esset multis domibus. Vel : Domus tuæ urbanæ, quas multas habes, habent singulæ prædia sua suburbana : etenim solum et superficies junctim dicitur plerumque prædium ; sed proprie prædium est solum ipsum ; idque si rure, rusticum, si in urbe, urbanum. Junctim vero etiam ruri urbanum esse potest, et in urbe rusticum. ED.

3. *Et servit domino numerosæ* in cod. Thuan. ut et in cod. Vaticano. — *Et servit dominæ.* Multis credidisti nummos debitoribus ; multos habes obæratos et fœneratos. — *Dominæ arcæ.* Dominam arcam vocat, quasi debitoribus imperitantem ; nihil est enim misero debitor et egeno subjectius, nihil magis servile ; vel quia pecuniæ omnia obediunt. Videantur quæ adnota-

vimus lib. I, epigr. LXXVII, versui 7.

4. Non est temere, quod in Thuan. membr. legebatur : *aurea massa dapes.* Gronovius. — *Aurea mensa.* Coronas tantum mensarum, non totas mensas aureas fuisse interpretatur Raderus : vel forte mensam auream dixit, quæ nempe ornata esset multis vasis aureis. Vel, simpliciter intellige auream fuisse, aut inauratam.

5. *Minores.* Minus divites quam te.

6. *Didymus.* Malis artibus multa consequutus erat infamis hic Didymus de quo lib. XII, epigrammate XLIII. Philomelus vero (φιλεῖν, *aimer* ; μέλος, *chant*) citharædus forte fuit tempore Martialis locupletissimus ; qui ambo utpote ditiores Rufinum fastidire possint. — *Habet.* Ergo, non est magnum, Rufine, ea possidere quibus vilioris notæ isti homines abundarunt.

## XXXII.

IN MATRINIAM.

NUM possim vetulam, quæris, Matrinia? possum  
 Et vetulam : sed tu mortua, non vetula es.

1. *An possim vetulam* codex Pulmanni. *Num possim* conjiciebat Heraldus : *quereris, Matrinia* editiones veteres. — *Num possim.* Hæc vetula

accusabat Martialem, quod parum vir esset. Excusat hoc quum dicat eam non vetulam, sed jam mortuam. *Ramiresius.* — *Possum.* Nota φράσις,

Possum Hecubam, possum Nioben, Matrinia : sed si  
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

*posse vetulam.* Multa enim reticebant in rebus turpioribus ; unde « Cætera quis nescit ? » et similia. Sic Plautus : « quæ cum viris suis prædicant nos solere. » Et συνέβαιναι Græcis ; « esse cum muliere » Latinis ; *consuescere* etiam frequenter usurpatum ut *κοιτώνειν* Græce. Vide infra epigr. LXXV.

3. *Hecubam, possum Nioben.* Tot filiorum matres necesse est veterimas esse. *Ramires.* — *Sed si Nondum erit, etc.* Notissima fabula ex

Metam. Ovid. de Niobe, occisis filiabus, in saxum mutata; de Hecuba autem in canem conversa quum Polymnestori, Thraciæ regi, ob occisum Polydorum filium oculos eruisset, et a Thracibus lapidibus impeteretur.

4. *Nondum erit illa lapis.* His verbis significat se posse quidem vetulas, sed si nondum formam mulierum nimia senectute exuerint, quod tu fecisti, canis jam et saxum, altera Niobe et Hecuba.

### XXXIII.

QUALEM PUELLAM VELIT.\*

INGENUAM malo : sed si tamen illa negetur,  
Libertina mihi proxima conditio est :  
Extremo est ancilla loco ; sed vincet utramque,  
Si facie nobis hæc erit ingenua.

\* Hujus epigrammatis lectio non variat, in libris scriptis aut excusis.

1. *Ingenuam.* Ingenui dicuntur, qui statim ut nati sunt, liberi sunt: libertini vero qui ex justa servitute manumissi sunt. Justinianus, Institut. lib. I, tit. 4 et 5.

3. *Sed vincet.* Ancilla vincet in-

genuam et libertinam, si formosa fuerit; atque ita solius formæ, non conditionis rationem habet Poeta. Ludit in vocabulo *ingenua* Noster; quemadmodum qui liber statim ut natus est, dicitur *ingenuus*, sic quidquid bonum est latine dicitur *ingenium*. ED.

## XXXIV.

AD CHIONEM.\*

DIGNA tuo cur sis, indignaque nomine, dicam.  
Frigida es, nigra es : non es, et es Chione.

\* Neque hic ulla lectionis varietas est in exemplaribus.

1. *Chione*. Χιών nix est; hæc mulier erat quidem *Chione*, quia frigida erat, ut nix; at quum non esset

candida, ut nix, sed nigra, non erat *Chione*. — Notanda est istius versus ratio metro repugnans; *frigida* et *nigra* non occursu duarum vocalium eliduntur. Ed.

## XXXV.

DE PISCIBUS SCULPTIS.\*

ARTIS Phidiacæ toreuma clarum,  
Pisces aspicias : adde aquam, natabunt.

\* Neque in hoc epigrammate exhibendo quidquam variant exemplaria scripta, aut typis impressa.

1. *Artis Phidiacæ*. Non quod a Phidia fabrefacti fuerint hi pisces, sed quod ille Phidias, sculptor Atheniensis clarissimus, qui anno ab Urbe condita circiter 300 floruit, toreuticen invenit, id est,

artem conficiendorum toreumatum : est autem toreuma opus torno factum et cælatum (τερεύω, *torno*, *sculpo*). Quam artem in summo habitam fuisse pretio docet Plinius, lib. XXXV, cap. 10.

2. *Adde aquam*. Adeo naturam æmulantur, ut addita aqua videantur nataturi. Vid. infra epigr. LI.

## XXXVI.

IN FABIANUM, ARROGANTEM PATRONUM.\*

QUOD novus et nuper factus tibi præstat amicus,  
 Hoc præstare jubes me, Fabiane, tibi.  
 Horridus ut primo semper te mane salutem,  
 Per mediumque trahat me tua sella lutum :  
 Lassus ut in thermas decima, vel serius, hora  
 Te sequar Agrippæ, quum laver ipse Titi.  
 Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,

\* De Fabiano conqueritur, quod quum vetus esset ipsius amicus, nihilominus easdem semper a se posceret anteambulonis operas, quas a tironibus clientibus, ejus amicitiam primum captantibus, exigebat.

3. *Horridus*. Matutino frigore rigens. Juvenalis, Sat. V, v. 20 : « Sollicitus ne Tota salutatrix jam turba peregerit orbem, Sideribus dubiis, aut illo tempore quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ. » — Vel *horridus* intelligatur cultu neglectus, quum properat Martialis inter primos salutatores venire.

4. *Per mediumque*, etc. Me jubes in sella recubantem te præcedere, comitari, vel sequi, quasi a te, tui honoris causa, traherer. ED. — *Sella*. Lectica, cathedra gestatoria. — *Lutum*. Miserorum clientium incommoda multa erant, tum in primis quod sæpe per lutum, occupante viam lectica, eundum esset. Vide lib. X, epigramm. x, vers. 7 et 8; et lib. XII, epigramm. xxvi, versu 8. De aliis multis clientium

incommodis vide Juven. sat. III v. 239 et seq. et infr. epigr. XLVI.

5. *Lapsus Beverlandi MS.* — *Decima, vel serius, hora*. Hoc est, duabus horis tardius solito; æstate enim octava hora lavabant, nona vero cœnabant. De horis vid. lib. IV, epigr. VIII.

6. *Beverlandi MS. quum labor ipse citi*, ob similitudinem litterarum *t* et *c* in codicibus antiquis. Codex Pulmanni : *quum laver ipse lacu*. — *Te sequar*. Conqueritur Martialis, quod jam lassus, hora decima vel serius, quando jam cœnandum esset, cogeretur Fabianum ad thermas Agrippæ, honoris causa, comitari; ubi eo relicto, quod scilicet simul lavari clientes non sineret patronus ille arrogans, properabat ipse ad Titi thermas, quæ longo spatio dissitæ erant ab Agrippæ thermis. — *Agrippæ*. Vid. sup. epigr. xx, v. 15. — *Titi*. Vid. sup. epigr. xx, v. 15.

7. *Decembres*. Annos. Ramiresius putat hinc argui avaritiam Fabiani non munera clientibus, ut mos

Ut sim tiro tuæ semper amicitiae?  
 Hoc merui, Fabiane, toga, tritaque, meaque,  
 Ut nondum credas me meruisse rudem? 10

erat, Saturnalium tempore mit- tentis. Vid. lib. VIII, epigr. LXXI.

8. *Tiro*. Hoc verbum militare cum verbo *merui* sequentis versus recte congruit. Ed.

9. *Trita*. Quam detrivi, ea in honorem tuum utendo. — *Meaque*. Quum vestibus clientes suos dona- re soleant alii patroni. Pers. sat. I: « Scis comitem horridulum trita donare lacerna. »

10. *Meruisse rudem*. Hoc est, li- berationem officiorum: tractum est a gladiatoribus; nam gladiato-

res, ingravescente ætate segnes, vel laudem præclaro quodam faci- nore adepti, rude donabantur, ut apud Horat. in epistolis, et Juven. Qua rude accepta non cogebantur amplius pugnare; sed publica ale- bantur pecunia. Sensus est: Putas me nondum meruisse rudem, ut me alas sine officio? *Domitius*. — Ramiresius putat Poetam ambigue alluisse ad togam rudem, tritæ scilicet oppositam, et villosam, quam pexam dixit lib. II, epi- gramm. XLIV.

## XXXVII.

IN IRASCENTES AMICOS.\*

IRASCI tantum felices nostis amici.  
 Non belle facitis: sed juvat hoc facere.

\* Est reprehensio divitum, qui irarum occasionem quærunt, ne officia inferiorum amicorum re- munerentur; ita fingentes se per inimicitiam non dare, quod per avaritiam non dant. Sic lib. XII, epigramm. XIII: « Genus, Aucte, lucri divites habent iram; Odisse quam donare vilis constat. » Ed.  
 — In hujus epigrammatis lectio-

ne consentiunt exemplaria manu- scripta et impressa.

1. *Irasci tantum*. Nihil scitis nisi irasci, sine ulla justa causa. — *Felices*. Divites; quo sensu vox ea, ut *beatus*, sæpissime usurpatur.

2. *Sed juvat*. Lucro est vobis. Vide lib. I, epigr. XIII, v. 11. — *Juvat hoc facere*. Sic nihil largimini amicis quibus succensetis.

## XXXVIII.

AD SEXTUM. \*

QUÆ te causa trahit, vel quæ fiducia Romam,  
 Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.  
 Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,  
 Atque erit in triplici par mihi nemo foro.  
 Egit Atestinus causas, et Caius : utrumque 5  
 Noras ; sed neutri pensio tota fuit.  
 Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis :  
 Audieris, dices esse Maronis opus.  
 Insanis : omnes gelidis quicumque lacernis  
 Sunt ibi, Nasones, Virgiliosque vides. 10

\* Ut lib. IV, epigr. v, Fabianum, sic hoc epigrammate Sextum inducit quemdam, Romæ vivere meditantem, et forsitan e Gallia Cisalpina, ubi tunc erat Noster, ad hoc migraturum ; quem dissuadet Martialis, quum vir probus sit ; Romanis scilicet ad id pravitatis lapsis, ut bonis artibus nullus sit in Urbe locus. Ed.

2. *Refer.* Mihi responde.

3. Pulmannus *dissertior*. Beverlandi MS. *disertior*.

4. *In triplici foro*, Vetus seu Romanum unum, alterum Julii Cæsaris, tertium Augusti intellige : de quibus copiose Alexander Neapolitanus, lib. II, cap. 12. Vide quæ adnotavimus lib. I, epigramm. LXXVII, v. 12. In tribus foris agebantur causæ. Vide lib. VII, epigramm. LXV, v. 2.

5. Pro *Caius* multi legunt *Civis*, pro nomine proprio ; quod et Gru-

terus confirmat. *Marcus* ex ed. Pulmanni citat Langius. — *Egit Atestinus causas, et Caius*. Nomina forte ficta aut pauperum causidicorum, qui ex causis non erant consequuti unde totam solverent annuam conductæ domunculæ pensionem. Vid. sup. epigr. xxx, v. 3 ; et lib. XII, epigr. xxxii, v. 3.

6. In edd. vett. Ald. Junt. Col. Gryph. *tota fuit* ; quod in Junt. nostra correctum est *tuta fuit*, et ab alia manu in margine, *certa*.

7. *Si nihil*, etc. Respondet Sextus.

9. *Insanis*. Refert Martialis : Omnes istos quos videre est lacernis tritis, et ab omni parte frigus admittentibus, horridulos, totidem sunt, aut totidem se putant esse Nasones Maronesque, nec tamen rem familiarem magnam faciunt. Ed.

10. *Sunt tibi* ed. antiquiss. Ferrar. ann. 1471 ; Ald. 1501 ; Junt. Col. Ald. 1550 ; Gryph. etc. *Sunt ibi*

Atria magna colam. Vix tres, aut quatuor ista  
 Res aluit : pallet cætera turba fame.  
 Quid faciam? suade : nam certum est vivere Romæ.  
 Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

codex Farnabii; cujus lectionis monuit et P. Scriverius, probantibus Gronovio et aliis. *Sunt tibi, Nasones Virgiliosque putes?* cum interrogationis nota Beverlandi MS.

11. *Atria*, etc. Refert Sextus. — *Atria magna*. Hoc est, potentiores colam; in atriis quippe magnum amicum expectabant clien-

tes. Vide lib. I, epigr. LVI, v. 5.

— *Vix tres*, etc. ait Martialis.

13. *Quid faciam?* Inquit Sextus.

— *Certum est*. Decrevi Romæ vivere.

14. *Si bonus es*. Bonis fortuitus est Romæ victus et incertus; malis stipendium certum. — Juvenalis, Sat. III, vs. 41: "Quid Romæ faciam? mentiri nescio", etc.

## XXXIX.

DE LYCORI.

ILIACO similem puerum, Faustine, magistro  
 Lusca Lycoris amat : quam bene lusca videt!

1. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *magistro*. Legendum omnino *ministro* contendit Ramiresius. Vide lib. XI, epigr. CIV. — *Iliaco magistro*. Pecoris scilicet magistro; Paridem forte intelligit. Legunt

alii *ministro*, id est, Ganymedi Jovis pocillatori.

2. *Quam bene lusca videt!* Quæ tam bene de forma judicat. Quintus, contra (epigr. VIII supr.), cæcus erat, quamvis oculos haberet.

## XL.

IN THELESINUM.

MUTUA quod nobis ter quinquaginta dedisti

1. Legitur in quibusdam, *ter quinquagena*; et sic in Beverlandi MS. Nostram lectionem exhibent

edit. vet. — *Ter quinquaginta* scilicet 150,000 sestertium, vel 18,750 franc. mon. Gall. Legunt alii *ter*



Ex opibus tantis, quas gravis arca premit;  
Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus.  
Tu magnus, quod das? immo ego, quod recipis.

*quingena*, ne finalis in *ginta* producat; verum est anceps: reperitur longa lib. XII, epigr. VIII; et brevis, lib. XII, epigr. XXVI.

2. *Premittit*. Stipatas vix capit. Vid. lib. I, epigr. xxx, v. 4.

4. *Tum magnus, quod das* Langius aliique. *Tun' magnus*, etc. legendum censet Ramiresius. — *Tu*

*magnus quod das?* Tunc es liberalis et magnificus, quod mutuam hanc mihi summam des? Immo pusillus es et parcus, qui, quum dives sis, pauperi mutuum dare non erubescas, cui par erat te donare gratis. Ego magni animi sum, qui licet pauper non decoquo, sed mutuum tibi solvo.

## XLI.

IN LACERTAM CÆLATAM.\*

INSERTA phialæ Mentoris manu ducta  
Lacerta vivit, et timetur argentum.

1. *Mentoris manu ficta* Juntina nostra in margine. Ant. de Rooy malit, *Mentoris manu docta*. Conf. Ovid. Fast. III, 832, Amor. II, 4, 28; Nostrum infr. epigr. LXXXII, et lib. X, epigr. XCII; Senec. Herc. OEt. 669; et Burm. ad Ovid. Art. Am. I, 518. *Doctus et ductus* sæpe fuisse permutata, docebit idem Burmannus ad Ovid. Heroid. epist. XX, 210.

— *Inserta*, etc. Cælata in superficie ampullæ argenteæ lacerta, ita est affabre expressa, ut vivere videatur et timeatur, licet argentea sit et expers animæ. — *Mentor* cæ-

lator fuit clarissimus. Lib. IX, epigr. 60: « Et si qua fuerunt Pocula Mentorea nobilitata manu. » Plin. lib. XXXIII, cap. 11: « Lucius vero Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu cælatos habuit centum sestertiis », gallicæ monetæ, 12,500 franc. ex Rollino. Ed. — *Ducta*. Proprium est cælatorum et sculptorum verbum. Virg. Æn. VI, 848: « Excudent alii spirantia mollius æra, Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus. »

2. *Et timetur*. Quum lacerta vivere videatur. Vide sup. ep. xxxv.

## XLII.

IN POLLAM.

LOMENTO rugas uteri quod condere tentas,  
 Polla; tibi ventrem, non mihi labra linis.  
 Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum:  
 Quod tegitur, majus creditur esse malum.

1. *Tomento* Beverlandi MS. Hoc distichon ita legit Scalig. *Lomento, rugas uteri quo condere tentas, Polla, tibi ventrem nonnihil abra linit.* Vide var. not. Pro *condere* alii legunt *credere*. — *Lomento*. Lomentum, teste Roberto Stephano, farina fabacea, qua ad eruganda corpora usa est antiquitas. Uterum vero linebat Polla, ut sulcis absconditis puella videretur.

2. *Non mihi labra linis.* Id est, non me decipis hoc fuco, quo sensu Plautus dicit, *os sublinere*. Hæc di-

cendi formula originem traxit a genere ludi quo dormientibus ora pinguntur; quos quum aliis ludibrio esse vellent antiqui, eos dormientes per jocum linebant colore aliquo, vel fuligine. Hæc formula potest etiam desumi ab iis qui amaras potiones ægrotis vel pueris exhibentes, labra poculorum melle illinunt, ut hac dulcedine primum decepti potionem hauriant.

3. *Simpliciter*. Candide, absque fuco: lib. I, epigr. LXXXVIII, v. 8; et lib. VI, epigr. VII, v. 6.

## XLIII.

IN LENTINUM.

MENTIRIS juvenem tinctis, Lentine, capillis:  
 Tam subito corvus, qui modo cyenus eras.

1. Ant. *de Rooy* corrigit *fictis*; et fictos capillos exponit *galerum*, quasi dicat Poeta: Mentiris galero juvenem; sed non omnes falles; scit probe Proserpina, canos sub illo delitescere, quos tibi morti propinquo reseabit. Neque parum

hanc conj. juvat, quod addit Martialis, *Personam capiti*, etc. — *Mentiris juvenem*. Lentinus canos capillos tingebat, ut juvenis videretur. Vid. Auson. epigr. XVI, ubi Lais respondet Myroni, quod Adrianus seni fucato: «patri jam negavi tuo.»

Non omnes falles : scit te Proserpina canum ;  
Personam capiti detrahet illa tuo.

3. *Non omnes fallis?* cum interrogationis nota in Ald. Junt. Colin. etc. — *Scit te Proserpina.* Jovis et Cereris filia, quæ a Plutone rapta est in conjugium, unde Inferorum regina dicitur. Qui autem morituri sunt, priusquam a Proserpina tondeantur, animam efflare nequeunt, ut canunt Poetæ. Hanc causam affert Virgilius, cur Dido difficulter animam emitteret, *Æn.* IV, v. 698:

« Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco. »

4. *Personam.* Persona sic dicitur ficta imago vultus, seu larva: illa vero capillorum tinctura eleganter capitis persona dicitur, qua ablata Lentinus canus videbitur, atque Orco damnandus; caput igitur simul tondebit et larva nudabit Proserpina.

## XLIV.

IN LIGURINUM. \*

OCCURRIT tibi nemo quod libenter ;  
Quod, quacumque venis, fuga est, et ingens  
Circa te, Ligurine, solitudo ;  
Quid sit, scire cupis? nimis poeta es :  
Hoc valde vitium periculosum est.  
Non tigris catulis citata raptis,

\* Hoc epigrammate, et sequenti, et epigr. L infra, indefessum deridet suorum carminum recitatorum Ligurinum, qui probus quidem ac integer, sed in aurium supplicium natus, omnes circa se poetica sua fugabat importunitate. Huic similem sic pinxit Bolæus noster :

Gardez-vous d'imiter ce rimeur furieux,  
Qui, de ses vains écrits lecteur harmonieux,  
Aborde en récitant quiconque le salue,  
Et poursuit de ses vers les passants dans la rue :  
Il n'est temple si saint, des anges respecté,  
Qui soit contre sa muse un lieu de sûreté. Ed.

— *In Lygurinum* lemma est in edd. vett. *In Lygurinum poetam* cod. Pulmanni.

4. *Nimis poeta es.* Horatius in fine artis poeticæ: « Furit, ac velut ursus Objectos cavæ valuit si frangere clathros, Indoctum doctumque fugat recitator acerbus; Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo, Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo. Ed.

6. *Non tigris.* Quæ tamen periculosissima est, dum equitem suorum catulorum raptorem insequi-

Non dipsas medio perusta Sole,  
 Nec sic scorpius improbus timetur.  
 Nam tantos, rogo, quis ferat labores?  
 Et stanti legis, et legis sedenti : 10  
 Currenti legis, et legis cacanti.  
 In thermas fugio; sonas ad aurem.  
 Piscinam peto; non licet natare.  
 Ad cœnam propero; tenes euntem.  
 Ad cœnam venio; fugas edentem. 15  
 Lassus dormio; suscitâs jacentem.  
 Vis, quantum facias mali, videre?  
 Vir justus, probus, innocens timeris.

tur, perniciosissimum animal: quam ille ut vitet, unum abjicit e catulis quem mater ad cubile reportat, rursusque raptorem insequenti alterum abjicit, mox tertium, etc. Ita ille unicum vix nactus, navem conscendit. Plin. lib. X, cap. 8; Solin. cap. 21. Vid. lib. Spect. epigr. XVIII, v. 2.

7. *Dipsas*. Serpens a quo icti vexantur et tandem enecantur siti et æstu; δῖψα, *sitis*, unde nomen deducit: *perusta sole* dicitur, vel quod apricetur ad solem meridiana, vel quod plaga meridiana vivat. Frequens est in Africa pestiferum hoc serpentis genus.

8. Pulman. *Impius timetur*. — *Scorpius*. Veneno nocens animal.

9. *Nam tantos cogo* Junt. anno 1512. — *Labores*. Molestiam te audiendi sempiternam.

12. *In thermas fugio; fugas edentem* codex Thuan.

13. Beverlandi MS. *non sinis na-*

*tare*. Codex Vat. *tu tenes euntem*. — *Piscinam peto*. Locus erat domi ubi aqua frigida lavabant; fuisse etiam piscinas tepidas constat ex Plinio juniore, lib. V, epist. 3. Fuit etiam piscina publica.

14. *Ad cœnam propero, sonas in aurem* idem Vat.

15. *Ad cœnam venio, fugas edentem* in eodem cod. Vat. Alii *fugas sedentem*. — *Edentem*. Hanc lectionem cum Ramiresio adoptavimus, quia jam versu decimo legebatur *sedenti*. Ed. — Alii tamen legunt *sedentem*; nempe qui ad cœnam maturius veniebant, dum sternerentur lecti, sedebant. Lib. VIII, epigr. LXVII: « Sternantur lecti: Cæciliane, sede. »

18. *Vir justus*, etc. Cætera quum bonus sis ac justus et propter innocentiam atque probitatem expectendus, propter hanc tamen importunam recitationem, te fugiunt omnes caventque diligenter.

## XLV.

DE EODEM.\*

FUGERIT an mensas Phœbus cœnamque Thyestæ,  
 Ignoro : fugimus nos , Ligurine , tuam.  
 Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis :  
 Sed nihil omnino , te recitante , placet.  
 Nolo mihi ponas rhombum , mullumve bilibrem : 5  
 Nec volo boletos , ostrea nolo : tace.

\* Ejusdem est cum superiore argumenti, quo renunciat cœnæ Ligurini, quod acerba et molesta recitatione convivas enecet. Vid. et infr. epigr. I.

1. *Thyestis* Ald. Junt. Colin. et aliæ vett. — *Fugerit an mensas*. Thyestes filius fuit Pelopis ex Hippodamia, atque nepos Tantali, qui uxorem fratris sui Atrei in adulterium pellexit, atque ex ea suscepit filios, quos Atreus in vindictam tanti sceleris eidem Thyestæ comedendos apposuit. Propterea poetæ fingunt Solem horrore tantæ immanitatis expalluisse, mutatoque solito cursu, rediisse ad Auroram. Vide Senecam in Thyest. et ibi argumentum Farnabii. Vid. etiam versu 774 : « O Phœbe patiens, fugeris retro licet, Medioque ruptum merseris cælo diem, Sero occidisti. » Videnda est tragœdia quam scripsit carminibus gallicis Nostras *Crébillon, Atrée et Thyeste*; et in primis sublimes illi versus, quibus Solem compellat Clytemnæstra,

act. V, sc. 4, apud Iphigeniam Racinii magni :

Et toi, soleil, et toi, qui dans cette contrée  
 Reconnais l'héritier et le vrai fils d'Atrée;  
 Toi, qui n'osas du père éclairer le festin,  
 Recule ! ils t'ont appris ce funeste chemin. Ed.

2. *Fugimus nos*. Ne cogamur audire te recitantem. Epigr. I infra.

5. *Rhombum*. Gallice, *turbot*. — *Mullum*. Gallice, *barbeau*. — *Bilibrem*. Mulli bilibres magno in pretio erant, propterea quod id pondus raro excedebant. Vide quæ adnotavimus, lib. II, epigramm. XLIII, vs. 11. Horat. Satir. lib. I I, vs. 33 : « Laudas, insane, trilibrem mullum. » Recitatione importuna fastidium parvis ciborum exquisitissimorum (inter quos apud Veteres, rhombus, mullus, boleti et ostrea). Ed.

6. *Boletos*. Fungos exquisitos, quos argento et auro præfert Martialis. Vid. lib. I, epigramm. XXI, v. 2. — *Tace*. Volo tantum ut taceas. Vide lib. V, epigr. LXXVIII, v. 25; et lib. XI, epigr. LII, v. 16.

XLVI.

AD CANDIDUM.\*

EXIGIS a nobis operam sine fine togatam.  
 Non eo, libertum sed tibi mitto meum.  
 Non est, inquis, idem : multo plus esse probabo.  
 Vix ego lecticam subsequor; ille feret.  
 In turbam incideris; cunctos umbone repellet :

\* Candidum quemdam, ut illiberalem jam non semel vidimus a Martiale reprehensum. ( Vide lib. II, epigr. xxiv et xliii; et lib. III, epigr. xxvi. ) Hic ad eundem revertitur, sive alterum sub eodem nomine incusat superbiam, qui omnes clientium operas ab amicis exigebat, et ægre sinebat ab eorum libertis præstari. ED.

1. *Operam togatam.* Id est, officium anteambulonis: patronos enim comitabantur clientes toga induti, quam alii cives raro sumebant. Juvenalis sat. III: « Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua Nemo togam sumit, nisi mortuus. »

3. *Non est idem.* Majori, inquis, mihi honori esset tuus quam liberti comitatus. — *Plus esse probabo.* Sunt verba poetæ respondentis: *Minori honori hoc tibi esse putas; majori utilitati hoc tibi esse puto; quum libertus meus, homo rusticus et inelegans, tibi, quæ ego dubitarem homo delicatus, non dubitabit officia præstare.* ED.

4. *Subsequor.* Vid. supr. epigr. xxxvi, v. 4.

5. Beverlandi MS. *cuneos* pro

I.

*cunctos.* Vid. Turneb. *Adverss. lib. XIII, cap. 19.* — *In turbam incideris.* Juvenalis, sat. III, v. 243: « Nobis properantibus obstat Unda prior; magno populus premit agmine lumbos Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam; Pinguia crura luto, planta mox undique magna Calcor, et in digito clavus mihi militis hæret. » — *Cunctos umbone repellet.* Umbo est quidquid extumidum prominet; unde pars illa quæ in Romano clypeo, instar dimidii ovi eminebat, *umbo* appellabatur, atque per synecdochen totus clypeus dicebatur umbo. Igitur sensus hic est: Libertus meus, cubiti, vel ventris, vel laterum oppositu præstato, quasi firmo clypeo turbam rejiciet ingruentem. Turnebus, lib. XIII, cap. 15 et 19. — Nescio tamen an non cum Beverl. legendum sit *cuneos*; sic enim metaphora eleganter producta continuaretur, scilicet: populus cunei (qui est decursionis militaris genus) forma quasi dispositus, regis et clientium ordines rupturus irruet; quem fortiter franget quasi umbone libertus, etc. ED.

Invalidum est nobis, ingenuumque latus.  
 Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo :  
 At tibi tergeminum mugiet ille sophos.  
 Lis erit; ingenti faciet convicia voce :  
 Esse pudor vetuit fortia verba mihi.  
 Ergo nihil nobis, inquis, præstabis amicus?  
 Quidquid libertus, Candide, non poterit.

6. *Ingenuum*. Debile; hominis enim ingenui, calamo scriptorio potius quam rastro utentis, modicæ sunt vires, et impetui magno ferendo impares. ED.

7. In Beverlandi MS. *causam*.

8. *Tergeminum*. Id est, magnum; qua in significatione numerus ternarius sæpe usurpatur. Censemus contra sic explicandum: ter *mugiet sophos*. ED. — *Sophos*. De hac voce

vide lib. I, epigramm. IV, vers. 7.

9. *Lis erit*. Si litigaveris cum aliquo, tuo nomine lacerabit adversarium conviciis.

10. *Esse pudor*. Nam rusticorum est voce alta clamare.

12. *Quidquid*. Officia liberalia præstabo, quæ nec servus nec libertus præstare possunt; famam, exempli gratia, et nominis æternitatem meis versibus tibi conciliabo.

## XLVII.

DE BASSO.\*

CAPENA grandi porta qua pluit gutta,  
 Phrygiæque Matris Almo qua lavat ferrum,

\* Bassus, ad quem epigr. LVIII infr. de Faustini villa fructuosissima, sterilissimam villam habebat, in quam eum pingit Martialis omnia ex Urbe importantem, quæ in urbem ex villis vulgo deportantur. Villam Bassi villamque Faustini comparat, epigr. LVIII. ED.

1. *Capena grandi*. Ordo est: qua Capena porta stillat grandibus guttis. ED. — *Capena*. Qua itur Capuam urbem Campaniæ nobilissimam, *Capoue*: eadem dicta *Fonti-*

*nalis* propter aquæductum de quo infra loquemur, vel *Triumphalis*, vel *Appia*, ab Appio Censore qui viam Appiam munivit. Hodie dicitur *Sancti Sebastiani*. Erat in prima regione Urbis. — *Pluit*. Propter aquæductum, quo super eam portam aqua in Urbem fluebat. Juvenalis sat. III: « Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam. »

2. *Phrygiumque matris almo* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. et sic in cod. Palat. *almæ* Beverlandi MS.

Horatorum qua viret sacer campus,  
 Et qua pusilli fervet Herculis fanum,  
 Faustine, plena Bassus ibat in rheda,  
 Omnes beati copias trahens ruris.

Pro *ferrum* Farnabius conj. *sacrum*. — *Phrygiæque Matris*, etc. Ordo est: qua fluvius Almo lavat ferrum Phrygiæ Matris. ED. — *Phrygiæque*. Cybele deorum mater ex Phrygia Romam fuerat advecta, unde Phrygia Mater dicitur. Almo, fluvius territorii Romani, in Tyberim defluit, hodie *Dachia*. Per Appiam viam elabebatur qui a porta *Capena* incipiebat. In eo Cybeles *ferrum*, id est, cultros ad hostias mactandas utiles lavabant Galli sacerdotes, imo et ipsum Cybeles simulacrum. Ovid. *Fast.* iv: « Illic purpurea canus cum veste sacerdos Almonis dominam sacraque lavit aquis. »

3. *Oratorum* in edd. vett. — *Horatorum*. Nempe extra portam Capenam erat sepulcrum Horatorum, et campus ubi cum Curatiis pugnaverant: « Sepulcra exstant, quo quisque loco cecidit: duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam versus, sed distantia locis, et ut pugnatum est. » Et paulo infra, sic lictori pater Horatius: « Verbera, vel intra pomœrium, modo inter illa pila et spolia hostium; vel extra pomœrium, modo inter sepulcra Curiatorum. » Tit. Liv. lib. I. ED. — *Sacer*. Agros sepulcris addictos religiosos esse, et *res nullius* fieri diximus, lib. I, epigramm. cxv et cxvii. ED.

4. *Et qua pusillum* Ant. de Rooy, ut *pusillum* ad *fanum* referatur. Si-

quidem in regione I Urbis, ubi et porta Capena, ædícula tantum Herculis locatur. Itaque *pusillum* dicit, ut distinguat ab æde Herculis Custodis Circi Flaminii, quæ erat in regione IX, et a templo Herculis in regione XIV. — *Pusilli*. Pusillum appellat Herculem, ad assentationem Domitiani, qui se majorem Herculem prædicabat, ut patet ex lib. Spect. epigr. XVI; et lib. IX, epigr. LXV, LXVI et CII. Hic tamen sensus non Gronovio placet qui quidem sic alterum proponit: In Aurelii Victoris Regionibus Urbis sub porta Capena<sup>o</sup> reperio *Ædiculam Herculis*, quæ est illa ipsa hic commemorata Martiali. Si ergo nolumus *Herculem puerum* Romanis fuisse cultum, ut *Jovem puerum*, tutissimum est decurrere ad hypalagen, et *pusilli Herculis fanum* explicare, pusillum Herculis fanum, sive ædiculam. Sic lib. VII, epigr. LXVIII, *magni senis Atticus hortus*, pro *Attici*. — *Fervet*. Vel ob æstum et calorem solis, vel potius ob frequentiam eorum qui id fanum salutabant, per viam Appiam comēantes.

5. *Plena Bassus*, etc. Non ut *Mathonis lectica*. Juvenalis, Sat. I. *Plena ipso*, sed ruris honoribus quos ex urbe in rus suum, non rus, portabat.

6. *Omnes beati*. Faceta irrisio, quum ab urbe in rus ruris traheret copias. Sic lib. X, epigr. LVIII: « Dura suburbani dum jugera pa-



Illic videres frutice nobili caules,  
 Et utrumque porrum, sessilesque lactucas,  
 Picroque ventri non inutiles betas.  
 Illic coronam pinguibus gravem turdis, 10  
 Leporemque læsum Gallici canis dente,  
 Nondumque victa lacteum faba porcum.  
 Nec feriatus ibat ante carrucam,  
 Sed tuta fœno cursor ova portabat.  
 Romam petebat Bassus? immo rus ibat. 15

scimus agri »; et epigr. xcvi: « Pascitur hic, ibi pascit ager. »

7. *Illic videres*, etc. In rheda Bassi, velut altero copiæ cornu.— *Frutice*. Caudice, stolone.

8. *Juntina nostra in margine sectilesque*. — *Utrumque porrum*. Sectivum intellige et capitatum. Lib. XIII, epigr. xvii et xviii. — *Sessilesque lactucas*. Lactucarum genus quoddam sessile dicitur, seu laconicum. Plinius, lib. xix, cap. 8, tria genera lactucarum esse dicit: unum laticaulis; alterum rotundi; tertium sessile, seu laconicum, quod et capitatum appellant.

9. *Picroque ventri*. Quem solvunt betæ.

10. *Coronam*. Vimen in orbem nexum, ex quo pendebant turdi. Ovid. lib. I, Art. Amat. v. 269: « Quin etiam turdoque licet, misaque corona, Te memorem do-

minæ testificare tuæ. Videndum lib. XIII, epigramma li.

11. *Gallici canis dente*. Velocissimi nimirum, utpote lupino satu editi. Vide Plinium, lib. VIII, cap. 11, et qui scripserunt *Cynegetica*, *Nemesianum*, *Gratianum*, etc.

12. *Nondumque victa*. Hoc est, porcellum lacteum, qui fabas frangere nondum posset, et dente tenero vincere.

13. *Nec feriatus*. Nec famulus vacuus et sine onere currebat ante rhedam, sed ova portabat fœno munita, ne collisa contererentur.

15. *Heraldus legit interrogatorie: Romam petebat Bassus?* — *Romam*, etc. Quis non arbitraretur Bassum e villa in Urbem venire, his onustum rebus? Atqui ibat in villam, amœnam forte, sed ita inopem, ut in eam omnia essent inferenda, quæ in urbem ex illa deferri debuissent.

## XLVIII.

DE OLLO.\*

PAUPERIS exstruxit cellam, sed vendidit Ollus  
Prædia : nunc cellam pauperis Ollus habet.

\* In hoc epigrammate exhibendo non variant libri calamo exarati aut typis impressi.

1. *Exstruxit cellam.* Lipsio teste in Senecæ epist. 18, divites exstruebant conclavia quædam angusta quæ *Diatam* vel *pauperis cellam* vocabant, contiguam scilicet aut in vicinia suarum ædium, in quam fastidiosi miseros, tribules, et advenas pauperes, amicosque minorum gentium recipiebant; ne intra ædes admitterent. Vide lib. VIII, epigr. XIV. Quum vero Ollus esset dives, ex more reliquorum divitum construxerat cellam pauperis; sed bonis abliguritis, et prædio divendito, unam sibi cellam reliquam fecit, quæ tunc pauperis cella verius quam olim dici posset. — Hæc vellem leviter mutato sensu intelligere: nam *pauperis cellam* ab Ollō exstructam, *prædio*, quod coactus est vendere propter inopiam, connexam esse, non absurdum est putare: ideo et cellam pauperis simul vendidit, neque in ea potuit habitare;

nisi pactis quibusdam conditionibus, de quibus Martialis tacet et nos tacemus. Verum egenus factus sibi emit vili pretio, vel potius conduxit, sive in Urbe, sive rure exigam aliquam et miseram domum, quæ jure et merito appellari potest pauperis cella potius quam prior, ad ostentationem liberalitatis accommodata. Prior sensus tamen nullo modo abjiciendus videtur. Ramires. etiam explicat: Ollus qui per *μείωσιν* dicebat se pauperis cellam quandam exstruere, nunc quum in eadem cella factus pauper habitat, vere cellam pauperis habet. ED. — Senecæ, epist. 100, et 8 ubi Lipsius: « Desit sane varietas marmorum, et concisura aquarum cubiculis interfluentium, et pauperis cella, et quidquid aliud luxuria, non contenta decore simplici, misceat. » Idem Seneca divites hortatur ut similes habeant cellulas, ubi aliquando se recipiant ad tenuiorem victum, quasi præexercitationem ad inopiam, si forte adveniat, facturi.

## XLIX.

## IN INVITATOREM.\*

VEIENTANA mihi misces, tu Massica potas :  
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

\* Perstringit impudicum invitatore, qui diversa vina ponebat, pretiosa sibi, meram fecem convivis : tantumque hæc duo vina inter se distabant, ut dicat se malle invitatoris pocula olfacere, quam siccare sua. *Ramiresius*.

1. Beverlandi MS. *ubi Massica potas*. Codex Bodl. *tibi Massica ponis*, ut et conj. *Ramiresius*. *Raderus* legendum censet: *tu Massica potus*. — *Veientana mihi*. Vinum *Veientanum* vilissimum, lib. II, epigr. LIII. *Massicum* vero optimum, lib. XIII, epigr. III. — *Misces*. Vinum

etsi insipidum aqua misces : at tu *Massicum* merum potas. Ed.

2. *Olfacere hæc malo pocula, quam bibere* in *Junt. ann. 1512*, typothetarum manifesto errore. — *Olfacere*. *Tua*. — *Quam bibere*. *Mea*. Quum tamen in secundo versu non Poeta opposuerit *hæc olfacere, ista bibere*, forsitan verus sensus est : *Malo olfacere vinum Veientanum quam bibere* ; quippe gratior odor quam gustus. — *Raderus* putat pocula esse myrrhina (vid. epigrammate xxvi, v. 2), quæ bene ollebant ; quod subtilius videtur. Ed.

## L.

## IN LIGURINUM.\*

HÆC tibi, non alia, est ad cœnam causa vocandi,  
Versiculos recites ut, Ligurine, tuos.  
Deposui soleas ; affertur protinus ingens

\* Eundem persequitur *Martialis* recitatore, alios suis carminibus persequentem, quem jam sup. epigr. XLIV et XLV. Ed.

— *In Lygurinum* inscribitur in edd. vett.

3. Codex Vat. *protinus apponitur*.

— *Deposui soleas*. Quum cœnaturi essent *Veteres*, deponebant soleas, ne stragula lecti, in quo recumbabant, luto fœdarentur. Has asservabant servuli a pedibus stantes. Lib. XII, epigr. LXXXIX ; lib. XIV, epigr. LXV ; lib. VIII, epigr. LIX,

Inter lactucas oxygarumque liber.  
 Alter perlegitur, dum fercula prima morantur : 5  
 Tertius est, nec adhuc mensa secunda venit.  
 Et quartum recitas, et quintum denique librum.  
 Putidus est, toties si mihi ponis aprum.  
 Quod si non scombris scelerata poemata donas :  
 Cœnabis solus jam, Ligurine, domi. 10

versu 13. — *Soleas*. Gellius, lib. XIII, cap. 20: « Omnia quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cætera prope nuda, et terebibus habenis juncta sunt, soleas dixerunt. » *Ingens liber*. Qui ingens malum. Lib. I, epigr. cxix.

4. Beverlandi MS. *ostrigerum*. Calderinus legit, *origanum*, nec animadvertit quantitatem syllabæ; nam *origanum* (ὀρίγανον) græca est dictio, corripitque primam, et secundam producit. Scribitur et *organus*. Seren. Sammon. Ict. Scorp. « Cumque hoc absumi debebit origanus herba. » Vide hoc verbum in Nicand. Ther. — *Lactucas*. Inchoabant Romani cœnam a lactucis et helvellis quæ ventrem cient et lubricant: contra majorum morem qui iisdem eam finiebant. Lib. XIII, epigr. xrv: « Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum, Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes? » — *Oxygarum*. Condimenti genus ex garo et aceto confectum: est garum succus quidam seu muria e pisciculorum intestinis. Acetariis

quoque cœnam inchoabant, contra majorum usum. Vid. lib. XIII, epigr. cii.

5. Alii *porrigitur*. — *Morantur*. A pigris ministris tarde afferuntur. Ed.

6. *Mensa secunda*. Le second service; vel potius, le dessert, quum bellaria et fructus apponuntur. Ed.

7. *Et quartum ponis* Beverlandi MS. *quintum denique bruma* in eodem.

8. *Putridus est* habet idem MS. — *Putidus est*. Aper (qui erat antiquis in deliciis), licet *animal ad convivia natum*, si toties mihi optimus apponeretur, quoties pessimus liber recitatur, mihi sorderet, puteretque. Ed.

9. Sunt qui legant *dones*. Gruterus mallet legi *damnas*. Vid. sup. epigr. II, v. 2. — *Scombris*. Versus mali scombris et aliis piscibus involvendis inserviebant. Vid. supr. epigr. II. — *Scelerata*. Audientes lento enecantia supplicio. Ed.

10. *Domi*. Invitatori soli licebat recitare: domi itaque solus cœna, tibi que recita; foris te cavebimus.

## LI.

AD GALLAM.\*

QUUM faciem laudo, quum miror crura manusque;  
 Dicere, Galla, soles : Nuda placebo magis.  
 Et semper vitas communia balnea nobis.  
 Numquid, Galla, times, ne tibi non placeam?

\*Hic nulla lectionis varietas est in exemplaribus scriptis aut prelo excusis.

3. *Et semper vitas.* Ironixōs carpit Gallam, quæ formosa videri volebat, nec tamen unquam cum Poeta lavabat, ne corporis defor-

mitas pateret. — *Communia balnea.* Qui mos, satis mirabilis, erat antiquis. Vid. lib. VII, epigr. xxxv, vers. 5.

4. *Ne tibi non placeam.* Ne tibi videar parum vir. Vid. lib. I, epigramm. xxiv.

## LII.

AD TONGILIANUM, DE UTILI INCENDIO.

EMPTA domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis :  
 Abstulit hanc nimium casus in Urbe frequens.  
 Collatum est decies. Rogo, non potes ipse videri  
 Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

1. Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Delph. aliæ habent *ducentis*. — *Ducenis* Sestertiis, vel ducentis millibus sestertium, sive viginti quinque millia franc. nost. monetæ.

2. *Casus in Urbe frequens.* Frequentia fuisse Romæ incendia patet ex Juven. sat. III, et ex Nostro, lib V, epigr. vii.

3. *Collatum est decies.* Hoc est, tui amici et clientes tibi donarunt decies centena millia sestertium. Gallice : *Une souscription s'est ouverte.* ED. — *Non potes.* Nempe ut ex incendio lucrum faceres. Eodem sensu Juvenalis, sat. III : « Et merito jam Suspectus tanquam ipse suas incenderit ædes. »

## LIII.

AD CHLOEN.\*

ET vultu poteram tuo carere,  
 Et collo, manibusque, cruribusque,  
 Et mammis, natibusque, clunibusque:  
 Et, ne singula persequi laborem,  
 Tota te poteram, Chloe, carere.

5

\* In hoc epigrammate exhibendo consentiunt et libri calamo exarati et impressæ editiones.

1. *Et vultu poteram.* Singula sua membra laudabat Chloe, ut amore

Martialem accenderet; at vero illam spernit Poeta affirmans singulis illis tam laudatis membris et ipsa tota carere posse. — *Poteram. Pro possem.* ED.

## LIV.

AD GALLAM.\*

QUUM dare non possim, quod poscis, Galla, rogantem:  
 Multo simplicius, Galla, negare potes.

\* Detegit Gallæ fallaciam quæ ne poetæ petenti et sollicitanti daret, posebat ea quæ ipse præstare non poterat; hoc autem reapse negare erat, non simpliciter sed artificio quodam: simplicius ergo dicit Gallam potuisse negare. *Ramires. Schrevel. sic:* Quum a me noctem poscente, tu ultra quam possim præ-

stare poscas vices, malim simpliciter mihi neges, quam cogas me impotem fateri.

1. Beverlandi MS. exhibet, *quod poscis, Galla, roganti.*

2. *Simplicius.* Vid. lib. I, epigramm. LXXXVIII, v. 8; lib. III, epigr. XLII, v. 3; et lib. VI, epigramm. VII, v. 6.

## LV.

IN GELLIAM.\*

Quod quacumque venis, Cosmum migrare putamus,  
 Et fluere excusso cinnama fusa vitro:  
 Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis.  
 Scis, puto, posse meum sic bene olere canem.

\* Gelliam nimium sibi placentem, quod exoticis odoribus delibuta quacumque incederet, monet canem quemlibet hoc artificio posse bene olere.

1. *Quod*, etc. Subauditur: *Nimium tibi places*, quod quacumque iter facis, tam suavem odorem spargis, ut videatur Cosmus myropola cum sua tota officina incedere; et e phialis vitreis effusa fluere aromata videantur. — *Cosmum*. Unguentarium, cujus mentionem sæpe facit Poeta; ut et lib. I, epigr. LXXXVIII, v. 2.

2. *Excusso*. Succusso, vel fracto. — *Cinnama*, etc. Oleum Cinnami. Cinnamum enim et cinnamomum idem asserunt nonnulli. Plinius, lib. XV, cap. 7. Cinnamum, seu

cinnamomum frutex odoratus ex Asia devehebatur; eo condiebatur aqua odoris suavissimi.

3. *Peregrinis*. Odoribus alienis, et longe petitis. Sunt tibi dotes animi et corporis, virtus, pulchritudo, etc. ut non egeas ad tibi satisfaciendum auxiliis aliunde conquisitis, et quæ omnes homines, vel etiam canis meus, in suum usum convertere possunt. ED. — *Nugis*. Nugas appellat, unguenta, quemadmodum omnia, quibus sine incommodo carere possumus: sic versus *nugas* vocat sæpe. *Ramires*.

4. *Sic puto posse meum, sic*, etc. in Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. quam lectionem servat etiam codex Palat. *tam bene* Beverlandi MS. — *Sic bene olere*. Vid. lib. II, ep. XII.

LVI.

DE CISTERNA RAVENNATE.\*

SIT cisterna mihi, quam vinea, malo Ravennæ :  
Quum possim multo vendere pluris aquam.

\* Ravenna, alias Æmiliæ, nunc Romandiolæ caput, oppidum est Italiæ maritimum in intimo sinu Adriatico. Quæ quum in mediis paludibus aquoso nimium solo sita sit, mira est in ea siccitas potabilium aquarum; quia quum maris æstus augescente luna eam urbem alluat, tum salsedine sua, tum uligine soli et cæno vitiantur omnino aquæ; ita ut *sitiant vivi, nati sepulti*. Sidon. Apollin. lib. I, epigr. v et viii; idem usus est alia

antithesi carmine nono: « Undosæ petiit sitim Ravennæ. » In eadem vero magna vini copia, atque adeo illic pluris aqua, quam vinum vendebatur. — Hic nihil variant exemplaria manuscripta aut prelo excusa.

1. *Cisterna*. Locus est, ait Festus, ubi aqua pluvialis collecta servatur, a *cis* et *terra* dictus: quia *cis* terram, hoc est, infra terram non habet perpetuam undam, nec vivam aquam.

LVII.

DE CAUPONE.\*

CALLIDUS imposuit nuper mihi caupo Ravennæ :  
Quum peterem mixtum, vendidit ille merum.

\* Patet hoc epigramma ex præcedente; quum enim aqua Ravennæ carior esset vino, dilutum aqua vinum carius erat mero.

— Neque in hoc epigrammate quidquam variant exemplaria calamo exarata, aut typis impressa.

Sed in Junt. ann. 1512, et Colin. ann. 1528, hoc et præced. unum faciunt epigramma.

1. *Imposuit*. Me deceptit: gallice, *Il m'en imposa*. Hodie multi cuperent ita decipi, sed nemo est qui decipiat. SCHREV.



## LVIII.

DE VILLA FAUSTINI, AD BASSUM.\*

BAIANA nostri villa, Basse, Faustini,  
 Non otiosis ordinata myrtetis,  
 Viduaque platano, tonsilique buxeto  
 Ingrata lati spatia detinet campi :  
 Sed rure vero barbaroque lætatur.

\* Studiosior utilitatis quam elegantiae, Faustinus villam emerat opum rusticarum copia luxuriose abundantem: nec delicatum illum imitatus erat Bassum, qui, villae compos voluptatibus sterilibus affluentis, res rusticas non ex rure suo in urbem sed in suum rus ex urbe deportare cogebatur (supr. epigr. XLVII). Laudat igitur copiose Faustini suburbanum Noster, et Bassi suburbano anteponit hoc epigrammate, ad Bassum ipsum misso. ED.

— *De villa Faustini* inscribitur in Junt. Colin. Gryph. etc.

1. *Baiana*, etc. Ordo est: Basse, villa Baiana nostri Faustini, non detinet ingrata spatia lati campi ordinata otiosis myrtetis, viduaque platano, tonsilique buxeto; sed, etc. ED. — *Baiana*. Prope Baias sita. Baiæ, locus amœnus in Campano littore, juxta Lucrinum, inter Puteolos et Misenum montem.

2. *Otiosis*. Sterilibus, si cum frugiferis conferantur; quamvis baccæ myrtorum in medicinis utiles sint. — Vel intellige *otiosis* quæ umbram hominibus otio abundantibus præbent. — *Ordinata*. Id est,

spatia consita myrtis in quincuncem, vel alias figuras ordinatis. ED. — *Myrtetis*. Myrtetum locus est Myrtis consitus.

3. *Viduaque platano*. Vidua dicitur platanus, quia vitibus non maritata ut ulmus vel populus, cælebs est, vel quia, ut fœmina vidua, non parit fructus. Plin. sec. lib. V, epist. 6. ED. — *Tonsili*. Buxi enim, ut nunc, in varias animalium et aliarum rerum formas tondebantur. Plin. lib. XII, cap. 2, hanc artem primum Cn. Manlium equitem Romanum invenisse testatur. — *Buxeto*. Ut *myrtetum*, locus consitus myrtis; sic *buxetum*, locus frequens buxis.

4. *Ingrata lati*, etc. Nihil fructus aut proventus domino reddentia, more ingratorum hominum. — *Detinet*. Inutiliter occupat. ED.

5. *Vero*. Rus verum illud est quod ad fructus percipiendos colitur; hortenses enim delicias in villam transponere rus mentiri, ut ita dicam, est. ED. — *Barbaroque*. Non ad ordinem rectamque proportionem exacto, sed arboribus secundo, prout natura ferat, passim crescentibus, et quidem frugi-

Hic farta premitur angulo Ceres omni,  
 Et multa fragrat testa senibus autumnis.  
 Hic post Novembres, imminente jam bruma,  
 Seras putator horridus refert uvas.  
 Truces in alta valle mugiunt tauri,  
 Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.  
 Vagatur omnis turba sordidæ cortis,  
 Argutus anser, gemmeique pavones,  
 Nomenque debet quæ rubentibus pennis,  
 Et picta perdix, Numidicæque guttataë,

feris; ut placet homini non delicato, sed barbaro qui utilitatem elegantia præponit. Ed.

6. *Hic*, etc. In hac villa in omnibus horreorum angulis stipatum invenies frumentum, ex villa ipsius agro recollectum, et fragrat vinum vetus jam ex multis autumnis in testis servatum, et ex villa vineis recollectum. Ed. — *Farta*. In acervos stipata. Ed. — *Ceres*. Ceres, frumenti dea, pro frumento ipso ponitur. Ed.

7. *Testa*. Quodvis vas fictile significat, proprie hoc loco vas vinarium. — *Fragrat senibus autumnis*. Id est, fragrat vino jam ex multis autumnis senescente; sic autumnos vocat fructus autumnales; et eos vocat senes, ut testam vocavit anum, lib. I, epigr. cvī, versu 4.

9. *Seras*. Uvas intellige duracinas quæ in vitibus asservabantur usque ad putationem vitium; quas ergo in palmitibus relictas putator, post Novembres referebat; quod erat tempus putationis. Ed. Vid. lib. I, epigr. xliv, v. 3; et lib. XIII, epigr. xxii. — *Putator*. Vinitor, qui putat falce vitem luxuriantem.

— *Horridus*. Pannosus, frigans.

11. *Pulmannus prurit ad pugnam*.

— *Inermi fronte*. Sine cornibus. Idem de hædo dicit Horat. III, od. 13: « Cui frons turgida cornibus Primis et Venerem et prælia destinat Frustra. »

12. Beverlandi MS. *cohortis*, et sic correctum est in Juntina nostra. — *Turba sordidæ cortis*. Gallinæ, anseres, cæteræque cicures volucres quas infra enumerat, quasque appellat, lib. VII, epigr. xxxi, vs. 1, *Raucæ cortis aves*.

13. *Argutus*. Quia semper strepit, gratitat, et clangit stridula voce et alarum motu. Hoc epitheton ab anserem ad cygnum transtulit Virgilius, eclog. IX: « Argutos interstrepere anser olores. » — *Gemmeique pavones*. Pavonum cauda gemmis varii coloris ornata videtur. Vid. lib. XIII, epigr. lxx.

14. *Nomenque debet*. Phænicopterum intellige, sic dictum ab alis rubris (φοίνιξ, purpura; πτερόν, ala). Lib. XIII, epigr. lxxi: « Dat mihi penna rubens nomen. »

15. *Picta*. Ob pennas maculosas et varias. — *Numidicæque guttataë*. Hoc est, gallinæ Africanæ, quarum

Et impiorum phasiana Colchorum.  
 Rhodias superbi feminas premunt galli;  
 Sonantque turres plausibus columbarum.  
 Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.  
 Avidi sequuntur villicæ sinum porci;  
 Matremque plenam mollis agnus exspectat.  
 Cingunt serenum lactei focum vernæ,  
 Et larga festos lucet ad Lares sylva.

plumæ versicoloribus maculis, veluti guttis distinctæ. Lib. XIII, epigr. LXXIII. Numidia est pars Africæ, unde illæ deportabantur.

16. *Phasiana*. Avis nota, sic dicta a Phasi, Colchidis fluvio. — *Impiorum Colchorum*. Qui male audiunt propter parricidia, impietatem et veneficia Medææ, Æetæ, regis Colchorum, filiæ. Est in Asia, ad Pontum Euxinum, nunc *la Mingrêlie*.

17. *Pulmannus*: feminas produunt galli. — *Rhodias feminas*. Gallinas Rhodias habebant in pretio Romani.

18. *Turres*. Columbaria in turribus; namque suprema tectorum amant aves. — *Plausibus*. Alarum plaudentium clangore.

19. *Palumbus*. Columba silvestris. — *Cereus*. Obesus, pinguis; nam expallidus apparet ille color, ceræ colorem referens. Vid. infr. epigr. LX, v. 7; lib. IX, epigr. LV, v. 1; et lib. XIII, epigr. v. Quum autem is color nisi in turture plumis exuto et ad cœnam parato videatur, nunc autem de gemente et vivo mentio fiat, putat Musambertius ex plumarum colore epitheton quæsivisse Martialem, ut supra quæsivit, vs. 13, 14 et 15; et dorsum turturis rufo superinspersum in superficie

pennarum, ait cereum colorem referre. ED.

20. Rob. Titius loc. Controv. lib. II, cap. 12, olim emendaverat: *villicæ sonum porci*. — *Villicæ sinum*. — Hordeum, siliquas, glandes, vel alium pastum in sinu vestis suæ ferentis: quod sentiunt porci. — Legunt alii *sonum*: suculi enim villicæ vocem eos ad pastum vocantis agnoscunt et sequuntur.

21. *Plenam*. Lacte distenta ubera gerentem. — *Exspectat*. Domi seclusus a matre pastum profecta.

22. Calderinus legit *lutei*, i. e. sordidi infantes. Vide lib. I, ep. L. Codex Farnabii habet: *Cinguntque circum lutei focum vernæ*. — *Serenum*. Igne claro colucentem. — *Lactei*. Pulchro colore candidi; lauta pinguedine renidentes. Sic Horat. Epod. « Positosque vernas, ditis examen domus, Circum renidentes Lares. » Vid. lib. I, epigr. L, vs. 28. ED. — *Vernæ*. Pueri servorum, in domo nati. ED.

23. *Larga festos*, etc. Luculentus est focus, lignis e vicina silva descendentibus, ut ipse ait lib. I, epigr. L, vs. 27. — *Festos*. Lætos et nitentes, ollis et cacabis quasi coronatos. — *Ad Lares*. Ad focum circa quem erant Larium simulacra, quibus erat sacer focus. Sic Hora-

Non segnīs albo pallet otio caupo :  
 Nec perdit oleum lubricus palæstrita :  
 Sed tendit avidis rete subdolum turdis ;  
 Tremulave captum linea trahit piscem ,  
 Aut impeditam cassibus refert damam .  
 Exercet hilares facilis hortus urbanos ,

25

tius : « Sacrum vetustis exstruat lignis focum. »

24. *Albo pallet otio.* Otiosi flacido luteoque pallent colore. — *Caupo.* Caupo servus erat qui domini vinum, in urbe commorantis, vendebat, institoresque habebat qui vinum vel per theatra vel per vicos ferebant venum. Rure autem cauponas quæstus causa constituabant domini, quibus præfectus hic servus, *caupo* nominatus, obsonia, hospitium, vinumque e villa collectum viatoribus pretio venderet. Quum autem istæ cauponæ non adeo frequentarentur, caupo villæ Faustini fuisset otiosus, nisi aucupio, venatui, etc. operam dedisset.

25. *Nec perdit oleum lubricus palæstrita.* Palæstrita servus erat qui in palæstra oleum, pulverem et ceroma luctaturis suppeditabat, ipseque aliquando luctabatur: quum autem esset amplissima villa et familia Faustini, erat in illa palæstra, in hac palæstrita. Sed ille non ut in publicis palæstris totum diem occupari debebat in eo ministerio; ne igitur otiosus langueret, iisdem exercitationibus quibus caupo occupabatur. Vid. inf. epigr. LXXXII, vs. 20. — *Perdit oleum.* Ludit in verbo Martialis: *perdere enim oleum est tempus perdere*; non igitur *tempus verdit* palæstrita, qui vulgo

in unguendis luctatoribus *oleum perdit.* ED. — *Lubricus.* Luctaturi se ceromate ex oleo, cera et pulvere Ægyptio seu Puteolano, ungebant, quo membris flexibilioribus valerent, difficiliusque ab adversario prensari aut dejici possent. Hinc vocem illam explica *lubricus.* — *Palæstrita.* Est palæstra locus in gymnasio, palæ seu luctæ destinatus.

26. *Avidis turdis.* Sic Horatius: « Aut amite levi rara tendit retia Turdis edacibus dolos. — *Turdis.* Gallice, *grives.*

27. *Tremulave,* etc. Sic venatui et piscatui operam dantes caupo et palæstrita non inutiles terunt horas. ED.

29. *Exercet hilare facilis hortus umbras* in Junt. ann. 1512. *Exercet hilares facilis hortus umbras* in Colin. ann. 1528: *facilis hortus umbras* Langius, Junius, etc. *facilis hortus arcus umbras* legunt alii. At ego, inquit Musambertius, si quis conjecturæ locus est, dixerim fuisse a Valerii manu: *Exercet hilares facilis hortus ancillas.* — *Facilis hortus.* Non laboris exquisiti, ut in suburbanis. — *Exercet hilares facilis hortus urbanos.* In hoc versu, et præcedentibus, et sequentibus, vult significare Noster domum Faustini adeo esse constitutam ut omnes quibus constat ejus familia, quin

Et pædagogo non jubente, lascivi  
 Parere gaudent villico capillati;  
 Et delicatus opere fruitur eunuchus.  
 Nec venit inanis rusticus salutator :  
 Fert ille ceris cana cum suis mella,  
 Metamque lactis : Sarsinate de silva  
 Somniculosos ille porrigit glires;

30

35

etiam et hospites, aliquid habeant quod faciant, et laborem ament. ED. — Ergo si nostram lectionem in hoc versu retinemus, intelligemus cives qui rusticandi causa in villam conveniunt, suaviter in horto exerceri, cursitare, forsitan et terram colere per voluptatem. — Alii legunt *ancillas*, quia præ cæteris operibus quæ dura, facilia sunt hortorum; itaque his idoneæ ancillæ. Ostendit enim poeta per enumerationem, omnibus qui de familia Faustini, esse, quo in villa ejus occupentur; cauponi, palæstritæ, ancillis, pueris, eunucho. Caupo vinum vendit, palæstrita aves captat, etc. ancillæ hortum colunt, etc. *Musamb.* Alii legunt *umbellas*, et sic exponunt: hortus nullo artificio exquisito compositus, sed paratu facilis eo fine compositus est, ut possit hilares umbras præbere recubantibus.

30. *Hadrian de Valois* ad Juven. sat. IX, 130, legit: *non vidente lascivi Patere gaudent*, etc. *Vide* et *jubeo* sæpe permutantur ut apud Propert. II, 26, 51. Valesii notæ in Juvenalem nuper Parisiis reperiuntur, et in lucem productæ a viro doctissimo N. L. *Achaintre*. — *Et pædagogo non jub.* etc. *Capillati* pueri soli pædagogo parebant, in cæteros servos contu-

maces et procaces. Laudat igitur hanc villam Martialis tam bene moratam ut lascivi illi pueri, non cogente pædagogo laborem ipsi quærant, et fruges colligendas, plantas irrigandas, pisces capiendos, etc. villico jubente, libenter suscipiant.

31. *Capillati.* Filiifamilias, vel pueri delicati comas alentes. Lib. X, epigr. LXII. Usque ad pubertatem vulgo coma nutriebatur.

32. *Et delicatus*, etc. Et ipsi delicati seu in deliciis habiti spadones atque cubicularii, delectantur labore, omnium exemplo incitati.

33. *Non venit inanis* vetus codex Ramiresii. — *Nec venit inanis*, etc. Alii pro *nec* legunt *non*. Non portat nudum et inane *Ave*, ut clientes in Urbe, sed affert munera quæ sequuntur.

35. Alii contendunt legendum esse, *Sarsinate*. — *Metamque lactis*. Intellige caseum in formam metæ Circensis, quæ oblonga est et e basi lata in acutum verticem desinit, coagulatum. Vide lib. I, ep. XLIV, vs. 7. — *Sarsinate de silva.* Baiis vicina, ut videtur. Legunt alii *Sarsinate*. Sarsina vero Umbriæ urbs, Plauti patria; sed longe distat a Baiis. Videat lector.

36. *Somniculosos* Beverlandi MS. — *Glires.* Gallice, *loirs*.

Hic vagientem matris hispidæ fœtum ;  
 Alius coactos non amare capones ;  
 Et dona matrum vimineo ferunt texto  
 Grandes proborum virgines colonorum. 40  
 Facto vocatur lætus opere vicinus ,  
 Nec avara servat crastinas dapes mensa ;  
 Vescuntur omnes , ebrioque non novit  
 Satur minister invidere convivæ.  
 At tu sub urbe possides famem mundam , 45  
 Et turre ab alta prospicis meras laurus ,  
 Furem Priapo non timente securus.

37. *Matris hispidæ fœtum.* Hoc est hædillum , qui vagitu suo matrem capellam abesse queritur.

38. *Alius coactus* Junt. ann. 1512. — *Coactos non amare.* Quia sunt castrati.

39. *Et ova matrum* in quibusdam Calderinus legit , *vimine ferunt texto.* Scriverius *vimine offerunt texto* , vel *afferunt.* Beverlandi MS. exhibet *cisto pro texto.* — *Et dona matrum.* Agricolæ filia a matribus suis afferunt munera. Legunt alii , *et ova matrum* , hoc est , gallinarum. Lib. VII , epigr. xxx : « *Raucæ cortis aves , et ova matrum.* » — *Vimineo texto.* Calathis , canistro , sportula.

41. *Facto opere.* Labore rustico absoluto. — *Vocatur.* Vid. lib. I , epigr. L , vs. 29.

42. *Crastinas.* Crastino et sequenti die iterum apponendas , ut eadem fercula duas explicent cœnas ; quod in urbe fit. Vid. sup. epigr. XIII , v. 3 , et epigr. XXIII ; lib. I , epigr. CIV , v. 7 , etc.

44. *Satur minister.* Quia saturatus est dapum reliquiis quæ non ser-

vantur in crastinum , et a domino clementi largæ potionis copiam obtinet , sic saturantur servi nec invident convivis , quod secus fit in urbe.

45. *At tu sub urbe* , etc. Jam alloquitur Bassum , ejusque villam deridet ab omnium rerum inopia , ut alteram a copia laudarat. — *Possides famem mundam.* Suburbanum munditiis hortensibus elegans , et ad famem levandam inutilibus , hinc sterile et jejunum. ED.

46. Pulmannus , *prospicis moros laurus* , improbante Ramiresio. — *Meras laurus.* Laurus solas , quibus nullæ arbores fructuosæ interseruntur.

47. *Priapo non timente* ; hortorum custode , qui fures quidem non metuebat , quum illic nulli essent fructus. Nihil autem miserabilius rure in quo non timentur fures ; beatum illud , in quo et domino et furi multa supersunt , ut de domo locuplete dixit Horatius lib. I , epist. 6 , vs. 45 : « *Exilis domus est , ubi non et multa supersunt , Et dominum fallunt , et prosunt furibus.* »

Et vinitorem farre pascis urbano,  
 Pictamque portas otiosus ad villam  
 Olus, ova, pullos, poma, caseum, mustum. 50  
 Rus hoc vocari debet, an domus longe?

De Priapo vid. lib. I, epigr. xxxvi, versu 15.

48. *Et vinitorem*, etc. Quum sterilis villa non alat villicam suam. — *Urbano*. Hoc versu et sequentibus breviter perstringit, quæ latius de Basso villam petente dixerat supr. epigr. XLVII.

49. *Pictam*. Visu amœnam, sed oculos tantum pascentem, nec magis saturam, quam quæ in picta tabula exprimitur. Alludit forte ad illud Cynici, qui servo esurienti pictas ostendebat dapes, quæ oculos pascerent, non ventrem. — *Otiosus*. Omnis autem familia diverse erat

occupata in villa; vid. sup. v. 24 ad XXXII. ED. — Vel intellige *otiosum* ex urbis curis, et laboribus solutum.

51. Junius legendum existimabat, *an domus longa*, refragantibus libris, et improbante Herald. — *Rus hoc vocari debet, an domus longe?* Villa tua, o Basse, an debet vocari prædium, an potius urbana domus, sed longe ab urbe posita; nihil ab urbanis domibus discrepans, nisi quod non in urbe sit? — *Domus longe*. Hellenismus: ὁ πόρρω εἶκος; sic Propertius, lib. I, eleg. 20: « Egressam longe Phasidos esse viam. »

## LIX.

DE SUTORE ET FULLONE, MUNERARIIS.\*

SUTOR cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus.  
 Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi caupo dabit?

\* Indignatur Poeta, quod vilissimi etiam homines edant munera gladiatoria, quum id olim non nisi clarioribus viris liceret. Est enim apud Tacitum, lib. IV Annal. senatusconsultum, quo cavetur, ne quis gladiatorium munus edat, cui minus quadringentorum millium res sit. Vid. quæ adnotavimus epigramm. XVI supr.

1. *Sutor cerdo*. Hoc enim auget indignitatem; non quivis sutor dat

munera, sed sutor cerdo, hoc est sutorum postremissimus. Sutor enim et cerdo hoc differunt quod sutor faciat calceos, cerdo reficiat veteres, unde hic veteramentarius etiam appellatur. — *Culta*. Culta moribus, literis et hominum frequentia. — *Bononia*. Bologna, in Æmilia, Galliæ Togatæ parte. — *Munus*. Ludum gladiatorium; unde munerarii, editores munerum.

2. In edd. vett. Ald. Junt. Co-

lin. etc. sine interrogatione legitur, *nunc tibi copo dabit.* Junius, Langius, Pulmannus, Ed. Delph. alii legunt: *nunc tibi caupo dabis?* et sic in margine Juntinæ nostræ. — *Fullo.* Qui lavat vestes, tingit, purgat, etc. — *Mutinæ. Modena,* in eadem regione ac Bononia. — *Caupo.* Æque vilis opifex. — *Ubi caupo dabit?* An etiam dabit Romæ, ne quid ad ignominiam nostram desit?

LX.

IN PONTICUM.\*

QUUM vocor ad cœnam, non jam venalis, ut ante,  
 Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?  
 Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:  
 Sugitur inciso mytilus ore mihi.  
 Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos.

\* Sportularum morem antiquatum, et cœnarum rectorum usum revocatum fuisse a Domitiano vidimus epigr. VII et XXIV supr. Imperatoris autem edicto fraus fiebat, nec in recta cœna recte cœnabatur, quum potentiores sibi optimos, clientibus vilissimos apponi juberent cibos; sicque minus forte in cœna, quam prius in sportula, impenderent. Quam quidem superbi regis avaram inhumanitatem increpat Martialis hoc epigrammate, et sup. lib. I, epigr. XXI, et infr. lib. VI, epigr. XI, etc. quod et Juven. Satir. V; Plinius Jun. lib. II epist. 6. Ed.

1. Ald. Junt. Colin. Gryph. Juntian. Lang. etc. *non tam venalis.* — *Non jam venalis.* Non jam misellam quasi mendicans sportulam. Ed. — *Ut ante.* Ex edicto Neronis nunc abrogato. Ed.

3. *Stagno saturata.* Ostreis opti-

mi saporis abundabat lacus Lucrinus in Campania, hodie *Lago Licola* vel *Mare morto.*

4. *Sugitur Pulmannus,* Junius, Delph. alii, *mytilus ore mihi* codex Thuan. *myrtilis ore mihi* codex Vat. Alii *sumitur*, quod parum verisimile quum v. 3 et 5 eadem vox legatur. — *Sugitur inciso mytilus,* etc. Mytilus est vilis pisciculus testa inclusus, *une moule*; qui non dentibus vel cultro avellendus, sed cum testa sugendus est, qua, dura scilicet et inæquali, labra sugentis scindi possunt. Ed.

5. Alii legunt: *fungos ego sumo pusillos*; et sic in Beverlandi MS. — *Boleti.* Fungorum genus nobilissimum. Vid. lib. I, epigr. XXI, vers. 2. — *Suillos.* Qui suibus imundis comedendi relinquuntur; hoc per contemptum dictum a Martiale. Tria genera fungorum, boleti, suilli vel porcini, et amanitæ.



Res tibi cum rhombo est : at mihi cum sparulo.  
 Cereus immodicis turtur te clunibus implet :  
 Ponitur in cavea mortua pica mihi.  
 Cur sine te cœno, quum tecum, Pontice, cœnem?  
 Sportula quod non est, prosit : edamus idem. 10

6. *Rhombo*. Gallice, *turbot*. — *Sparulo*. Vili pisciculo, qui fortasse nomen habet a sparo, telo quodam agresti, cujus formam imitatur. Rhombus et sparulus uterque e genere passeris marini, sed hic multo vilior.

7. *Aureus* in Junt. quæ margini etiam adscriptum habet *Cereus*. — *Aureus*. Seu legatur *aureus*, seu legatur *cereus*, utraque vox significat colorem pallidulum e pinguedine ductum. Vid. supr. epigr. LVIII, vers. 19. ED. — *Immodicis*. Obesis.

8. *In cavea mortua*. Non in mensam occisa, sed per morbum aut

senectutem in cavea mortua, quo vilioris est saporis vilis per se avis. ED. — *Cavea*. Cavea hic significat septum in quo aves et bestiae includuntur : alias, locus est ubi populus sedens ludos spectabat.

9. *Cur sine te*, etc. Tecum, quia cœna nobis et mensa eadem : non tecum, quia tu meliora, ego deteriora cœnem.

10. *Sportula quæ non est* Beverlandi MS. *Sportula quod non sit* conj. Ramiresius. — *Prosit*. Voluit Domitianus sublata sportula, miseris clientibus favere ; cœna sit ergo recta, nec sportula pejor. ED.

## LXI.

## IN CINNAM.\*

ESSE nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna :  
 Si nil Cinna petis ; nil tibi, Cinna, nego.

\* In hujus epigrammatis lectione nihil variant aut libri manu scripti, aut typis impressi.

1. *Esse nihil*. Rem nullius aut exigui momenti. Sic enim extenuabat quod petebat importunus flagitator Cinna.

2. *Nil tibi*. Nil petis ; tibi do quod petis, id est nihil ; ergo ne irascaris. *Nihil* ibi ambigue dictum : nihil relate, seu rem levem, (gallice *un rien*), petebat Cinna ; at absolute intelligit *nihil* poeta, nec quidquam dat aut negat. ED.

LXII.

IN QUINTUM.\*

CENTENIS quod emis pueros, et sæpe ducenis :  
 Quod sub rege Numa condita vina bibis :  
 Quod constat decies tibi non spatiosa supellex :  
 Libra quod argenti millia quinque rapit :  
 Aurea quod fundi pretio carruca paratur : 5  
 Quod pluris mula est, quam domus empta tibi :

\* Est epigramma in Quintum quemdam, qui suam laudem et quasi veram animi magnitudinem in luxu explicando, et emendis rebus opinione vulgi pretiosis ponebat : hoc autem ait Martialis non esse magni animi, qui a se ipso tantum pendet et in se sita omnia existimat, sed contra pusilli, qui, suæ exiguitatis conscius, externis sese augere tentat prædiis, ita ut divitias non in liberalitatem utilem, sed in nugas steriles effundat. ED.

1. *Centenis.* Millibus centenis sestertium, nostræ monetæ, decem millibus francorum. ED.

2. *Sub rege Numa.* Hyperbolice: vina vetustissima, ideoque rara et pretiosa.

3. Edd. vett. *speciosa*; Calderini vetus codex *spaciosa*. Lipsius legit *spatiosa*. — *Decies.* Decies centenis millibus sestertium, nostræ monetæ 125 millibus francorum. ED.

— *Non spatiosa supellex.* Non multiplicibus, sed pretiosis rebus conspicua; non multum occupans loci, sed ita affabre laborata et cælata,

ut de ea dici possit, ut apud Ovidium de regia Solis : \* Materiam superabat opus. »

4. *Mula quod argenti* Junt. in margine. — *Libra quod argenti, etc.* Consequentia versus præcedentis. Argentea vasa possides tanto confecta artificio, ut labor (gallice, *la main-d'œuvre*) pluris quam pondus constet; omnia enim ex raritate et pretio, non ex utilitate æstimabat Quintus. ED. — *Rapit.* Metaphora sumpta fortasse ex trutinæ lancibus quorum altera alteram rapit pondere minori leviolem; hic autem levior libra argenti; sed gravior videtur propter operis artificio. ED.

5. *Aurea quod, etc.* Intellige currum non ex auro solido factum, sed ex ligno, aptatis aureis bracteis; qui quidem majori pretio quam fundus emitur.

6. *Quod pluris nulla est* in edd. vett. alii legunt *nulli est*. — *Quod pluris mula, etc.* Idem sensus quam versu præcedenti. Mulabus autem vehi Romanos solitos esse patet ex lib. IX, epigr. xxiii, v. 13; lib. VIII, epigr. lxi, v. 7; Juvenal.

Hæc animo credis magno te, Quinte, parare?  
Falleris : hæc animus, Quinte, pusillus emit.

Sat. VII : « Mundæ nitet ungula  
mulæ. »

7. *Hæc animo.* Qui tantas im-  
pensas facit in rebus tam pusillis,

non magno, sed pusillo est animo :  
habendus autem magnanimus ille,  
qui pecuniam pauperibus amicis  
largitur, etc.

## LXIII.

### IN COTILUM.\*

COTILE, bellus homo es : dicunt hoc, Cotile, multi.  
Audio : sed quid sit, dic mihi, bellus homo?  
Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines ;  
Balsama qui semper, cinnama semper olet ;  
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat ;

\* A Cotilo, homine bello, quid sit *bellus homo* postulat Noster ; eumque ita fingit respondentem, ut non videatur antiquum illud epigramma ; nam quod fuit bellus homo Romæ, hoc est bellus homo Lutetiæ. Vid. lib. I, epigr. x ; et lib. II, epigr. vii. Ed.

2. Beverlandi MS. *sed quid sit, Cottile, bellus homo ?*

3. Alii legunt *flexo qui*, improbante Ramiresio. — *Bellus homo est*, etc. Hic versus et novem sequentes sunt ex persona Cotili, Martiali quasi respondentis. Ed.— *Flexos qui digerit ordine crines.* Capilli vel arte flectuntur et calami-stro crispantur ; vel contra, ingenio suo flexi, nulla arte adhibita tales sunt. Petronius : « Crines ingenio suo flexi per totos se humeros effuderant. » Elegantium autem leviculorumque hominum comam fuisse

in cirros ordinatam patet ex lib. II, epigr. xxxvi, v. 1 ; et lib. X, epigramm. lxx, vs. 6. Ed.

4. *Balsama qui*, etc. Mollium est unguentis alienis semper bene olere. Vid. lib. II, epigr. xii ; et Juven. sat. II. — *Balsama.* Balsamum est arbuscula unde per incisionem extrahitur liquor odorifer, qui balsamum quoque vocatur. Ed. — *Cinnama.* Cinnamum, seu cinnamomum, (nam idem esse asserunt nonnulli,) est frutex odoratus qui ex Asia devehebatur ; quo condiebatur aqua suavissimi odoris. Vid. sup. epigr. lv, vs. 2.

5. *Cantica qui Nili, qui et Beverlandi MS.* — *Cantica qui Nili*, etc. *Ægyptiorum*, maxime Alexandrinorum summa mollities, petulantia, et procacitas in factis dictisque, ut etiam canticis lascivis. De Canopo vide Juven. sat. I, v. 26 ;

Qui movet in varios brachia vulsa modos ;  
 Inter femineas tota qui luce cathedras  
 Desidet, atque aliqua semper in aure sonat ;  
 Qui legit hinc illinc missas, scribitque tabellas ;  
 Pallia vicini qui refugit cubiti ;  
 Qui scit, quam quis amet ; qui per convivia currit ;  
 Hirpini veteres qui bene novit avos.  
 Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?  
 Res prætriosa est, Cotile, bellus homo.

sat. VI, vs. 85. — *Nili*. Nilus fluvius Ægypti, quem usurpat pro Ægypto. — *Gaditana*. Gaditani populi Hispaniæ (hodie *Cadix*), jocosis choreis impudicisque saltationibus ac carminibus dediti. Vid. lib. I, epigr. XLII, v. 12, et LXII, v. 9; et Juven. sat. II, vs. 162. — *Susurrat*. Gallice, *fredonne*; quod est hominum delicatorum. Ed.

6. In codd. et edd. vett. *volsa*. Beverlandi MS. pro *modos* exhibet *choros*. — *Qui movet*, etc. Ad leges et modos Chironomiæ saltabant, ut hodie Hispani. Ovid. Art. I. «Si mollia brachia, salta.» — *Vulsa*. Depilata enim et rasa brachia, mollium sunt; ut et crura et pectus. Lib. II, epigr. XXIX, vs. 6; et epigramm. xxxvi, vs. 5 et 6.

7. *Cathedras*. Intellige sellas in quibus feminæ sedentes inter se colloquebantur; hic autem bellus homo variis fabulis toto die eas detinebat.

8. *In aure sonat*. Insusurrat, garrit; quod est hominis intimæ cum feminis consuetudinis. Vel intellige rumusculorum aucupem vel architectum (gallice *nouvelliste*), semper aliquid novi habentem quod in aures credulas inserat. Prior sensus

potior est. Vid. lib. I, epigr. xc. Ed.

9. In quibusdam libris: *recipitque tabellas*. — *Tabellas*; amatorias nempe. Vid. lib. XI, epigr. LXV.

10. *Pallia vicini*. Ut manum timebat Priscus (lib. II, epigr. xli, v. 10), sic delicatus quisque in convivio accumbens ne a vicino tangeretur, magno scilicet periculo plicarum vestis artificio eleganti concinnatæ. Ed. — *Pallia*. Vestes cœnatoriæ, ut *syntheses*.

11. *Qui scit, quam quis amet*. Curiosus ardelio qui narrare ea gaudet quæ Galli appellant *la chronique scandaleuse*. Vid. Juven. sat. VI, v. 405.

12. *Hirpini veteres*. Hirpinus equus nobilis multas in circo palmas retulerat, cujus meminit Juvenalis, sat. VIII, vs. 61. Bellus itaque homo amat circum, et equos victores; stemmaque studiose recenset, et proavos equi Hirpini usque ab Aquilone avo. Vid. Lips. cent. unic. epist. 26.

13. *Quid narras*, etc. «Decastichon præcedens fuit e persona Cotili; distichon quod sequitur est Poetæ, ut et primum.» — *Quid narras*. Belli hominis definitionem miratur Poeta.

14. *Res petricosa* in ed. antiq.

Ferrar. ann. 1471; Ald. ann. 1501; Junt. 1512; Colin. 1528; Ald. 1550; Gryph. etc. *pertricos* in quibusdam aliis. — *Res prætricos* est. Sive *pertricos*, sive *prætricos* legamus, utramque vocem a *Tricæ* venire non dubitabimus; quid sunt autem *tricæ*? Si hanc vocem eo sensu intelligimus quem jam, lib. I, epigr. cxiv, v. 2, explicavimus, tum dicemus, bellum hominem esse rem minutissimam, ut minu-

tissima erant oppida *Tricæ* Apinæque. Sin autem *tricas* intelligimus fila quædam et impedimenta pullorum gallinaceorum pedibus innascentia, dicemus hominem bellum esse omni nugarum genere impeditum et quasi involutum, ut pes pullorum tricis involvitur. Denique si legimus *pertricos*, metaphorice intelligemus nugis, quasi *petris* et *salebris* impedita, quod erit prope idem sensus. ED.

## LXIV.

AD CASSIANUM, DE CANIO.\*

SIRENAS hilarem navigantium pœnam,  
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,  
Quas nemo quondam deserebat auditas,  
Fallax Ulysses dicitur reliquisse.

\* Jocosus illius poetæ Canii vere Gaditani (lib. I, epigr. lxxii, v. 9), semperque ridentis (lib. I, epigr. lxx; lib. III, epigr. xx) sermones, faceto lepore delicatos, ait Noster leniorem vim habere quam Sirenum cantus, ad aures tormento dulci detinendas. ED.

1. *Sirenas hilares navigantium moras* in codice Pulmanni. — *Sirenas*. Sirenes, Acheloi et Calliopes filiæ, nomine Leucosia, Ligia et Parthenope, erant monstra quædam, mulierum superne formam referentia, et in pisces desinentia, quæ, in promontorio Lucaniæ habitantia, Ælectos suavitate cantus nautas in scopulos attrahebant, attractosque devorabant. Vid. Plin.

lib. X, cap. 49; Ovid. *Metamorph.* lib. V. ED. — *Hilarem navigantium pœnam*. Elegantissimis antithetis ornatum est hoc gemmeum epigramma in quo est *hilaris pœna*, *blanda mors*, *crudele gaudium*. Ramiresius.

2. *Blandas mortes*. Sopiti enim suavitate cantus nautæ in mare a Sirenibus devolvebantur.

4. *Duplex Ulysses* Junt. nost. in marg. — *Fallax Ulysses*. *Fallax* apud Martialem, *duplex* apud Horatium, *πολύμητις* apud Homerum vocatur dux ille dolosus. ED. — *Dicitur reliquisse*. Obturatis cera sociorum auribus, seque ad navis malum alligari jusso, Sirenas effugit Ulysses, Homer. *Odyss.* M; quas victas fuisse

Non miror : illud , Cassiane , mirarer , 5  
Si fabulantem Canium reliquisset.

ita puduit , ut in mare sese præcipitaverint ; sic enim fatum jusserat. ED.

6. *Si fabulantem* , etc. Suaviter ac nequiter garrientem ; tam blanda suavisque est ejus facundia liberior !

LXV.

AD DIADUMENUM PUERUM.\*

Quod spirat tenera malum mordente puella ;  
Quod de Corycio quæ venit aura croco ;  
Vinea quod , primis floret quum cana racemis ;  
Gramina quod redolent , quæ modo carpsit ovis ;

\* Diadumeni pueri sui basiis (quæ numerari non vult lib. VI, epigr. xxxiv), quidquid in rerum natura suavissimi est odoris, tam eleganter comparat, ut nihil in eo epigrammate, leporis antiqui dulcedine penitus delibuto, nihil sit forte desiderandum, nisi quod Noster in eo inscribendo misere erraverit. Si secum certantis Poetæ fecundam varietatem mirari volueris, lege lib. II, epigr. viii. ED.

1. *Quod spirat tenera*, etc. Ordo est : tua basia fragrant quod fragrat pomum, puella mordente, etc. ED. — *Tenera malum mordente puella*. Dens juvenilis, puellarisque halitus olentia reddebat et gratiora amasiis poma ; erat enim eo tempore puellis mos, ut poma suis amatoribus semirosa mitterent, et attritas etiam corollas, et hujusmodi nugas, ad eorum amorem captandum. Testis Lucianus in *Toxare*. *Ramiresius*. — *Malum*. Vid.

infr. lib. XI, epigr. viii, v. 3. ED.

2. *Quod de Corycio pervenit in codice Thuan. et Beverlandi MS.* — *Quod de Corycio*, etc. Corycus mons est Ciliciæ : Ciliciæ autem nobilissimum esse crocum diximus lib. Spect. epigr. III, v. 8, et patet etiam ex lib. IX, epigr. xxxix. versu 5. — *De Corycio*. Vid. lib. XI, epigr. viii, v. 2. ED.

3. *Cana*. Quum emittit flores suave olentes.

4. Multi codd. inquit Calderinus. habent *quæ modo carpsit apis*, ut de thymo intelligatur ; hoc etiam habent codd. Scriverii, et sic conj. Barthius, probante Gronov. Nonnulli exhibent, *quæ modo carpsit avis*, ut de Phœnice possis intelligere, quæ nidos construit ex cinnamomo et casia. Nostram lectionem testantur edd. vett. Vide var. notas. — *Gramina quod redolent, quæ modo carpsit ovis*. Hanc lectionem omnino rejicit Gronovius,

Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita; 5  
 Pallidus Eoo thure quod ignis olet;  
 Gleba quod, æstivo leviter quum spargitur imbre;  
 Quod madidis nardo sparsa corona comis;

vultque legi *carpsit apis*, dicens: Ego vero, quis dixerit gramina esse odoratiora a morsu ovis, nescio: sed de api dixit Quintilianus, decl. 13: « Non ex omnibus floribus carpunt utilia operi suo, sed in omnibus quærunt. Præsens et quidem protinus illa redditur merces, quod omnibus, quibus insedere, odorem mellis inspirant, et brevi contactu vim sui relinquunt. » Legatur igitur *apis*, præsertim quum et MSS. sic habere complures testis Scriverius et Calderinus: et nobis etiam alicubi obvium fuerit. — Si legimus *apis*, vid. lib. II, epigr. VIII, v. 8. ED.

5. *Messor Arabs*. In Arabia Felici messes bene olentium herbarum erant, exempli gratia, nardi; messor itaque fragrabat earum odoribus. — *Messor Arabs*. Vid. lib. XI, epigr. VIII, v. 1 et 9. ED. — *Succina*. Succinum (gallice *ambre jaune*) succum arborum esse putabant antiqui, unde et nomen acceperat. Plinius, Nat. Histor. lib. XXXVII, cap. 3: « Quod arboris succum esse prisci credidere, ob id succinum appellantes. » Tacitus etiam in fine libri de moribus Germanorum fere idem, succinumque affirmat esse succum hoc argumento: « Quia terrena quædam atque etiam volucra animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore mox durescente materia cluduntur. » — Succinum quod in Saxonum et Prussiorum regione potissimum invenitur ad os Vistulæ,

in insula *Narung*, ubi antiqui insulas nominaverant *Electridas*, inter fossilia annumeraverunt quidam eruditi; *Formey* et alii putant esse succum pinorum populorumque. Magno habebant in usu electrum Romani; Plinius testis est Neronis tempore pondus tredecim librarum unum Romæ fuisse allatum. ED. — *Trita*. Succinum manu tritum bene olet. — *Trita*. Vid. lib. XI, epigr. VIII, v. 6; lib. V, epigr. XXXVII, v. 11; lib. IV, epigr. LIX, versu 4; lib. IX, epigramm. XIV, versu 6. ED.

6. *Pallidus*. Colorem enim ignis rutilum, immissum thus in pallidum vertit. — *Eoo thure*. Id est, Sabæo et orientali.

7. *Gleba quod*, etc. Terræ odor superat omnes narium delicias. Plin. lib. XVII, cap. 5, ait, divinum illum terræ halitum talem esse, ut ei nulla suavitas comparari queat. — *Æstivo*. Terra calore solis perusta, et imbre dulci refrigerata, gratum mittit odorem. ED.

8. Scriverius legit, *madidas nardo sparsa corona comas*, quod servant etiam edd. vett. *passa pro sparsa* codex Thuan. — *Quod madidis*, etc. Sensus est: quod fragrat corona florea jam bene per se olens, imposita capiti unguentis delibuto. ED. — *Quod madidis nardo*. In hoc variant lectiones; forsitan melior est codicis Thuan. *madidas nardo passa corona comas*; id est, corona quæ bibit odorem, quo fragrabat caput

Hoc tua, sæve puer Diadumene, basia fragrant.  
Quid, si tota dares illa sine invidia?

10

cui fuit imposita. ED. — At alii : *sparsa corona comas* ; quod hellenismus est ; tum τὸ *comas* sumitur pro ramusculis florum quibus constat corona. — *Nardo*. Crines nardo ungebantur , quod ex Arabia venit et partibus Orientalium.

9. *Hoc tua sæva* Junt. 1512, et Colin. 1528.

10. *Quod si* Beverlandi MS. — *Tota*. Non dimidio labro , ut Posthumus ille , lib. II, epigr. x, cujus basia aliter fragrabant. ED. — *Sine invidia*. Non parce nec reluctantem , græce ἀφθόνως : hellenismus ; sic dicunt οὐδέεις φθόνος pro , libenter. At contra hoc sibi placere dicit Martialis , lib. V, epigr. XLVI et LXXXIII.

## LXVI.

IN M. ANTONIUM.\*

PAR scelus admisit Phariis Antonius armis ;  
Abscidit vultus ensis uterque sacros.

\* Est hoc epigramma ejusdem prope argumenti ac libri V, epigr. LXIX. Antonii triumviri , qui Ciceronem morti dedit , scelus confert cum scelere Pothini , qui venerandum illud Pompeii caput amputavit ; ostenditque causam esse pejorem Antonii , quod Pothinus id facinus domino Ptolemæo præstisset , cujus in gratiam hoc suavit , unde excusari potest ; Antonius autem sibi soli , nulla relicta excusatione.

— Hoc epigramma translatum fuit a quodam olim philologo , et insertum quibusdam aliis scriptis ejusdem generis ; quod satis liquet ex veterum epigr. volumine quod Pithæus edidit , ubi hæc inscriptio : *Valeriani de Antonio*. Sed loco ultimi distichi hoc substituitur : *Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?*

*Incipient omnes pro Cicerone loqui*. Vide Senecam Rhet. et vetusta Cic. Epitaphia apud eundem Pithæum.

1. *Pro Phariis* Beverlandi MS. habet *pactis* : hæc verba permutantur etiam in Juvenale , sat. IV, 24. Vid. Marklandi Epist. crit. p. 152. — *Phariis*. Ægyptiis. Vid. quæ adnotavimus lib. I, epigr. LXXXIX, v. 3. — *Phariis armis*. His verbis intellige Pothinum , sica nocenti utentem. ED.

2. *Abscidit heu vultus* conj. Dousa P. probante Pulmanno , ut metro ruenti succurratur : citra necessitatem ; nam *abscidit* venit a *cædo*. « Illa comam læva morienti abscidit ephebo. » Lucan. — *Vultus*. Capita. — *Uterque*. Pothini et Antonii. — *Sacros*. Propter sacros magistratus quos gesserant , vel propter gloriam , bene merita , res gestas ,



Illud , laurigeros ageres quum læta triumphos ;  
 Hoc tibi , Roma , caput , quum loquereris , erat.  
 Antoni tamen est pejor , quam causa Pothini : 5  
 Hic facinus domino præstitit ; ille sibi.

etc. ἱερὰς κεφαλὰς vocabant Græci viros celeberrimos.

3. Beverlandi MS. *ageres cum Roma, triumphos*. — *Illud*, etc. Caput Romæ bellantis Pompeius ; caput Romæ loquentis Cicero. ED. — *Laurigeros ageres*. Dignum sane caput Pompeius , quod Romam in suscipienda belli cura , et in cingenda laurea triumphali repræsentaret universam. ED. — *Triumphos*. Pompeius de tribus Orbis partibus triumphavit.

4. *Hoc tibi*, etc. Digna sane lingua Cicero , per quam nobiles sensus suos exprimeret nobilissima terræ civitas. ED. — *Quum loquereris*. Val. Max. lib. V, cap. 3, vividis indignationis et eloquentiæ coloribus pingit Ciceronis mortem et nefandi facinoris ministrum execratur : « Cicero Cn. Popilium Lænatem , Picenæ regionis , rogatu M. Cælii , non minore cura quam eloquentia defendit , eumque causa admodum dubia fluctuantem , salvum ad Penates suos remisit. Et hic Popilius postea , nec re nec verbo a Cicerone læsus , ultro M. Antonium rogavit , ut ad illum proscriptum persequendum atque jugulandum mittere-

tur : impetratisque detestabilis ministerii partibus , gaudio exsultans Caietam cucurrit , et virum , omitto quod amplissimæ dignitatis , certe salutis ejus auctorem , certe studio præstantis officii privatim sibi venerandum , jugulum præbere jussit ; ac protinus caput romanæ eloquentiæ et pacis , clarissimam dextram per summum et securum otium amputavit , eaque sarcina , tamquam opimis spoliis alacer in Urbem reversus est : neque ei scelestum comportanti onus succurrit , illud se caput ferre , quod pro capite ejus quondam peroraverat. Invalidæ ad hoc monstrum sugillandum literæ : quoniam qui talem Ciceronis causam satis digne explorare possit , alius Cicero non existat. » Super hac nefaria cæde vid. et declamatio Senecæ.

6. *Hic facinus domino*. Pothinus in gratiam Cæsaris regi Ptolemæo suasit , ut Pompeium interfici juberet ; Ciceronem vero occidi jussit Antonius , ut animi sui crudelitatem expleret : ergo gravius est Antonii scelus , quam Pothini. — *Sibi*. In suam solius vindictam , in nullius gratiam.

## LXVII.

## DE PIGRIS NAUTIS.\*

CESSATIS, pueri, nihilque nostis,  
Vatreno Eridanoque pigriores :

\* In pigros quosdam nautas est epigramma, quos Argonautas dicit se vocare proprio nomine, non quod strenuis illis heroibus qui Jasonem comitati sunt ad Phasin similes sint, sed a proprietate vocis sumpto joco, quod ἀργὸς græce pigrum et desidiosum significet; dicitur enim quasi ἀεργὸς, id est sine opere. *Ramires*. — Nullum est hujus poetæ epigramma cujus inconstantior sit lectio; multiplices inter criticorum emendationes quid nobis videatur verisimilius dicemus: judicabit lector. Ed.

1. Hic versus varie legitur: Pulmannus scribi jussit: *Cessatis pueri, nihilque môstis Veientone asinoque*; sed hæc est emendatio Lipsii, quam probat Turneb. lib. XIII, cap. 19, et recepit Scriverius. Pontanus in notis ad Macrobiū Saturn. cap. 16, emendat *póstis* pro *potestis*. Farnabius, si quid mutandum, adoptaret: *Cessatis pueri, et nihil movetis*. Ant. de Rooy malit: *Cessatis, pueri, nihilque motis*, etc. ut τὸ motis referatur ad fluvios, qui sequuntur, hoc sensu: *Cessatis, pueri, et pigriores Vatreno Eridanoque nihil motis a vobis* (acri scilic. ut oportebat, remorum impulsione), tingitis lentos ad celeusma remos. Vid. Lucan. v. 448, et Ovid. Am. II, 11, 5. *Pellere* in eadem re utitur

idem Ovid. Pont. IV, 10, 33, et Tibull. II, 5, 34, ubi vide Brouck. — *Nihilque nostis*. Imperiti estis in arte navigandi, navigare non novistis; gallice, *Vous n'y connaissez rien*. Genus dicendi atticum est. — Hæc est lectio quam adoptavimus; rejicimus *nihil môstis, nihil póstis*, quia dura et insolens est dicendi ratio, a gustu sicut et ab auribus absonans; *nihil movetis*, quia hoc tantum conjicitur a Farnabio, nec habet quo confirmetur, alioquin lectio non contemnenda; *nihilque motis*, quia repetitio foret inelegans sonans cum versu tertio et quarto. Ed.

2. *Vatreno, Ratinaque Beverlandi* MS. *Vatreno Rasinaque* Gruterus ex codice Palatino. *Veterno resinaque* Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Lang. Ramires. Calderinus, etc. Vid. G. Vossii Aristarchum, p. 300, l. 2, et var. not. *remoraque pigriores* ex Pulmanni editione citat Langius. Lectio nostra debetur Cluverio in Ital. Antiq. — *Vatreno Eridanoque pigriores*. Ut hunc versum intelligamus, meminimus tum fuisse Martialem in Gallia Cisalpina, et fortasse per hos amnes navigasse, quibus per se ipsos lentis lentiores erant cymbæ ductores. Vid. epigr. 1 et 14 sup. Ed.— Nostram lectionem dedit Cl. Ph.

Quorum per vada tarda navigantes,  
Lentos tingitis ad celeusma remos.

Cluverius in opere elaboratissimo laudatissimoque *Italia antiqua*. Is infra Imolam (Forum Cornelii ubi tunc Noster), Vatreum lentissime fluere asserit, ut et Padi alveum, quem Vatreus auget, proprie vocatum Eridanum, in stagna se diffundere. Vide ipsum lib. I, c. 35. Vatreum amnem Leander *Saturno* hodie vocat: Vatreus et Vaternus promiscue dicit Ferrarius. Vid. Plin. lib. III, cap. 16. — Alii: *Vatreo Rasinaque pigriores*. — Quæ lectio tam probanda quam præcedens, quum Rasina sive Tesina, ut scribit Bernardinus Scardeonius, libro I Antiquitatum urbis Patavinæ, sit amnis, ut Vatreus, ex agro Forojuliensi in Padum influens. Ed. — Alii: *veterno resinaque*. — Vaternus enim torpor est somni morborum; sic vaternosum appellant, quod pigerrimum est, et quasi veterno occupatum; itaque videtur Martialis per hyperbolen dicere, *pigritia ipsa pigriores*. Resina vero sua tenacitate et lentitudine pigerrima est, vel quod ipsa per arborum truncos lentissime fluat; vel quod detineat. *Ramiresius*. — Quum autem hæc lectio adoptari nequeat nisi *Quorum* in tertio versu mutemus in *quorsum* quam emendationem a Ramiresio factam merito queritur Scriverius, hanc rejecimus lectionem. Ed. — Rejicimus quoque *Veientone asinoque*; quæ lectio subtilior videtur quum hoc tantum versu nitatur Juvenalis, sat. III: « Ut te respiciat Clauso Veiento labello », in quo de homine vaternoso loquitur.

— Alii denique *Vaternoque Sapique pigriores*, quæ lectio forsitan tam probanda quam *Vatreo Eridanoque* et *Vatreo Rasinaque*, quum Sapis sit fluvius Æmiliæ ex monte Apennino supra Sarsinam oriens; etc. Vid. Ferrar. Judicet inter hæc omnia lector. Ed.

3. *Quorum per vada* Ramiresius. — *Quorum*. Sic super Vatreo vel Eridano navigare Martialem supponimus. Ed. Sed Ramiresius, qui versu præcedenti legit *veterno resinaque*, legit nunc *quorsum* cum nota interrogationis, id est; quo fine pueri navigantes per tarda vada, nulla vi fluentis aquæ adjuti, dum promovere se a remorum impulsione sit necesse, tanquam otiosi et ludentes tingitis in aqua remos leniter motos nec impulsos brachiorum vi, ad numeros celeusmatis expectantes cantus? etc.

4. *Lentos fingitis* Beverlandi MS. *fingitis* in edd. vet. quasi fixos tenetis, non movetis. — *Tingitis*. Hoc est vix aqua madefacitis; hanc lectionem prætulimus, et *fingitis* rejecimus, quia pigrioris aliquid in *tingitis* quam in *fingitis* inesse videtur; licet intelligant *fingitis* interpretes *fixos tenetis, non movetis*. Ed. — *Celeusma*. Clamorem et hortationem nauticam, ad quosdam numeros factam, qua se invicem incitant nautæ ad remum promovendum seu retrahendum (*κάλεισμα*, hortatio, incitatio). Vel a celeustis incitantur, hominibus penes quos imperium est in cæteros nautas, et qui præsumunt naviculationi, remorumque actitationem cantico

Jam pronò Phaethonte sudat Æthon , 5  
 Exarsitque dies , et hora lassos  
 Interjungit equos meridiana.  
 At vos tam placidas vagi per undas  
 Tuta luditis otium carina.  
 Non nautas puto vos , sed Argonautas. 10

speciali in numerum moderantur.

5. *Prono Phaethonte.* Sole scilicet post meridiem jam inclinante. — *Æthon.* Unus e quatuor equis Solis cursum trahentibus. Ovid. *Metam.* lib. II: « Interea volucres Pyroëis, Eous et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras Flammiferis implent. »

6. Beverlandi MS. *lapsos* exhibet.

7. *Interjungit equos.* Et hora meridiana fessos calore jubet equos interjungi, id est abduci a curribus vel aratris, quietis vel pastus causa. Vid. lib. II, epigr. VI, vs. 16. Gallice, *dételer.*

9. *Tutæ luditis otium carinæ* legit Scriverius. *Tarde luditis* alii. Vide Gronovium in var. not. — *Tuta luditis*, etc. Quum festinare citra periculum ac tuto possetis, tarde et quasi caute inceditis; sic *otium lūditis*, id est *otiamini ludentes*: ludere otium dicitur ut *ludere operam*, pro *perdere*.

10. *Sed Argonautas.* Ludit in hoc verbo: Argonautæ fuerunt heroes fortissimi Jason, Theseus, Hercules, et alii; hi vero pueri erant Argonautæ, hoc est, nautæ inertes et desidiosi, composito nomine ab ἀργός, piger, et ναύτης, nauta.

## LXVIII.

AD MATRONAM PUDICAM.\*

Huc est usque tibi scriptus, matrona, libellus.  
 Cui sint scripta rogas interiora? Mihi.

\* Admonitionem continet ad pudicas matronas, ne sequentia legant epigrammata, quod prætextata sint, nec digna castis earum auribus. Sed suspicatur fore ut post hanc admonitionem, avidius quam præcedentia, matrona legat quæ sequuntur, quod factum esse testatur infr. epigr. LXXXVI. *Ramires.*

— *Ad Matronas* inscribitur in edd. vett.

2. Beverlandi MS. *inferiora.* — *Interiora.* Id est, subsequentia; ducta metaphora a domo, cujus interiores partes dicuntur, quæ a primo limine sunt remotiores. Virg. *Æn.* lib. I: « At domus interior regali splendida luxu, etc. » Dicit autem

Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte : recede.

Exsuimur : nudos parce videre viros.

Hic jam deposito post vina rosasque pudore, 5

Quid dicat, nescit saucia Terpsichore.

Schemate nec dubio, sed aperte nominat illam,

Quam recipit sexto mense superba Venus :

Custodem medio statuit quam villicus horto ;

Opposita spectat quam proba virgo manu. 10

Poeta hujus libri epigrammata hucusque scripta esse matronis pudicis : quæ vero subsequuntur lasciva prorsus, et castis auribus aliena.

3. In quibusdam : *Stadium est ex parte.* — *Gymnasium, thermæ,* etc. Eadem persequitur metaphoram : hæc loca erant ubi nudi homines : gymnasium a γυμνάζεσθαι, *denudari*, dictum.

4. Junt. ann. 1512 habet : *nudos parte videre viros.* Pulmanni cod. *videre mares.*

6. *Quid dicas* in quibusdam vett. *Quid dicat* vetus codex Cagnerii. — *Saucia.* Saucia Baccho, id est ebria, lib. IV, epigr. LXVI, v. 12 : « Incaluit quoties saucia vena mero. » Eo sensu usurpatur Justino, lib. I, et II, atque Apuleio, *Metam.* lib. VII, et IX. — *Saucia Terpsichore.* Musam hanc nominavit, quia præest choreis (unde nomen ei inditum) et lascivis voluptatibus, quibus deinceps indulgebit Poeta. Ed.

7. *Schemate non dubio, per te cognoverat illam* in eodem codice. — *Schemate nec dubio.* Non tectis et figuratis verbis, sed recta rerum appellatione, quod est latinæ linguæ, et potissimum linguæ epigrammaticæ. Vid. epigr. lib. I. Ed. — *Illam.*

Nomen quod subauditur vid. epigr. sequenti, v. 2.

8. Junt. nostra marg. ascriptum habet : *Quam recipit sexto mense proterva Venus.* — *Quam recipit.* Priapum matronæ Romæ (ritu ab Ægyptiis ducto, qui Isidis jussu pudenda circumferebant in cultum Osiridis, cui invento virilia defuerunt) VII kal. Augusti extra portam Collinam cum pompa ad Veneris fanum ferebant, inque Deæ sinu ponebant. Vide et annot. poster. Baptistæ Pii cap. 146. — *Sexto mense.* Mens Sextilis sive Augustus sextus est a mense Martio a quo annum incipiebant Veteres.

9. *Custodem medio,* etc. Altera ejusdem periphrasis obscenæ partis, quam enormem in Priapo horretorum custode figurabant porrecto ab inguine palo. Nam Priapus, ut decet Veneris filium, prægrandi pene insignitus. *Ramires.*

10. Beverlandi MS. *proca virgo.* — *Opposita spectat,* etc. Jocus in virgines pudicas specie, reapse vero spectaculum non fugientes, quæ manum oculis admovebant, tanquam avertentes visum a re tam turpi, digitulis tamen parum apertis ut quasi per rimulas viderent. *Ramires.*



## LXX.

AD CERVINUM.\*

MŒCHUS es Aufidiæ, qui vir, Cervine, fuisti.  
 Rivalis fuerat qui tuus, ille vir est.  
 Cur aliena placet tibi, cui sua non placet uxor?  
 Numquid securus non potes arrigere?

\* Mirabilem Cervini cujusdam in amore mutabilitatem describit, qui Aufidiam uxorem per fastidium repudiaverat, deinde nuptam rivali suo priori deperibat, ita ut ejus mœchus curaverit fieri: simile argumentum habet lib. VI, epigr. LXXI. Est enim communis hominum consuetudo in vetita ferri impotentius. Horat. sat. 11, lib. I: « Leporem venator ut alta In nive sectetur, positum sic tangere nolit; Cantat et apponit: meus est amor huic similis; nam Transvolat in medio posita, et fugientia captat. » Et supra, lib. I, epigr. LXXIV, hanc sententiam complexus est. *Ramires.*

— *Ad Cervinum* Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Lang. etc. *Ad Scævinum* exhibent cod. Pulmanni, et Schrevelius.

1. *Mœchus es Aufidie, quid vir Cervine fuisti* in Junt. ann. 1512. *Mœchus es Aufidie, qui vir Cervine fuisti* Ald. et Colin.

3. In iisdem: *quæ tua non placet uxor.*

4. *Numquid*, etc. Elegans questionis propositæ per interrogationem solutio. Causa enim cur Cervinus iste repudiatam uxorem et alteri nuptam amabat, erat quod feminam quam secure possidebat appetere non poterat. *Ramires.*

## LXXI.

IN NÆVOLUM.

MENTULA quum doleat puero; tibi, Nævole, culus:  
 Non sum divinus, sed scio quid facias.

1. *Quum doleat.* Nævolum pathicum insectatur, qui pædicabatur a servo. *Ramir.*

2. Langius ex edit. Pulmanni citat: *si scio quid facias.* In Junt.

1512, et Colin. 1528, cum interrogationis nota: *sed scio, quid facias?* — *Divinus.* Non opus est OEdipo ad hoc ænigma solvendum. — *Quid facias.* Immo quid patiaris.

LXXII.

AD LAUFEIAM.\*

Vis futui, nec vis mecum, Laufeia, lavari.  
 Nescio quod magnum suspicor esse nefas.  
 Aut tibi pannosæ pendent a pectore mammæ:  
 Aut sulcos uterî prodere nuda times:  
 Aut infinito lacerum patet inguen hiatu: 5  
 Aut aliquid cunni prominet ore tui.  
 Sed nihil est horum: credo, pulcherrima nuda es.  
 Si verum est, vitium pejus habes: fatua es.

\* *Ad Laufellam* inscribitur in edd. vett. alii legunt, *Saufeiam*; et alii *Lauferam*, vel *Laufelam*. Eadem est varietas in codd. Juvenalis sat. VI, 320.

1. *Nec vis mecum*. Communia fuisse viris cum feminis balnea constat etiam ex epigr. LI supra.

2. *Nescio quid correctum est* in Junt. nostra. *Nescio quod majus* in vett. codd. Pulmanni et Ramiresii. Vid. epigr. XLII supr.

3. Codex Pulmanni: *dependent pectore mammæ*. — *Pannosæ*. Vide lib. II, epigr. XLVII, v. 3. Quodcumque rugosum est et lacerum laxumve, pannosum aut pannuceum dicitur. *Ramires*.

5. *Inguen hiatu*. Has partes vocant nympham et eugium. *Schrevel*.

8. *Fatua es*. Insulsa, nullo lepore meretricio instructa. Lib. XI, epigr. LXI, vs. 7. *Intelligerem*: inconsultæ levitati obnoxia. *Ed*.

LXXIII.

IN PHOEBUM.\*

DORMIS cum pueris mutoniatis,  
 Et non stat tibi, Phœbe, quod stat illis.

\* In nonnullis codd. inscribitur: *In Gallum*. Alii codd. habent: *In Phœbum quendam*, et in epigr. v. 2. *Et non stat tibi, Galle*.

2. *Non stat*. Vid. lib. II, epigramm. XLV, vs. 1: « Quæ tibi non stabat, præcisa est mentula, Glypte. »



Quid vis me, rogo, Phæbe, suspicari?  
 Mollem credere te virum volebam :  
 Sed rumor negat esse te cinædum.

4. *Mollem*. Id est, cinædum. Vid. lib. I, epigr. xcvi, v. 10.

5. *Sed rumor*. Fellatorem carpit, qui quum feminis nequiret, pueris

mutoniatis morem gerebat : spurcissimo ore pathicum forte intelligit. De voc. *rumore* vid. lib. II, epigr. lxxii, v. 6.

## LXXIV.

IN GARGILIANUM.\*

PSILOTHRO faciem lævas, et dropace calvam.  
 Numquid tonsorem, Gargiliane, times?  
 Quid facient ungues? nam certe non potes illos

\* Fellatorem Gargilianum perstringit, quod faciem et calvam resinis quibusdam depilaret.

1. *Psilothro faciemque lavas* in edd. vett. *Psilothro faciem lævas* Heraldus; nam psilothro non lavabatur facies, sed lævabatur. Conf. Auson. epigr. cxxiii. *Psilothro faciemque levas* Ramires. Hinc lectio mendosa in ed. Bipontina *Psilothro faciemque lævas*. Dele τὸ *que*, et lege cum Schrevel. *faciem lævas*, quem omnino sequitur editor Bipontinus. *Et dropace culum* legit Musambert. quam lectionem margini adscriptam exhibet etiam nos penes Juntina ann. 1512. — *Faciem lævas*. Faciem depilas psilothro, quod erat unguentum evellendis pilis aptum, de quo Plinius, lib. XXIV, cap. 9 : « Amerinæ nigræ semen cum spuma argenti pari pondere a balneo illitum, psilothrum est. » Videatur etiam libri XXII, cap. 1. — *Et dropace*. Est

etiam unguentum, quod pilis evellendis inservit, de quo lib. X, epigr. lxxv, v. 8. — *Calvam*. Per *calvam* intelligit calvariam seu cranium : paucos enim pilos superstites ibi non ferebat Gargilianus; volebatque nitidam omnino esse calvam, ideo dropace utebatur. *Herald*. Lib. II, epigr. xxix, v. 6.

2. *Numquid tonsorem*. Poeta irridet Gargilianum, qui pauper tonsorem timere non debuit ad exemplum Dionysii tyranni. Vel sic intelligendum : An adeo mollis es et timidus, ut novaculam experiri nequeas?

3. *Quid facient ungues?* in margine ejusdem Junt. et sic emendavit Franciscus Modius, epist. 109. *Quid faciem tinguis?* Ferrar. ann. 1471; Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Pulmann. Lang. etc. *Quid faciunt ungues?* codex Heraldus, unde ille conj. *Quid facient unguis?* —

Resina, Veneto nec resecare luto.

Desine, si pudor est, miseram traducere calvam : 5

Hoc fieri cunno, Gargiliane, solet.

*Quid facient ungues.* Veteres solebant non solum barbam, sed et resecandos ungues tonsoribus præbere : hoc est, Saltem ad resecandos ungues ferro uti debes, et tonsori te committere. Vid. lib. XIV, epigr. xxxvi.

4. *Veneto nec.* Mixta aceto terra ex Cypro advehebatur, quam vo-

cabant lutum Venetum, ex quo psilothrum unguentum fiebat ad evellendos crines.

5. *Traducere.* Reddere infamem et malo *rumori* obnoxiam. De hoc verbo dictum lib. Spect. epigr. iv.

6. *Solet.* Sensus est : O Gargiliane, videris te componere ad fellandum, etc.

## LXXV.

IN LUPERCUM.

STARE, Luperce, tibi jam pridem mentula desit :

Luctaris demens tu tamen arrigere.

Sed nihil erucæ faciunt, bulbique salaces;

Improba nec prosunt jam satureia tibi.

Cæpisti puras opibus corrumpere buccas : 5

Sic quoque non vivit sollicitata Venus.

1. *Desit* in Pulmanni codice. — *Stare.* Irrisio est in Lupercum quemdam jam enervem, qui ἀστυσία laborabat : ipse tamen omnem movebat lapidem ut posset. *Ramires.* — *Desit.* Desiit.

3. *Eruca*, etc. Erucam, bulbos, atque satureiam, Venerem excitare notissimum est ex medicis : erucam enim alibi appellat salacem herbam, lib. X, epigr. XLVIII, v. 10; vid. et lib. XIII, epigr. xxxiv.

4. *Improba nec*, etc. Salax, venerem improbam irritans. Βολβός, και κοιλίας, και ὠόν, και τὰ ὄμοια

δοκῆι σπέρματος εἶναι ποιητικά ..... διὰ τὸ ὁμοειδῆς εἶναι τὰς πρώτας φύσεις, και τὰς αὐτὰς δυνάμεις κ. τ. λ. Athenæus, lib. II, cap. 23.

5. *Cæpisti puras Opicus*, Lipsius epistolarum lib. V, 6, quasi sit fellatio. Farnabio placet vulgata lectio, quam astruit in ultimo versu, *magno stare.* — *Puras buccas.* Magno dicit constare Lupercum, quod opibus corruerat buccas puras puerorum, qui, nisi oblato summo pretio, non possent ad tantam allici turpitudinem.

6. *Sic quoque non vivit.* Bene

Mirari satis hoc quisquam, vel credere possit,  
Quæ non stat, magno stare, Luperce, tibi?

*vivit*, quod mortua membra communiter dicat jacentia. Vide lib. VI, epigr. LXXI, v. 3; et lib. VIII, epigr. LVI, vs. 16: « Quæ poterant ipsum sollicitare Jovem. » *Ramires.*

8. Pro *Quæ* codex Palat. exhibet *Quod*. — *Quæ*, etc. Jocum quærit ab ambiguo τῶν *stare*: prius obscœnum significat, posterius *constare*. Vid. lib. II, epigr. XLV.

## LXXXVI.

IN BASSUM.\*

ARRIGIS ad vetulas; fastidis, Basse, puellas:  
Nec formosa tibi, sed moritura placet.  
Hic, rogo, non furor est, non est hæc mentula demens?  
Quum possis Hecubam, non potes Andromachen.

\* Notat Bassi in vetulas furorem, qui puellas fastidiebat; nec in vetulis forma, sed senectus hominem delectabat; nec quidem erat hæreditatum captator Bassus. *Ramires.*

2. *Sed moritura placet.* Capularis anicula, et morti vicina.

3. In Junt. ann. 1512, *non hæc mentula demens?* contra metri integritatem.

4. *Possis.* Sensus hujus voc. turpiculus, vid. supra epigr. XXXII, v. 1 et 3. — *Hecubam.* Vetulam. *Andromachen.* Juniorem.

## LXXXVII.

IN BÆTICUM.\*

NEC mullus, nec te delectat, Bætice, turdus:  
Nec lepus est unquam, nec tibi gratus aper.

\* Bæticum hoc loco, tecte eo vitio notat, quod epigr. LXXXI describitur, scilicet fellatione; et ducitur hac conjectura, quod putrida quæque appetat, fastidiatque bo-

nos cibos. Primis quatuor versibus enumerat pretiosa edulia, a quibus Bæticus abhorrebat; et quatuor sequentibus, vilissima quæque ac putrida. *Ramires.*

Nec te liba juvant, nec sectæ quadra placentæ :  
 Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aves.  
 Capparin, et putri cepas halece natantes, 5  
 Et pulpam dubio de petasone voras.  
 Teque juvant gerres et pelle melandrya cana :  
 Resinata bibis vina, Falerna fugis.  
 Nescio quod stomachi vitium secretius esse  
 Suspignor : ut quid enim, Bætice, saprofagis? 10

3. *Sectæ quadra placentæ.* In quadrata frusta secabantur placentæ, et quodque eorum quadra dicebatur, ut ipsa verba declarant : *Quadra sectæ placentæ.* Sic lib. IX, epigr. xci, v. 18 : « Secta plurima quadra de placenta. » Et lib. VI, epigramm. lxxv, v. 1.

4. *Nec Lybe mittit in Junt. ann. 1512.* — *Nec tibi*, etc. Nec tibi sapit avis numidica, nec phasiana. Supr. epigr. lviii, v. 15 et 16.

5. *Capparitis et turpis Beverlandi MS.* « Miror, ulcus, quod hic versus habet, adhuc intactum. Quid enim capparitis, quid cepis cum halece? Nullus dubito, quin a manu Hispani nostri sit : *Cammaron et putri mænas halece natantes.* Cammarus certe, sive gammarus, vilior piscis est, et tenuiorum cibus. Noster supra, libr. II, epigr. xliii. Et mænæ inter salsamenta numerantur infra, lib. XII, epigr. xxxii. Vides ibi et gerres et mænas, ut h. l. memorari. Cæterum consule Heinsium ad Ovid. Fast. II, 578, ubi fuse de hisce plebeiorum ferulis disputatur. Et ne quemquam offendat græca terminatio in τῶ *Cammaron*; sciat, huic sæpissime indulsisse Martialem. Sic, ut alias præteream, *cercopithecon* dicit infr.

lib. VII, epigr. lxxxvi; *Cyllaron*, lib. VIII, epigr. xxi; *Hippodromon*, lib. XII, epigr. l : *Monaulon*, lib. XIV, epigr. lxiv. Plura pete a Vossio Analog. lib. II, cap. 7. » Ant. de Rooy. — *Halece.* Alex vel halec, liquamen ex intestinis piscium; capparitis vero (gallice *câpre*), flos est nondum evolutus fruticis.

6. *Dubio*, etc. Scil. semiputido.

7. Edd. vett. habent, *melandria*. — *Gerres et pelle.* Minuta salsamenta e locustarum genere; Plin. lib. XXXII, cap. ultimo. Vid. et Turneb. lib. XXIV, cap. 46. Vide lib. XII, ep. xxxii, v. 15 et 16. — *Melandrya cana.* Pars thynni vilissima, Plin. lib. IX, cap. 15; sed Athenæo salsamenta ex thynnis maximis, lib. III, cap. 33.

8. *Resinata bibis vina*, etc. Corrupta et olentia picem vasis. Plin. lib. XXIII, cap. 1. — *Falerna.* Vid. lib. I, epigr. xix, v. 1.

9. *Vitium secretius esse.* Lingendi scilicet, vel fellandi quum tuus stomachus sit gustui tetro assuetus.

10. Beverlandi MS. *ut quid enim, Bætice, figis apros?* Græcis literis in quibusdam codd. scriptum est, σαπροφαγείς. Ramiresius de Prado emendavit σαπροφαγείς, quod verbum est Galeni de Simpl. Medic.

lib. X, cap. 1, significatque vorare sterces : ubi vide quæ dicit de Xenocrate. Duplicem lectionem exhibet nos penes Juntina margini adscriptam : *ecquid enim, Bætice, putre fugis?* et *ut quid enim, Bætice,*

*turpe sugis*, metro, si nihil aliud, obstante. Si quid mutandum, forte : *ecquid enim, Bætice, turpe fugis?* — *Sapropagis*. Σαπροφαγεῖς, putrida edis? ex σαπρός, putridus, et φάγω, edo.

## LXXVIII.

AD PAULINUM.\*

MINXISTI currente semel, Pauline, carina.  
Meiere vis iterum? jam Palinurus eris.

\* Quum cymba vel navi currente præceps veheretur Paulinus, in aquam minxerat non sine quodam periculo, utpote qui, vi subita excussus, in undam facile delabi posset. Hunc igitur idem tentare volentem dissuadet Martialis, ne e Paulino Palinurus fiat. *Palinurus* quidem nomen est gubernatoris illius, qui, somno oppressus, e navi Æneæ in mare lapsus periit; sed eadem vox *Palinurus* significat

*iterum meiens* (πάλιν, rursus; οὐρεῖν, meiere); in hac ambiguitate jocatur Noster, dicens : Cave ne sis *Palinurus*, id est, ne sis *iterum meiens*; et cave ne sis *Palinurus*, id est, ne in aquam decidas, ut *Palinurus*. Vid. Virg. Æn. lib. V, v. 850; Turneb. lib. IV, cap. 19. Ed.

— In hoc epigrammate nulla est omnino lectionum varietas in libris calamo exaratis, aut prælo typographico excusis.

## LXXIX.

AD SERTORIUM.\*

REM peragit nullam Sertorius, inchoat omnes.  
Hunc ego, quum futuit, non puto perficere.

\* Et hic nihil variant aut membranæ, aut exemplaria impressa.

1. *Perficere*. Festive Sertorium irridet, qui quum omnia inchoaret, nihil tamen perficiebat, quod ut

augeat usque ad summum, ait se non putare, Sertorium perficere rem quam ipsa natura non patitur imperfectam relinqui. Vid. lib. I, epigr. XLVII. *Ramires*.

## LXXX.

AD APICIUM.\*

DE nullo quereris, nulli maledicis, Apici:  
Rumor ait, linguæ te tamen esse malæ.

\* Fellatorem Apicium perstrin-  
git, qui linguæ malæ erat etiam ta-  
cens.

— Neque in hoc epigrammate  
quidquam variant scripti, aut im-  
pressi libri.

1. *Maledicis*. Lib. II, epigr. LXI,  
eodem vitio notat maledicum.

2. *Rumor ait*, etc. Lib. II, epigr.  
LXXII, v. 1. — *Linguæ malæ*. Ad  
quod alludit Minutius Felix in Oct.  
« Apud quos tota impudicitia vo-  
catur urbanitas; qui medios viros  
lambunt, etc. homines malæ lin-  
guæ, etiamsi tacerent. » Sic *μακρή*  
*γλώσσα* Græcis, maledica. *Herald*.

## LXXXI.

IN BÆTICUM.

QUID cum fœmineo tibi, Bætice Galle, barathro?  
Hæc debet medios lambere lingua viros.  
Abscissa est quare Samia tibi mentula testa,  
Si tibi tam gratus, Bætice, cunnus erat?

1. *Quid*. Insectatur Bæticum,  
quem fellantem epigr. LXXVII supr.  
reprehenderat. At nunc cunnilingu-  
um eundem carpit, mirans illum  
sibi virilia exsecuisse femineæ par-  
tis amatorem. ED. — *Galle*. Qui  
sacerdos es Cybeles eviratus. —  
*Barathro*. αἰδούσιον.

2. *Medios*, etc. Vid. lib. II, epigr.  
LXI, vs. 2.

3. *Abscissa est quare* margini ad-  
scriptum habet nos penes Juntina.  
— *Abscissa*, etc. Vid. lib. II, epigr.

XLV; Plinius, lib. XXXV, cap. 12.  
— *Samia testa*. Samos, nota insula  
in Ionio mari in qua Juno coleba-  
tur, quod in ea nata, educata et  
Jovi nupta fuerit; huic tamen an-  
teponebat dea Carthaginem. Virg.  
Æn. lib. 1, v. 15: « Quam Juno  
fertur terris magis omnibus unam  
Posthabita coluisse Samo. » In ea  
fiebant vasa fictilia quæ Samia vo-  
cabantur, quibus amputabant sibi  
virilitatem Galli. Videatur Catul-  
lus, in Aty, ep. 64.

Castrandum caput est : nam sis licet inguine Gallus, 5  
 Sacra tamen Cybeles decipis : ore vir es.

5. *Castrandum*, etc. Es enim impuri oris et malæ linguæ. — *tamen Cybeles decipis ore, vir es.* — *Cybeles decipis*, etc. Sic lib. XI, epigr. LXII : « Mœchus ore Manneius. »
6. Hic versus male interpungitur in omnibus fere edd. vett. *Sacra*

## LXXXII.

IN ZOILUM.\*

CONVIVA quisquis Zoili potest esse,  
 Summœnianas cœnet inter uxores,  
 Curtaque Ledæ sobrius bibat testa :  
 Hoc esse levius puriusque contendo.  
 Jacet occupato galbinatus in lecto : 5

\* Describit Martialis quo fastu utatur in convivis excipiendis fellator quidam Zoilus, homo superbe mollis, ac divitiis insultans, qualem Trimalcionem suum describit Petronius. Imaginem fere similem habes apud Athenæum, lib. VI, in Paphii regis adolescentuli descriptione.

2. *Summœnianas cœnet inter uxores.* Scilicet inter meretrices, quæ in lupanari prostabant, in eo loco qui Summœnianum dicebatur, ut sup. lib. I, epigr. xxxv, v. 6 : « Raraque Summœni fornice rima patet », quas irrisorie appellat uxores, sicut lib. XII, epigr. xxxii, v. 22 : « Summœnianæ qua pilantur uxores. » *Ramires.*

3. *Curta.* Mutilata. — *Ledæ.* Meretricis. — *Sobrius.* Quod majoris est turpitudinis, quam si ebrius

faceret, ut sup. epigr. xvi : « Ebrius es, nec enim faceres hæc sobrius unquam. » — *Testa.* Calices quoutebantur ad impurum usum meretrices. Vid. lib. I, epigr. xciii, versu 6.

4. *Pulmannus : puriusque contendi.* — *Hoc esse levius*, etc. Cœnare apud Summœnianas lupas.

5. *Jacet occupato galbinatus codex Vat. galba natus* in nonnullis vett. — *Occupato.* Quem ipse jam occupat, antequam cæteri sederent; iis etiam qui nondum venerant, non exspectatis. — Alii intelligunt: quem totum ipse solus occupat; ut ait Juvenalis de lectica Mathonis, quæ erat « Plena ipso ». Sed hunc sensum putavimus rejiciendum, quum versu sequenti dicat Poeta « Cubitisque trudit hinc et inde convivas; quod non faceret, si solus

Cubitisque trudit hinc et inde convivas,  
 Effultus ostro, sericisque pulvinis.  
 Stat exoletus, suggeritque ructanti  
 Pinnas rubentes, cuspidisque lentisci;  
 Et æstuanti tenue ventilat frigus  
 Supina prasino concubina flabello;  
 Fugatque muscas myrtea puer virga.  
 Percurrit agili corpus arte tractatrix,

10

recubaret ». Ed. — Forsan sic intelligendum : In lecto quem superbe primus ipse conscendit, atque ita sibi vindicat, ut non justam partem vicinis secum recumbentibus relinquat : *occupare* enim est latine *præripere*, et quasi *vi expugnare*. Ed. — *Galbinatus*. Galbinis indutus. Galbinum vel galbanum genus est vestimenti delicatioris, albi et sublucidi, quod nullos habet pilos. Juven. Sat. II, 9 : « Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa. » Vide lib. I, epigr. xcvi, versum 9.

6. *Cubitis trudit* in edd. vett. *Cubitisque tundit* codex Pulmanni. Nostram lectionem exhibet Beverlandi MS. — *Cubitisque trudit hinc et inde convivas*. Sic erat in medio honoratori loco quem occupaverat inciviliter; et nolebat a convivis tangi, vel ut laxius recumberet, vel ne pretiosæ vestes a vicinis tenerentur.

7. *Ostro, sericisqæ, etc.* Id est, pulvinis sericis et ostro tinctis. Ed.

8. Beverlandi MS. *suggestitque ructanti*. — *Stat*. Ministri et pocillatores *stare* dicuntur. Pocillatores exquisita forma conquirebant Antiqui. — *Exoletus*. Puerum intellige a deliciis sui domini. Vid. lib. IV, epigr. lxxvi, vs. 9 et 10. — *Sugge-*

*ritque ructanti*. — Pinna in os immissa exonerare stomachum solebant hi helluones. Sueton. in Claud. cap. xxxiii : « Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, et ut statim supino ac per somnum hianti pinna in os indertur, ad exonerandum stomachum : » Quæ consuetudo ei exitium attulit, ut narrat Tacitus, extrem. lib. XII Annalium. « Igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur, sprete præsentium invidia, prævisam jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille tanquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur. » Spectabat igitur exoletus ructus Zoili, ut hianti ore pinnas ingereret. *Ramires*.

9. *Spinæ rubentes* Beverl. MS. — *Pinnae rubentes*. Phœnicopteri pennas in hoc negotium adhibuisse videtur. Vid. supr. epigr. lviii, vs. 14, et lib. XIII, epigr. lxxi. — *Cuspidisque*, etc. *Dentiscalpia*, lib. XIV, epigr. xxii.

11. *Prasino flabello*, etc. Viridi.

12. *Myrtea virga*. Indicium libidinis : Veneri enim sacra.

13. *Percurrit habili corpus arte palpatrix* Juntina nostra in margine. — *Tractatrix*. Molles enim Veterum deliciæ eo processerant, ut



Manumque doctam spargit omnibus membris  
 Digiti crepantis signa novit eunuchus, 15  
 Et delicatæ suscitator urinæ  
 Domini bibentis ebrium regit penem.  
 At ipse retro flexus ad pedum turbam,  
 Inter catellas anserum exta lambentes  
 Partitur apri glandulas palæstritis, 20  
 Et concubino turturum nates donat :  
 Ligurumque nobis saxa quum ministrentur,  
 Vel cocta fumis musta Massilitanis;

ad fricanda membra delectationis causa, in conviviiis mares vel feminas adhiberent, qui artificio quodam membra contrectarent: Lampridius, in Heliogab. «In conviviiis exoletos maxime juxta se ponebat, eorumque attractione et tactu præcipue gaudebat.» Hi tractatores, feminæ tractatrices, dicebantur. Tractatoris meminit Seneca, in epistola 66, sub finem: «An potius optem, ut malacissandos articulos exoletis meis porrigam?» Ramiresius.

14. *Manumque dextram* Beverlandi MS. forte, *Manumque dextre*.

15. *Digiti crepantis*. Digitorum crepitu matella poscebatur, ut etiam constat ex lib. VI, epigr. LXXXIX; lib. XIV, epigr. CXIX. «Trimalcio digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.» Petron.

16. *Et delicatæ suscitator* in quibusdam vett.

18. *Pedum turbam*. Puerorum qui ad pedes stant. Epigr. XXIII supr.

19. *Anserum exta*. Quæ pinguibus farta ficis, erant Romanis in deliciis; ut et jecur. Ovidio, Fast. I: «Nec defensa juvant Capitolia, quominus anser Det jecur in lances,

Inache laute, tuas.» Vide quoque Juvenalem, sat. V; Horatium, lib. II, sat. ultima; et Nostrum, lib. XIII, epigr. LVIII. Sed Zoilus hæc catulis, velut in contemptum conviviarum, dabat.

20. Lipsius legit *Palæstritæ*, vel etiam *Palæstritis* genitiv. ut *Orestæ* et *Orestis*, et refert ad *apri* ex Varonis lib. III, cap. 13, ubi *palæstra* ostenditur esse septum in villa, ubi apri erant inclusi. Vide var. not. — *Apri glandulas*. Pars est apri juxta cervicem delicata, et callosæ materiæ. — *Palæstritis*. Palæstrita servus erat qui in palæstra oleum, pulverem et ceroma luctaturis suppeditabat. Vid. supr. epigramm. LVIII, v. 25. — Quum vero molles hic enumeret Zoili ministros, pueros exoletos, concubinas, moriones, etc. quid si intelligamus *depilatores*? Sic enim eos Persius appellat sat. IV, vs. 39: «Quinque Palæstritæ licet hæc plantaria vellant.»

23. *Massilianis* in edd. vett. Vid. Vitruv. X, cap. ultim. Adde IV, 36; XIII, 120; et XIV, 116. Cagnerius legendum contendit *Massilianis*. — *Vel cocta fumis musta*

Opimianum morionibus nectar  
 Crystallinisque myrrhinisque propinat. 25  
 Et Cosmianis ipse fusus ampullis,  
 Non erubescit murice aureo nobis  
 Dividere mœchæ pauperis capillare.  
 Septunce multo deinde perditus stertit :  
 Nos accubamus, et, silentium ronchis 30

*Massilitanis.* Id est, vina Massilitana fumo maturata; vina enim asperiora fumo maturabantur, Horat. lib. III, od. 8: « Amphoræ fumum bibere institutæ Consule Tullo. » Columella, lib. I, cap. 6: « Apothecæ recte superponentur his locis; inde plerumque fumus earum exoritur, quoniam vina celerius vetustescunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt. » Quod insaluberrimum esse testatur Plin. lib. XXIII, cap. 1. Vid. lib. X, epigr. xxxvi, v. 1; lib. XII, epigr. lxxxiv, v. 11; et lib. XIII, epigr. cxxiii.

24. *Opimianum.* Vid. lib. I, epigramm. xxvii, v. 7; et lib. II, epigr. xl, v. 5.

25. *Crystallinisque myrtinisque mendose* in Beverlandi MS. *Murrheisque* Juntina nostra in margine. *Myrrhina*, *murrhea*, *murrea*, *myrrhea*, sive vasa, sive pocula. Quibusdam *myrrha* videtur esse crystallum, a quo tamen h. l. et apud Plin. XXXVII, 2, Juven. VI, 155, 156, et Senec. epist. ult. distinguitur; aliis porcellana Sinica; aliis onyx, species marmoris, non gemmæ. Vid. Interpp. ad Propert. III, 10, 22; IV, 5, 26; Senec. Benef. VII, 9, et epist. ult. Juvenal. VII, 133, et l. c. Plin. l. c. et XXVII, 2; XXXVII, 12; Sueton. Aug. 71;

Stat. Theb. I, 330. Adde Ernesti Archæol. Liter. P. I, c. 3, § 7; et Salmas. Exercit. Plin. p. 1063. — *Crystallinisque myrrhinisque*, etc. Poculis, lib. XIII, epigr. cxi et cxiii.

26. In Beverlandi MS. *fuscis*. — *Cosmianis.* Cosmus ille myropola, de quo jam multa mentio incidit, ampullas quasdam invenerat vendebatque, quæ ejus nomine Cosmianæ vocabantur, ut patet ex lib. XIV epigr. cx. Unguenta in iis servata, et quæ aliquando bibebantur (vid. idem epigr.), exhauserat in se unguendo Zoilus. Ed. — *Fusus.* Perfusus, delibutus. — *Ampullis.* Ampulla, vitreum vas rotundum: sed hic largam innuit copiam unguenti a Zoilo adhibiti, dum parce contra convivis daret vile unguentum, sicut satis apparet ex versu sequenti. Ed.

27. *Murice aureo.* *Murex aureus* concha erat vel aurata, vel ex auro facta, qua unguentum parce sumebatur. Horat. II, od. 7: « Funde capacibus Unguenta de conchis. »

28. In Beverlandi MS. *capitale*. — *Capillare.* Unguentum ad capillos unguendos, quali utebantur vel pauperrimæ mœchæ.

29. *Septunce multo*, etc. Multis cyathis septem sextarii partes capientibus. — *Perditus.* Sepultus.

Præstare jussi, nutibus propinamus.  
 Hos Malchionis patimur improbi fastus;  
 Nec vindicare, Rufe, possumus; fellat.

31. *Nutibus propinamus.* Non pro-  
 lato ejus nomine cui propinamus;  
 sed nutibus invicem. Attamen mos  
 erat nominare hunc cui propina-  
 batur. Vid. lib. II, epigr. xv.

32. *Malchionis.* Hoc est, effe-  
 minati: nomen fictum a *μαλαχὸς*,  
*mollis*. Forsan ut uno ictu pingat  
 superbos fastus et insulsam impo-  
 tentiam Zoili, eum hinc designat  
 nomine famoso Trimalchionis Pe-  
 tronii, quod una syllaba deminuit,  
 credo, ut metro satisficiat. Ed.

33. Scriverius, auctore Joseph.  
 Scaligero, scripsit: *Nec vindicare*,

*Rufe, possumus? fellas*; h. e. ineptis;  
 stultos quippe vocabant homines  
*spurco ore*. — *Nec vindicare.* Etenim  
 impuri hominis osvalde timendum.  
 Se potest vindicare Posthumum  
 imitando, id est, basiationes invitis  
 ingerendo. Vid. lib. II, epigr. xxxiii.  
 Vel etiam alterum sensum intellige  
 ex epigr. xcviij infr. scilicet: mor-  
 dicus appetere mentulam potest, ad  
 ulciscendum. Malo explicare: Ho-  
 minis spurci impuræ et fœtidæ ba-  
 siationes, quas volenti nolenti dare  
 potest per amicitiae simulationem,  
 sunt timendæ. Ed.

## LXXXIII.

IN COCLITEM.\*

UT faciam breviora mones Epigrammata, Cocles.  
 Fac mihi, quod Chione: non potui brevius.

\* *Ad Cordum* inscribitur in cod.  
 Pulmanni.

1. *Corde*, in eodem codice.

2. In quibusdam *non potuit bre-  
 vius*, quod Calderinus interpret.  
 Non potuit dicere tibi ut des, etc.

— *Fac mihi*, etc. Vide quam te  
 utar brevitatis magistro; nec potui  
 paucioribus verbis notare te vitio  
 fellandi, quam conferendo te cum  
 Chione. Infr. epigramm. lxxxvii et  
 xcviij.

## LXXXIV.

IN TONGILIONEM.\*

QUID narrat tua mœcha? non puellam  
Dixi, Tongilion : quid ergo? linguam.

\* Vocat Tongilionis linguam *mœcham*, quod is ore mœchus esset; percontatur ergo quid narret ejus mœcha : ex hac interrogatione poterat quis existimare Tongilionem puellam habere quacum mœcharetur. Corrigit statim, non dico puellam, sed linguam. *Ramires*.

2. In quibusdam vett. *lingam* pro *linguam*, quod vitium esse typographiæ credit Cagnerius. Hoc tamen servant Junius, Langius, et

alii. — *Linguam*. Quæ λείγουσα καὶ μύζουσα, patitur quod mœcha. Sic lib. XI, epigramm. LXII: « Mœchus ore Manneius. » Id verbum etiam *narrat* linguæ impuritatem innuit. Vel per *linguam* innuit puellam istam adeo fuisse loquacem, ut *lingua* dici mereatur; aut linguam instar canis Appulæ, et quidem sipientis ubique et semper linguam exserentis. Probanda nobis videtur prior explicatio. ED.

## LXXXV.

AD MARITUM.\*

QUIS tibi persuasit nares abscindere mœcho?  
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.  
Stulte, quid egisti? nihil hic tua perdidit uxor,  
Quum sit salva sui mentula Deiphobi.

\* Ejusdem argumenti vide, lib. II, epigramma LXXXIII.

1. *Abscindere mœcho*. Quem castrare debuit. Vide lib. II, ep. LX.

4. *Quum sit salva tibi* in Ald. Junt. Colin. aliisque vett. — *Sui Deiphobi*. Alludit Poeta, ut aiunt

interpretes, ad illum Virgilii locum, *Æneid.* VI, v. 494, quo Deiphobus naribus truncatis describitur : « Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares. »

## LXXXVI.

AD CASTAM MATRONAM.\*

NE legeres partem lascivi, casta, libelli,  
 Prædixi et monui: tu tamen, ecce, legis.  
 Sed si Panniculum, si spectas, casta, Latinum,  
 Non sunt hæc mimis improbiora: lege.

\* Jusserat, supr. epigr. LXVIII, ne matrona casta ab eo epigrammata sequentia legeret, sed prædixerat futurum, ut totum librum studiosa legeret. Nunc autem id exitum dicit comprobasse; sed tamen quum mimos lascivos spectet, non inhonestius legere potest hosce versus. *Ramires.*

1. *Nec legeres* Beverlandi MS.  
 2. *Prædixi* in eodem. *Tu tamen usque legis* adscriptum margini habet nos penes Juntina.  
 3. *Sed si Panniculum.* Latinus et Panniculus mimi in Comædiis petulanter lasciviebant. De his lib. I, epigr. v, vs. 5; et lib. II, epigr. LXXXII, vs. 4.

## LXXXVII.

IN CHIONEM.\*

NARRAT te rumor, Chione, nunquam esse fututam,  
 Atque nihil cunno purius esse tuo.  
 Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris.  
 Si pudor est, transfer subligar in faciem.

\* In hujus epigrammatis lectione nulla est varietas in exemplaribus scriptis aut typis excusis.

1. *Narrat te.* Fellatricem Chionem reprehendit, quod tecta pudenda parte corporis lavaretur, quum tamen illa non peccasset, monetque ut velamen transferat ad os, quo peccaverat. *Ramires.* Modo epigr. LXXXIII. — *Rumor.* Lib. II,

epigr. LXXXII; et sup. epigr. LXXXIX.

3. *Tecta tamen non hac,* etc. Si subligari tegas inferiora præ pudore, cur non potius os tegis? namque hac parte *rumor* est te peccare *μύζουριν*. In voce *rumor* latet ulcus Paronomasticon.

4. *Si pudor est.* Si facis præ pudore. — *Transfer subligar in faciem.* Ut contegat os impurum.

LXXXVIII.

IN FRATRES FELLATORES.\*

SUNT gemini fratres, diversa sed inguina lingunt.  
Dicite, dissimiles sint magis, an similes?

\* In hoc quoque epigrammate nulla deprehenditur lectionis varietas aut in libris manu exaratis, aut typis impressis.

1. *Diversa, sed, etc.* Ὁ μὲν τὰ τῆς γυναικὸς λείχει, ὁ δὲ τὰ τοῦ ἀνδρὸς μύζει. Vid. Plinius, lib. VII, cap. 12.

LXXXIX.

AD PHOEBUM.\*

UTERE lactucis, et mollibus utere malvis :  
Nam faciem, durum, Phœbe, cacantis habes.

\* Et in hoc epigrammate exhibendo non variant exemplaria scripta, aut excusa.

1. *Utere lactucis.* Lactuæ et malvæ utiles sunt ad solvendum ventrem pigrum. Vide lib. XI, epigr. LIII, vs. 5.

2. *Nam faciem.* Phœbi jam meminit lib. I, epigr. LXXXVII. Similis jocus est apud Suetonium in Vespasiano, cap. 20 : « Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis, etc. » Vid. et lib. X, epigr. XLVIII.

XC.

DE GALLA.\*

VULT, non vult dare Galla mihi : nec dicere possum,  
Quod vult, et non vult, quid sibi Galla velit.

\* Epigramma est in Gallam deformem, fortasse et anum, quæ volebat dare (sui copiam) nec volebat dare (pecuniam). Lib. VII, epigr. LXXIV : « Vis futui gratis, quum sis deformis, anusque, Res

perridicula est ; vis dare, nec dare vis. » Vide etiam an hoc ex inconstantia Gallæ, ut lib. II, epigr. xxv.

— Et hic nulla lectionis varietas reperienda est in codd. aut exemplaribus impressis.

## XCI.

DE MISITIO, ET ACHILLA. \*

QUUM peteret patriæ Misitius arva Ravennæ,  
 Semiviro Cybeles cum grege junxit iter.  
 Huic comes hærebat domini fugitivus Achilles,  
 Insignis forma nequitiaque puer.  
 Hoc steriles sensere viri : qua parte cubaret,  
 Quærun<sup>5</sup>; sed tacitos sensit et ille dolos.  
 Mentitur, credunt : somni post vina petuntur :  
 Continuo ferrum noxia turba rapit;

\* Continet hoc epigramma narrationem de sene Misitio, qui quodam errore a Cybeles sacerdotibus exsectus est, dum putant se servulum Achillam, formosum puerum, qui una cum sene jacebat in lecto, excidere. *Ramires*.

1. Sic Gronovius de hoc primo versu : Legendum puto *missicius*; nec proprium, sed commune vocabulum est. *Missicius*, qui exauctoratus est, qui missionem accepit. Suet. Nerone : « Agnitus est a quodam missicio prætoriano. » Quod etiam male intelligebatur, antequam Salmasius explicaret. — *Ravennæ*. Ravenna, aliter Æmiliæ, nunc Romandiolæ caput, oppidum est Italiæ maritimum in intimo sinu Adriatico. Vide supr. epigr. LVI, versum primum.

2. *Semiviro*. Sacerdotibus Cybeles eviratis, Gallis.

3. *Achilles* legit Douza, quod eo nomine formosos pueros a poculis nominasse Veteres e Luciano constet. Vide lib. VII, epigr. LVII. —

*Huic*. Scilicet Misitio. — *Domini fugitivus*. Servus qui fugerat a domino et Misitium senem sequebatur. — *Achillas*. Vid. lib. VII, epigr. LVII.

5. *Steriles*, etc. Galli sacerdotes castrati. — *Qua parte cubaret Quærun<sup>5</sup>*. Quum Achilles in eodem lecto cum Misitio recubare soleret, sciscitantur Galli, qua in parte lecti, utrum in sponda, an in pluteo, dormiret, per somnum eum aggressuri et similem sibi facturi. Ed.

6. *Sed tacitos sensit*, etc. Sed puer eorum mentem intellexit.

7. *Mentitur*, etc. Dicit se in alia parte lecti, quam qua dormiebat, dormiturum, in spondæ scilicet parte.

8. *Juntina nostra in margine testam pro ferrum*. At vide quæ diximus ad lib. II, epigr. XLV. — *Continuo ferrum*. Posuit ferrum pro Samia testa, seu cultro ex terra Samia, quo Sacerdotes illi exsecabant mares, epigr. LXXXI, v. 3. supr. lib. II, epigr. XLV.

Exciduntque senem, spondæ qui parte jacebat;  
 Namque puer pluteo vindice tutus erat. 10  
 Suppositam, fama est, quondam pro virgine cervam;  
 At nunc pro cervo mentula supposita est.

9. *Cum parte inest Beverlandi MS.*

10. *Namque puer pluteo.* Lecti duo erant latera, exterius *sponda* vocabatur, interius vero, versus parietem, *pluteus* dicebatur. Achilles vero Gallis dixerat parte spondæ cubiturum se, quum in pluteo esset dormiturus tutus ab illorum injuria.

11. *Quondam fama est Beverlandi MS.*—*Pro virgine cervam.* Notissima est historia Iphigeniæ, quam in Aulide immolare pater Agamemnon parabat, quum a Diana fuit raptâ, et ejus loco cerva supposita, quam Græci duces pro Iphigenia immolarunt. Ovidio, *Metam.* XII: «*Supposita fertur mutasse Mycenida cerva.*»

12. *At nunc pro puero,* in edd. vett. — *Cervo.* Cervi a pedum velocitate dicebantur servi nequam et fugitivi, qualis fuit hic Achilles. Vide *Pet. Crinitum*, lib. XIX, de *Honest. Discipl.* cap. 8; et *Lud. Cælium*, lib. XIII, cap. 15. — Quum autem editiones veteres habeant *pro puero*, ego sic legerem cum *Ramiresio* libenter: antithesi salva inter *virgine* et *puero*. *Ed.* — *Pro cervo.* Servos Antiqui appellarunt *cervos*; *Festus* in voce *servorum dies*. Alii legunt *pro puero*. Sed prior lectio videtur melior, propter similitudinem cum præcedenti versu. Non mirarer mentem Nostri fuisse simpliciter *servo*; hinc tantum feriente aures ambiguitate. *Ed.*

## XCII.

AD GALLUM.

UT patiar mœchum, rogat uxor, Galle; sed unum:  
 Huic ego, non oculos eruo, Galle, duos?

1. *Pulmanni codex* habet, *rogat uxor Galla.* Cæterum male interpungitur in edd. vett. *sed unum Huic ego, non oculos eruo, Galle, duos.* — *Ut patiar,* etc. De more sæculi. *Seneca*, de *Benef.* lib. III, cap. 16: «*Infrunita et antiqua est, quæ nesciat matrimonium vocari unius adulterium.*» *Heraldus.* Sic

videbatur uxor petere quasi honesta, quum unicum adulterum peteret, quod erat veluti matrimonium. *Ramires.* — *Mæchum unum.* Vid. lib. VI, epigr. xc, ubi eadem fere antithesis.

2. *Oculos duos.* Vid. lib. I, epigramm. xciii, v. 12. Ludit autem in auxesi ab uno ad duos.



## XCIII.

IN VETUSTILLAM.\*

QUUM tibi trecenti consules, Vetustilla,  
 Et tres capilli, quatuorque sint dentes,  
 Pectus cicadæ, crusculumque formicæ;  
 Rugosiolem quum geras stola frontem,  
 Et araneorum cassibus pares mammas;  
 Quum comparata rictibus tuis ora  
 Niliacus habeat crocodilus angusta,

\* Est invectiva in Vetustillam, seu ut alii legunt Vetustinam quamdam, cujus nomen a vetustate deducit, quæ in extrema senectute virum quærebat; estque totum id epigramma hyperbolicum, ut moris est huic poetæ. *Ramires.*

— In *Vetustinam* inscribitur in edd. vett. *De Vetustilla* in codice Thuan.

1. *Vetustina* in iisdem vett. Lectionem nostram attestatur codex Thuan. — *Quum tibi*, etc. Id est, quum numeres 300 vel saltem 150 annos ætatis; namque Romanis annorum computatio erat a pari consulum pro singulis annis creato. — *Trecenti consules.* Dictum hyperbolicè, ut pleraque hujus epigrammatis.

2. *Et tres capilli*, etc. Vide lib. I, epigr. xx; lib. II, epigr. xli, vs. 7; et lib. XII, epigr. vii.

3. Gruterus legit, *crus colorque formicæ*; quod exhibet etiam Beverlandi MS. Vide supra, lib. I, epigr. xcvi. — *Crusculum.* Crus pusillum.

4. *Rugosiolem quum geras*, etc. matronarum stola seu vestis exterior in multas plicas rugabatur.

5. *Araneorum cassibus pares*, etc. Id est, flaccidas, pannosasque, ut tela aranæ quæ mollis pendet, et impulsioni levissimæ cedit.

6. *Quum comparata rictibus tuis ora.* Mira hyperboles audacia. Enim vero rictus est crocodilo, os Vetustillæ; sed quum hoc macilentum, extendatur in deformem latitudinem, transponit rerum vocabula Martialis, et os crocodili angustius rictu Vetustillæ ait. ED.

7. *Niliacus habeat crocodilus* in vet. codice Regio apud Gudium, quem vide ad Phædrum, I, 25, 4. Sic scribitur in cod. vet. Cic. Tusc. Quæst. lib. V, 27, qui exstat in Biblioth. Reg. Paris. in cod. Neapol. Plin. VIII, 3; in antiq. Gloss. Divonens. septingentis annis vetustioribus, apud ampliss. senatorem *De la Mare*; et in alio vetustissimo Gloss. Longobardicis literis exarato, quem olim Jacob. Mentelius cum Gudio communicavit.

Meliusque ranæ garriant Ravennates,  
 Et Adrianus dulcius culex cantet,  
 Videasque quantum noctuæ vident mane, 10  
 Et illud oleas, quod viri capellarum,  
 Et anatis habeas orropygium macræ,  
 Senemque Cynicum vincat osseus cunnus;  
 Quum te lucerna balneator extincta  
 Admittat inter bustuarias mœchas; 15  
 Quum bruma mensem sit tibi per Augustum,  
 Regelare nec te pestilentia possit:

8. *Ranæ garriant Ravennates.* Raucum coaxantes in paludibus quibus madet Ravenna, ut diximus supr. epigr. lvi. Sidon. lib. I, ep. 8: « Ita tamen quod te Ravennæ felicius exsultantem.... municipalium ranarum loquax turba circumstilit. »

9. *Et Adrianus codex Thuan. Et Hadrianus codex Vat. — Adrianus.* Sive culex ad litora maris Adriatici circumstrepens; sive in Adria, quæ Romanorum colonia est in Piceno. Plin. lib. III, cap. 13.

10. *Videasque.* Et oculorum aciem tam hebetem habeas ut oculis noctuæ nocturnæ volucris, solem fugientis, comparari apte possint tui oculi. ED.

11. *Viri capellarum.* Hirci. Vide lib. IV, IV, 4; et lib. XIV, cXL. Virg. Ecl. III, 8. Horat. Serm. I, II, v. 27.

12. In edd. vett. *uropygium*; in codicibus Thuan. et Vaticano, *ortopygium*. — *Orropygium.* ὀρροπύγιον seu ὀρροπύγιον est extremitas illa vertebræ podici proxima, gallice, *le croupion*. Vide infr. epigramm. xcviII. — *Anatis orropygium macræ.* In macris avibus eminentior est illa pars; in pinguibus, sebo et pinguedine rotundatur.

13. *Senemque Cynicum vincat.* Scilicet macie et squalore; sordidam Cynici imaginem depinxit Martialis, lib. IV, epigr. lIII. ED.

14. *Quum te lucerna*, etc. Vulgaria atque diabolaria scorta inter busta et monumenta, pæneque in propatulo prostantia, inde bustuariae mœchæ vocabantur, ut diximus lib. I, epigr. xxxv, 8. Vid. Turneb. lib. XIII, cap. 19. Vilissimæ illæ meretrices et ad balnea aliquando quæstus vel aucupii causa se conferebant, ut constat ex Lampridio et Ammiano Marcellino. Corrupto igitur donis balneatore, hæc vetula intrabat cum bustuariis mœchis, quæ extinctis tantum lucernis, ne internosci possent, admittebantur.

16. *Quum bruma*, etc. Quum eo usque tibi extinctus sit naturalis calor, ut vel anni parte calidissima frigeas.

17. *Possis* in Beverlandi MS. — *Regelare nec te pestilentia possit.* Vel intellige mensem pestilentem Augustum, vel ipsam pestilentiam qui morbus est ardentissimus. Senes autem, quum pigri sint, minus hoc morbo uruntur. Sic Seneca, ep. 68: « Jam ætas mea contenta

Gaudes ducentas nupturire post mortes,  
 Virumque demens cineribus tuis quæris  
 Prurire. Quid, sarrire si velit saxum? 20  
 Quis conjugem, quis te vocabit uxorem,  
 Philomelus aviam quam vocaverat nuper?  
 Quod si cadaver exigis tuum scalpi;  
 Sternatur a Coricle clinico lectus,  
 Thalassionem qui tuum decet solus, 25

est suo frigore, vix media regelatur æstate. » Et Juven. sat. X, v. 218 : « Febre calet sola. »

18. In edd. vett. *Gaudes ducentas nuptum ire post mortes*; in aliis, *Gaudes ducentas nuptum iri*, etc. Pulman. conj. *Gaudes ducentas ire nuptum*; at sic est in Ald. 1550: *nupturire* vetus codex Cagnerii. — *Ducentas post mortes* maritorum; hyperbolice. Vid. lib. IX, epigr. LXXVI.

19. *Virumque demens*, etc. Maritum quæris qui pruriat in te, quæ jam nihil aliud es quam cadaver, vel cinis.

20. *Quid sarrire*. Qui vellet saxum sarrire non magis operam perderet quam qui vellet te, saxeam exercere. Vid. epigr. xxxii supr. vs. 4. *Sarrire* proprie est sarculis humum fodere, quum nempe ab infelicibus et noxiis herbis leviter scalpendo purgantur segetes.

21. Thuan. et Vatic. *te quis vocabit*.

22. *Philomelus aviam*, etc. Et ipse senex, quem maritorum supremum extulisti.

24. *Sternatur a Coride in triclinio* in quibusdam vett. probante Musambertio: *Sternatur Acoride triclinio* in Ald. Junt. atque Colin. *Sternatur*

*Achori de triclinio* legit Cagnerius. Nostram lectionem servat editio Gryph. Vide Joseph. Scalig. *Ausoniar. Lect. lib. II, cap. 4*. De permutatione *cl* et *d* jam diximus ad lib. I, epigr. xcix. *Sternatur a Coriole triclinio* ex antiquis codd. profert Musambertius. — *Sternatur a Coricle*. Tibi nubere volenti non genialis lectus, sed feretrum vel sandapila paranda est, imo lectus ubi mortui in atris, pedibus ad fores porrectis locabantur, ut inde simul cum ipso lecto efferrentur et cremarentur. Vide lib. X, epigr. xcvi. Pers. sat. III, versu 103 : « Tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis, In portam rigidos calces extendit. » — *Clinico*. Id est, Vespillone quem irrisorie clinicum vocat, sicut supra, lib. I, epigrammate xxxi : « Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diulus : Cœpit quo poterat clinicus esse modo. »

25. *Thalassionem*. Carmen nuptiis solemne apud Romanos, ut Hymenæus apud Græcos. Vid. lib. I, epigr. xxxvi, vs. 6. — *Solus*. Thallassio dici solebat a multis, nempe ad nuptias vocatis : *solus* vero vespillo aptus erat qui id carmen caneret Vetustillæ. *Langius*.

Ustorque tædas præferat novæ nuptæ :  
Intrare in istum sola fax potest cunnum.

26. *Ustor*. Ustores sunt pyrarum in quibus mortui cremabantur ædificatores, et qui cadavera in ustriam conjiciebant et silicernium, hoc est, feralem cœnam custodiebant a pauperibus et mendicis, qui eas dapes in rogam conjectas semiustulatas sibi solebant rapere. Catull. epigr. LX, vs. 3: « Quam in sepulchretis Vidistis ipso de rogo

rapere cœnam. » — *Tædas præferat*. Solebant Veteres tædas præferre novis nuptis. Dicit Poeta tædas Vetustinæ esse præferendas ab ustore, aut potius faces quibus rogas incendatur.

27. *Fax*. Tæda feralis; quamquam aliquando pro nuptiali tæda, sed etiam pro Cupidinea, adhibetur a scriptoribus.

### XCIV.

IN RUFUM.\*

Esse negas coctum leporem, poscisque flagella :  
Mavis, Rufe, coquum scindere, quam leporem.

\* In *Ruffum* inscribitur in edd. vett. et in epigr. vs. 2, *Ruffe*.

1. *Esse negas*. Rufum quemdam avarum irridet Poeta, qui fingebat crudum esse leporem, ne illum scinderet, et coquum veluti iratus invadebat, et loris conscindebat.

Similis jocus est in Næviam supr. epigr. XIII.

2. *Pulmannus, coquum cœdere*. — *Mavis, Rufe, etc.* Coquum mavis scindere flagellis, quam leporem cultello scindi jubere: duplex τού scindere sensus. ED.

### XCIV.

IN NÆVOLUM.\*

NUNQUAM dicis Ave, sed reddis, Nævole, semper,

\* Nævoli cujusdam fastum et arrogantiam increpat, qui semper expectabat dum a Martiale salutaretur, nec ipse prior salutabat unquam. Comparat in multis utrum-

que, et ostendit nulla in re se Nævolo esse inferiorem; sola mollitie et turpitudine fatetur eum priorem esse. *Ramires*.

1. *Nunquam dicis, etc.* Expectas

Quod prior et corvus dicere sæpe solet.  
 Cur hoc expectes a me, rogo, Nævole, dicas?  
 Nam puto, nec melior, Nævole, nec prior es.  
 Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque,  
 Natorumque dedit jura paterna trium.  
 Ore legor multo, notumque per oppida nomen  
 Non expectato dat mihi fama rogo.  
 Est et in hoc aliquid: vidit me Roma tribunum,

dum te prior salutem, quasi esset alienum a tua dignitate prius compellare alios et salutare. — *Sed reddis.* Priorem salutare contentis erat se inferiorem esse salutato; reddere autem, vel resalutare erat superioris. Vid. lib. IV, epigram. LXXXIV, in eundem Nævolum; vid. et lib. X, epigr. LXX, vs. 5, in quo *resalutantes* intelligit potentes et fastuosos: *Ramiresius*. Non tamen erat superior Martiali Nævulus, ut infra probabit. ED.

2. *Quod prior et Curius* edd. vett. quasi per synecd. Curium poneret pro quovis nobili et gravi viro. — *Quod prior et corvus*, etc. Licet corvi ipsi, voces humanas docti, salutem dicant. Notissima est historia corvi qui Augustum salutavit. Vide Macrob. Saturn. lib. II, cap. 4. — Alii legunt *Curius*; tum sensus est: Quum Curius ipse vir prisca et insigni nobilitate, prior alios salutet. Sic per synecdochen ponitur Curius pro quolibet gravi et egregio viro; multi, modestiæ vel benevolentis causa salutationem antevertebant, ut ille Philippus apud Horatium, lib. I, epist. 7, qui Menam prætorem prior salutavit: « Vulteium mane Philippus Viliavendentem tunicato scruta

popello Occupat, et salvere jubet prior. »

3. *Cur hoc expectas* legunt alii.

4. *Prior.* Nobilior, insignior.

5. *Præmia.* Quæ sint hæc præmia ejus poeticæ laudi assignata infra dicet, scilicet, jus trium liberorum, titulum tribuni et equitis honorarium, denique creatos cives in ejus gratiam ab imperatoribus. *Uterque.* Titus et Domitianus.

6. *Natorumque dedit*, etc. Vide lib. II, epigr. xci et xcii.

8. *Non expectato.* Mihi vivo et sentienti. Vid. lib. I, epigr. II, et multa alia passim.

9. *Est et in hoc aliquid.* Jam hæc omnia me tibi superiorem præstant, sed sunt et alia, scilicet, etc. ED. — *Tribunum.* Tribuni militares inter primos militiæ ductores censebantur; ita vocati sunt quia e primis tribubus olim lecti fuerunt. Præerant toti legioni per vices, erant vulgo seni in unaquaque legione; jus dicebant militibus, signum dabant excubiis, etc. Præter illos veros et legitimos tribunos, alii erant tribuni nomine tenus, et honoris gratia, qui licet nunquam vidissent castra, iisdem tamen atque veri tribuni juribus ac privilegiis gaudebant, principis beneficio.

Et sedeo qua te suscitatur Oceanus. 10  
 Quot mihi Cæsareo facti sunt munere cives,  
 Nec famulos totidem suspicor esse tibi.  
 Sed pædicaris ; sed pulchre, Nævole, ceves :  
 Jam jam sic prior es, Nævole ; vincis : Ave.

Talis idcirco Martialis noster fuit.

10. *Et sedeo qua te*, etc. Ut tribunus honorarius, sic et honorarius eques fuit Martialis, non censu et genere, sed favore principis ; et ex munere tribunitio, quo qui fungebantur intra quatuordecim gradus spectare poterant. — *Qua te suscitatur Oceanus*. Oceanus, sicut et Lectius, erant homines quorum munus erat designare suum cuique locum in theatro, et ne quis alienum occuparet providere. Nævolum ergo non equitem ex quatuordecim subselliis, ubi sedebant equites, amovissent, si ibi sedere fuisset ausus. Vid. Suet. in Augusto, cap. 14 ; et Nostrum, lib. V, epigram. xxxv, vs. 5 ; lib. V, epigr. xiv ; lib.

VI, epigr. ix. — *Suscitatur*. Verbum est theatrale : hoc est, quodam loco amovet. ED.

11. *Quot mihi Cæsareo*, etc. Invenit a se impetratum esse multis, a Cæsaribus jus civitatis, ut Plinius impetravit multis ; quod constat ex toto libro X Epistolarum.

12. *Nec famulos totidem*. Non sunt totidem quos tenes in servitute, quot homines quasi donavi civitate. ED.

14. *Jam jam tu prior es* Pulmanus, aliique. — *Sic prior es*. His pulchris artibus me vincis. Alii intelligunt : Non honore prior es, sed loco, dum inclinaris ; quod qui pædicatur anterior est. — *Ave*. Ergo te prior salutabo, et quidem incipio facere dicens : *Ave*.

## XCVI.

IN GARGILIUM.

LINGIS, non futuis meam puellam :

1. *Lingis*. Gargilius quidam cunilingus jactabat se tanquam mæchum et corruptorem puellæ Martialis. Interminatur ei, si prehensus fuerit, ore ut irrumetur ; sic turpi ministerio versata tacebit lingua. Similis jocus apud Catullum in quemdam Gellium, epigr. lxxv,

vs. 5 : « Quod voluit fecit : nam quamvis irrumet ipsum Nunc patruum, verbum non faciet patruus. » *Ramiresius*. Vel sic interpretare verbum *tacebis*, quod nempe linguam sit abscissurus illi Poeta. Deprehensis enim ea pars auferebatur qua peccaverant. Rutgers. VI, c. II.

Et garris quasi mœchus, et fututor.  
Si te prendero, Gargili, tacebis.

3. *Si te prendero, Gargili in* — *Tacebis.* Obturatur enim os τοῖς  
Junt. anno 1512, et Colin. anno γλωσσοειῶσιν. Idem minatur Priapus  
1528. Proprio mœchorum verbo in obscæno carmine: « Pædicaberis  
utitur, de quo supra epigr. I, 35. irrumaberisque. » *Ramires.*

## XCVII.

AD RUFUM.\*

NE legat hunc Chione, mando tibi, Rufe, libellum.  
Carminè læsa meo est; lædere et illa potest.

\* *Ad Ruffum* inscriptio est in  
Ald. Junt. et Colin.

— Quum in hoc libro multis  
epigrammatibus insectatus est Chio-  
nem fellatricem, mandat Rufo ne  
illa hunc librum legat, quia potest  
ipsa ulcisci dentibus, quum irru-  
matur. *Ramires.*

1. Junt. habet *mendo tibi, Ruffe.*

2. Ald. Junt. Colin. et Gryph.  
*lædere et ipsa potest.* — *Carminè.*  
Supr. ep. xxxiv, lxxxiii, lxxxvii,  
ubi illam fellationis vitio notaverat.  
— *Lædere.* Mordicus enim ulcisci  
potest. Vid. epigr. lxxxi sup. versu  
ultimo.

## XCVIII.

IN SABELLUM.\*

SIT culus tibi quam macer, requiris?  
Pædicare potes, Sabelle, culo.

\* In hoc epigrammate non va-  
riant membranæ, aut libri typo-  
graphici.

2. *Pædicare potes.* Præ macie in-  
tantum prominet orropygium. Mo-  
do epigr. xciii, vs. 12.

XCIX.

AD CERDONEM.\*

IRASCI nostro non debes, cerdo, libello.  
 Ars tua, non vita est, carmine læsa meo.  
 Innocuos permitte sales. Cur ludere nobis  
 Non liceat, licuit si jugulare tibi?

\*Est epigramma in eundem illum Bononiensem sutorem, quem munerata gladiatoria edentem insectatus fuerat Noster, epigr. XVI et LIX supra: quæ excusando, magis ludos accusat et illudit. Hunc fingit subiratam ob hæc scommata, et placare tentat probando se suo jure fecisse. ED. Noli nobis irasci, cerdo, non carpsimus mores, sed vile artificium, vel potius artem gladiatoriam, licet jocati sine famæ jactura, ut lib. V, dixit: « Innocuos censura potest permittere lusus. » *Raderus.*

— Neque in hoc quidquam variant aut exemplaria scripta, aut prelo typographico excusa.

2. *Ars tua, non vita est*, etc. Sic Bolæus noster, sat. IX:

Ma muse, en l'attaquant, charitable et discrète,  
 Sait de l'homme d'honneur distinguer le poète.

ED.

3. *Cur ludere nobis*. Si enim tibi

licuit munus edere in quo gladiatores, verso pollice vulgi jugulabantur, cur mihi ludos non gladiatorios sed poeticos facere haud liceret? Juvenalis, sat. III, 34: « Quondam hi cornicines, et municipalis arenæ Perpetui comites, notæque per oppida buccæ, Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi, Quemlibet occidunt populariter. » ED. — A majori convincit Cerdonem: si tibi jugulare homines, cur nobis non liceat ludere homines, Jugulasti autem, quum munus dedisti, licet ergo ludere in corium tuum, quod item jugulasti. Videtur poeta simul respicere pelles ferarum jugularum, quas trahebat, tractabat, vellebat pro arbitrato cerdo, et alio interiore sensu homines. *Raderus.* Subtilior tamen et ex obliquo accessita nimis explicatio. ED.



## C.

AD RUFUM.\*

CURSOREM sexta tibi; Rufe, remisimus hora,  
 Carinina quem madidum nostra tulisse reor.  
 Imbribus immodicis cælum nam forte ruebat;  
 Non aliter mitti debuit iste liber.


\* Et hic nulla lectionis varietas, nisi quod ed. Schrevel. ann. 1671 habet *Ruse* pro *Rufe*, et edd. vett. non præter solitum, *Ad Ruffum*, et vs. 1, *Ruffe*.

1. *Cursorem*, seu tabellarium. De cursoribus et cursu publico, vide quæ Lipsius collegit, epist. LIX. — *Sexta hora*. Sexta post ortum solis; hoc est meridiæ. De horis supr. epigr. xxxvi; et lib. IV, epigramm. VIII.

2. *Madidum* pluvia inopinata.

4. *Non aliter mitti*. Modeste significat Poeta mala esse sua carmina, et digna quæ aqua deleantur. Sic lib. IV, epigr. x: « Curre: sed in-

structum comitetur pumice librum Spongia: muneribus convenit illa meis. » Digna carmina, quæ aqua deleantur, ut indocta, intelligi vult Domitius, inde Noster: « Vis puto cum libro, Marce, natate tuo. » Raderus contorte explicat, carmina, quæ madeant æque nequitiis, atque cælum aquis. Vide et lib. I, epigr. vi; et lib. IX, epigr. LIX, v. 8. Mollirem libenter horridulam sententiam, reputans voluisse forsitan intelligi poetam, a carminibus quibusdam suis non alienam esse undæ lotionem, qua a sædioribus spurcitiis repurgentur; in quo plurimos certe consentientes inveniet.



---

# M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM

## LIBER IV.

---

### I.

#### DE NATALI DOMITIANI.\*

CÆSARIS alma dies, et luce sacratioꝛ illa,

Ἡμερὰ Καίσαρος ἡδὺ, σεβαστὸν μᾶλλον ἐκείνου,

\* Celebrat natalem Cæsaris Domitiani diem, et hinc duo a diis precandi occasionem arripit; scilicet ut numerosior quam Nestori redeat illa dies Imperatori, utque semper felix alboque notanda lapillo redeat. ED.

1. Tentabat *Cæsaris alba dies* Ant. de Rooy; *alba*, i. e. fausta, sive albo notanda calculo, ut solebant dies fausti. Vide Lindenb. ad Censorin. I, 2. Benth. ad Horat. I, od. 36, v. 10; et IV, od. 7, 7. Conf. etiam Ovid. Trist. V, 5, 14; *alma* tamen non est temere rejicienda, quia pro sancta accipi potest. Vid. Fest. et Wopkens. ad Paulin. in Obs. misc. Dorv. tomo VIII, pag. 921.

Pulmannus *et luce sacratioꝛ omni.*—*Cæsaris alma dies.* Suet. Domitian. cap. 1 : « Domitianus natus est IX kalend. Novembris, Patre Cons. designato, inituroque mense insequenti honorem, regione Urbis sexta, ad Malum Punicum, domo quam postea in templum gentis Flaviæ convertit. » ED. — *Alma.* *Almus* ab *alendo* dicitur, et accommodatur diis et rebus, quæ vel ad generationem vel ad procreationem hominis pertinent. Sic *alma* Venus et *alma* Ceres dicitur, non *alma* Pallas aut Bellona. Quum igitur hic natalis esset dies qui edidit in lucem Domitianum, ideo dixit *alma dies.* — *Et luce sacratioꝛ illa, qua,*

Conscia Dictæum qua tulit Ida Jovem,  
 Longa, precor, Pylioque veni numerosior ævo,  
 Semper et hoc vultu, vel meliore nite.  
 Hic colat Albano Tritonida multus in auro,

5

Ἰδὴ ἐν ᾧ Δίκτης κλίτεσι φῦσε Δία,  
 Αἰῶνος Πυλίοιο πολυχρονιώτερον ἔλθοις,  
 Ταῦτό τ' αἰεὶ λάμπεις, ἢ καὶ ἀμεινότερον.  
 Χρυσῶ ὄδ' Ἀλβανῶ Τριτωνίδα συχνὰ γεραίροι,

etc. Sensus est : O dies natalis Domitiani, sacratio die illa, in qua Jovem natum excepit mons Ida conscius fraudis Cybeles, quæ Saturno pueros suos voranti hunc eripuerat! ED.

2. Edd. vett. qui tulit. — *Conscia*. Jovem clam educandum Curetibus commiserat Rhea mater, ne ex fœdere, quod Saturnus cum fratre pepigerat, devoraretur; et marito petram fasciis involutam pro filio præbuit; hujus arcani conscia erat Ida. ED. — *Dictæum*. In antrum montis Cretensis, nomine *Dicte*, secesserat Rhea paritura; hic Jovem Junonemque in lucem edidit. ED. — *Tulit Ida*. Ida tulit; id est, tulit Cybele, prope montem Idam : Ida est mons Cretæ insulæ in mari mediterraneo, contra Ægeum mare, hodie *Candie*; est et alter mons Ida in Phrygia judicio Paridis celebratus. ED. — *Conscia Dictæum qua tulit Ida Jovem*. Hic forsitan consciam Idam intelligerem non montem, sed nympham; Jupiter enim commissus fuit duabus nymphis, quæ Ida et Adreste, seu Melissæ vocabantur; tum *tulit* sumeretur pro *abstulit sibi commissum*. ED.

3. *Longa*. Intellige per longos

annos. — *Pylioque veni numerosior ævo*. Numerosior ipsi quam Nestori suus natalis. — *Pylio ævo*. Nestor, a Pylo, urbe Arcadiæ, teste Strabone, Pylius dictus, nonaginta annos vixit, secundum poetas græcos; at vero secundum Ovidium, atque alios latinos poetas, peregit trecentos annos; nam sumpserunt γενεάν, hoc est, generationem vel ætatem, pro sæculo sive centum annis, quum triginta tantum annos significet.

4. *Hoc vultu*, etc. Feliciter ut nunc, vel etiam feliciter.

5. In Edd. vet. *cultus in auro*. Pro *auro*, sunt qui malint *arvo*. Ant. de Rooy conj. *Sic colat Albano Tritonida multus in aula*; vel, *in arce*. Vide lib. IX, epigr. ciii; lib. XI, epigr. viii et Sueton. Domit. c. 4. — *Hic colat Albano*, etc. Hujus versus et sequentis hic est, ut opinor, sensus : Utinam Domitianus per multos annos celebret festa Minervæ in Albano, ipse indutus corona aurea; atque utinam per plurimos quoque annos in certaminibus a se institutis querneas coronas ipse distribuat victoribus; hoc est, diutissime vivat Domitianus, in rebus sibi gratis versatus.

Perque manus tantas plurima quercus eat.

Καὶ πλείστη τόσσας δρῦς ἀνὰ χεῖρας ἴοι.

ED. — *Albano*. Erat Albanum villa quædam, in Albano monte, non longe ab urbe sita, in qua frequentissime Domitianus versabatur. Suetonius, Domit. cap. 4: « Celebrabat et in Albano quotannis quinquatria Minervæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes et scenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina. » — *Tritonida*. Minervam, quam superstitiose Domitianus coluit. Tritonia vel Tritonis dicitur a Tritone, fluviolo Bœotiae, apud urbem Alalcomenas, ubi Minervam natam educatamque ferunt. Hinc Homerus eam Alalcomenidem appellat. — *Multus*. Intelligendum *per multos annos*, estque idem omnino sensus, qui versu sequenti exprimitur voce *plurima*. ED. — Alii tamen intelligunt *occupatus et assiduus in illa re*. — Alii legunt *cultus pro redimitus, ornatus*; vel etiam antithesin esse dicunt, Domitiano colente Minervam, et *culto ipso veluti Deo*, ut volebat; quod rejiciendum nobis videtur. ED. — *In auro*. Corona cinctus aurea, vel insignibus aureis indutus. Sueton. cap. 4: « In stadio vero cursu etiam virginum certamini præsedet crepidatus, purpureaque amictus toga græcanica, capite gestans *coronam auream*, cum effigie Jovis ac Junonis Minervæque, etc. » ED. — Alii intelligunt *multus in auro*, id est, *occupatus in aureis distribuendis coronis victori*

cuilibet. Vide Stat. lib. III *Silvarum*, ad Claudiam uxorem; Suet. in Domitiano, cap. 19.

6. *Perque manus tantas*, etc. Vid. infr. epigr. VIII, versu 10. — *Plurima quercus*. Domitianus duos Agones instituit, Capitolinum Jovi, Albanum Minervæ; in illo, coronæ aureæ frondem quernam (Jovi dicatam), in hoc oleaginam referentes, dabantur victoribus. In versu præcedenti de Albano mentio, in hoc de Capitolino mentionem esse nihil repugnat. — Sueton. Domit. cap. IV: « Instituit et quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, et aliquanto plurium quam nunc est *coronatorum*; etc. » Hujus sensus, qui verisimilis videtur, et quem cum Ramiresio adoptamus, fidem facit epigr. LIV infr. v. 1. ED. — Alii tamen *plurima quercus* intelligunt de corona civica, quam per adulationem primum concesserunt Augusto, quod cives universos servasset. Est in nummis ejus cum inscriptione intra coronam ipsam, OB CIVES SERVATOS, quam pro foribus positam fuisse Augusto docet Dion, et Ovidius, libr. II, *Metamorphos.*: « Postibus Augustis eadem fidissima custos Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum. » Quod Tiberius recusavit, teste Tranquillo, capite 26. Hac modestia usi non sunt pessimi alii Cæsares; in quorum nummis, ut in Augusti, cernitur hæc querna corona. — Sic optaret Martialis

Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustrò,  
 Hæc quæ Romuleus sacra Terentus habet.  
 Magna quidem, Superi, petimus, at debita terris.  
 Pro tanto quæ sunt improba vota Deo?

Κύκλον ἄγοιτο μέγαν περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,  
 Ἰρά τε, Ῥωμαίων οἷα Τέρεντος ἔχει.  
 Ἄδρά, θεοὶ, λιτόμεσθα, δίκαια δέ· τίς γὰρ ἀναιδῆς  
 Εὐχὴ ἂν εἴη ὑπὲρ τοσσατίοιο θεοῦ;

ut hic honor sæpissime tribueretur Domitiano, cui jam aliquoties tributus fuerat. Vid. lib. VIII, epigramm. ultim. — Prior sensus, si attendimus ad verbum *manus tantas*, quod coronæ civicæ non convenit, nobis magis placet; et iudicabit lector. ED.

7. *Sic colat ingenti* idem Anton. de Rooy. — *Hic colat ingenti*, etc. Id est, satis vivat ut ludos sæculares quos exhibuit, centum annis elapsis rursus exhibeat, quibus ut novi sæculi colat et ornet initium. ED. — *Ingenti lustrò*. Ingens lustrum vocat centum annos, viginti lustra complectentes. ED. — *Redeuntia sæcula*. Ludos sæculares celebraverat Augustus, anno ab Urbe condita 737. Claudius imperator ab illo tertius annos post 64, eosdem exhibuerat præter consuetudinem; quocirca illos irritos ac nullos censerit Domitianus iussit, atque teste Suetonio, cap. 4: « Fecit ludos sæculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed olim Augustus edi-

derat. » Hos renovari optat Noster, quod parum probabile est; ideo infra subjungit: *magna quidem petimus*.

8. Nonnulli legunt *Tarentus*; at vide Rutgers. var. lect. lib. IV, cap. 10, et Angel. Polit. Miscell. cap. 58. — *Et quæ Romuleus*, etc. Est ejusdem sensus continuatio: in ludis sæcularibus quædam sacra fiebant ad aram Ditis in campo Martio, et a Romulo instituta. — *Terentus*. Erat locus in campo Martio, de quo lib. I, epigr. lxx; et lib. X, epigr. lxxiii, v. 3, ubi ara subterranea Ditis et Proserpinæ, a Romanis antiquitus constituta, et alta humo sic occultata, ut paucis nota esset. Terentus autem est appellatus quia terebat seu occultabat istam aram, vel quia Tiberis aquis, ad cujus ripam erat, atterebatur. Val. Max. lib. II, cap. 4. — *At debita terris*. Sub imperio principis qui non pauca struxit templa, multa refecit. Schrev.

10. Alii legunt *quæ sint*. — *Improba*. Non probanda.

II.

DE HORATIO.

SPECTABAT modo solus inter omnes  
 Nigris munus Horatius lacernis,  
 Quum plebs, et minor ordo, maximusque  
 Sancto cum duce candidus sederet.  
 Toto nix cecidit repente cælo :  
 Albis spectat Horatius lacernis.

5

2. *Nigris mimus* Beverlandi MS. *Oratius* in edd. vett. et sic vs. 6. — *Nigris munus*. Adesse spectaculis non licebat, nisi iis qui veste alba induti essent; sed Domitiani tempore usus invaluerat, ut indecenter quidem, sed tamen impune ludos spectarent atrati. Vide lib. XIV, epigr. cxxxvii. *Munus*. Accipi debet pro quolibet genere spectaculorum: attamen præcipue intelligitur munus gladiatorum; cujus editor munerarius dicitur. Forsitan naumachiam significat, de qua re infra. Ed. — *Lacernis*. Lacernæ vestes erant crassiores contra frigus aut pluviam comparatæ, et imponi togis solitæ, primum quidem in castris, post etiam in urbe; iis vero opus erat Romanis ad spectandos ludos, quum theatra in propatulo sita contra cæli inclementiam velis tantum et carbasis protegerentur: Domitianum autem naumachias exhibuisse per maximos imbres testantur Xiphilinus, et Suetonius, cap. 4.

3. *Minor ordo*. Equestris nempe; maximus vero Senatorius. Tres

erant Romæ civium ordines: senatus, equites, populus, cujus pars infima proletarii. Ed.

4. *Sancto cum duce*. Domitiano, quem sanctum vocat, vel quod summum magistratum gereret, qui sanctus erat, vel quia deum se prædicabat.—Vel quia æquus et bonus erat princeps; quod innuere videtur Martialis. Cæterum a laudatoribus maxima quæque laus merenti aut immerenti condonatur. Ed. — *Candidus*. Lib. XIV, epigr. cxxxvii, cujus lemma, *lacernæ albæ*, docet in ludis theatralibus albatos omnes sedere; at secus erat in municipiis, ubi ædilibus solum concedebatur ludos cum tunicis albis spectare. Juven. sat. III, vs. 177: « Æquales habitus illic similemque videbis Orchestram et populum; clari velamen honoris Sufficiunt tunicæ summis ædilibus albæ. »

5. *Cecidit repente cælo*. Inique tulerunt Dii pullis vestibus indutum assedissee Horatium ludis a Domitiano editis, et subita nive dealbatum honfinem cæteris adsimilaverunt.

## III.

## DE NIVIBUS.\*

ASPICE quam densum tacitarum vellus aquarum  
 Defluat in vultus Cæsaris, inque sinus.  
 Indulget tamen ille Jovi, nec vertice moto

Λεῦσσε δὴ, ὡς ὑετοῦ πυκινὸς πόκος ἀψοφρόντος  
 Καίσαρος εἰς κόλπους πέλνεται, εἰς τε κάρα·  
 Ζηνὶ δ' ὅς ἤσυχος εἴκει, ἀκινήτοισι προσώποις

\* De iisdem nivibus est hoc epigramma. Laudibus extollit Domitiani constantiam, qui decidente nive, immoto vultu ludos spectaret; et ultimo dicit se suspicari, a filio Cæsaris, mortuo jam et consecrato, nives demissas fuisse ludi causa. *Ramiresius*.

1. Barthius ad Gratian. Cyneg. 77, legit *densum nivearum vellus aquarum*; sed hic forte memoriæ lapsus. Eleganter dicit nives *aquas tacitas*, quia decedentes non audiuntur, ut imber vel grando. Quin ipse hunc errorem corrigit ad Calpurnii eclog. II, 7. — *Tacitarum*. Quidam est aquæ pluentis vel levisimæ susurrus; ingruentis grandinis crepitus est resonans; muta et quasi nulla nivis murmura delabentis. ED. — *Vellus*. « Qui dat nivem sicut lanam », ait rex David in Psalm. Nivei enim flocculi, ut globi lanei, lapsu tacito et mollicula substantia vix suscitant aurem, quum prope cadunt; vix offendunt tactum, quum super impluunt. ED. — *Vellus aquarum*. Nix quam infra

vocat *concretas aquas*, *siccas aquas*, quamque Græci vocabant veteres ἐριώδες ὕδωρ, id est, *aqua lanata*. Vide Eustath. ad Dionysium, et Arnob. II, 11.

2. Idem Barth. ad eundem Gratiani locum conj. *Depluat in vultus*. *Depluo* et *deftuo* sæpissime permutantur. Vide Heins. ad Ovid. Met. I, 573; Burm. ad Propert. II, 10, 7; Drakenb. ad Sil. Ital. XII, 53; Obs. misc. tom. VIII, p. 263; et nos ad Tibull. I, 10, 68, ubi inter se commutantur verba *perfluo*, *præfluo*, *profluo*, *perpluo*, etc.

3. *Indulget tamen ille Jovi*. Sensus est: sub dio perstat, et Jovem ningentem placide fert. Sic lib. I, epigr. cv, v. 3: « Indulgent patientiam flagello. » Alii, sed minus bene mea sententia, intelligunt: non cessat indulgere spectaculis in honorem Jovis editis. ED. — *Indulget*. Quod hic Martialis de nive, hoc de imbre refert Suetonius in Domitiano, cap. 4: « Edidit navales pugnas pæne justarum classium et circumstructo juxta Tiberim lacu;

Concretas pigro frigore ridet aquas,  
Sidus Hyperborei solitus lassare Bootæ,  
Et madidis Helicen dissimulare comis.

5

Ψύχει πηγνυμένων οὐκ ἀλέγων ὑδάτων·  
Ἡθὰς Ὑπερβορέου κατατρύειν ἄσρα Βοώτew,  
Τῆς δ' Ἑλίκης διερω̄ κρατὶ καταφρονέειν.

atque inter maximos imbres prospectavit. » Et Xiphilinus ex Dione in ejus Imperatoris vita, cujus verba a Xylandro latina facta hæc sunt: « Exhibuit crebra certamina præliis peditum ac deinde equitum commissis in Circo, tum etiam in novo quodam loco bello navali facto, in quo non solum omnes fere qui pugnaverunt mortui sunt, sed etiam multi ex spectatoribus, propterea quod maximo imbri et vehementi tempestate repente commota, nemini permisit abire exspectaculo; et quamquam ipse penulam mutavit, tamen cæteros nihil mutare passus est. » — *Jovi*. Quæcumque fiunt in media regione aeris, Jovi tribuuntur; immo pro ipsa regione sumitur Jupiter. Vid. Virg. Georg. lib. II, vs. 325: « Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus. » Ed. — *Nec vertice moto*. Quasi nivem non sentiens. Ed.

4. Heraldus hunc locum mendosum esse suspicatur, et legit vel *reicit* pro *rejecit*; vel, *ne vertice moto* *Concretas pigro frigore tardet aquas*. Farnabius retinet *ridet*, et exponit *non curat*, ut infr. epigr. XIX, v. 11. — *Concretas pigro frigore*. Nix est aqua frigore concreta, multo aere

admixto; unde calidior est ac minus densa. Affirmat Plinius, lib. II, cap. 60, « grandinem congelato imbri gigni, et nivem eodem humore mollius coacto, » etc.

5. *Sidus Hyperborei*, etc. Hujus versus et sequentis hic est sensus: Quod facit nunc Domitianus, ne mireris; ille enim, contra Catos et postea Dacos ac Sarmatas pæne puer profectus (Sueton. cap. 2), didicit sua patientia quasi fatigare vim frigoris, qua rigent plagæ sub sidere septemtrionali positæ; ille assuetus est nudum caput gelidis earum regionum, magnæ ursæ subjectarum, pluviis et nivibus objicere, atque ita frigus humidum pati ac dissimulare, ut sensus expers videatur. Ed. — *Hyperborei*. Hyperboreus dicitur tractus ille qui Boreæ septemtrionali vento objicitur; a voce græca ὑπὲρ, *sub*; et Βορέας, *Boreas*. — *Lassare*. Non frigus lassat Domitiani patientiam, sed patientia Domitiani lassat frigus. Ed. — *Bootæ*. Bootes seu Arctophylax sidus est septemtrionale proxime positum post constellationem, quæ *Plaustrum* vocatur; ita ut plaustrum et boves agitare videatur; unde illi nomen Βοώτης, *bulcus*.

6. *Madidis*. Nive vel gelido imbre. Ed. — *Helicen*. Fabulantur



Qui siccis lascivit aquis, et ab æthere ludit,  
Suspisor has pueri Cæsaris esse nives.

Τοῦ δίοθεν ξηροῖσιν ἀθύροντος ραθάμιγξιν  
Ἦδε κόρου, δοκέω, Καίσαρός ἐστι νιφάς.

fuisse Helicen Jovis nutricem, quæ idcirco fuerit ab illo in cælum adscita, et sideribus adscripta. Ursa major Helice vulgo appellatur, et nomen habet a verbo græco ἐλίσσω, *volvo*, quia circa polum arcticum volvitur. Ursa minor vocatur Cynosura. Vid. lib. Spect. epigr. xiv, vs. 4. — *Dissimulare*. Se gerere quasi non sentiat. Vid. lib. Spect. epigr. i, vs. 3.

7. *Quis siccis* legit Heraldus interrogatorie. — *Siccis*. Concretis frigore, nivibus.

8. *Pueri Cæsaris*. Ne Jove irato

decidisse nix videatur, adulatorie innuit nives has immissas a puero Domitiani, quem tulerat ex Domitia Augusta, nuper extincto et in Deorum album relato. Hunc secundo Domitiani consulatu consecratum fuisse testatur Statius. Exstat et hujus filii testis nummus, in cujus adversa parte puer globo cælesti, stellis cinctus, insidet cum hac inscriptione : D. CÆSAR IMP. DOMITIANI F. hoc est, *Divus Cæsar, Imperatoris Domitiani filius*; in aversa parte ejus mater Domitia Augusta uxor Domitiani conspicitur.

## IV.

IN BASSAM.\*

QUOD siccæ redolet palus lacunæ,

\* Bassam, cujus mentio supra lib. I, epigr. xxxviii et xci; infra lib. IV, epigr. lxxxviii, et lib. V, epigr. xlvi, etc. ait graveolentius foetere quam multa in rerum natura quæ foetent graveolentissime; quorum quidem comparativam facit enumerationem, sibi familiarem et frequenter usurpatam. Vid. lib. VI, epigr. xciii; lib. I, epigr. xlii; lib. III, epigr. lxxv; lib. XI, epigr. ix, etc. Vide et Anthol. lib. II, cap. 14. Ed.

I. *Quod siccæ*, etc. Ordo est: mallet olere quod paludes siccæ et foetentes lacunæ olent, quod olent Albulæ, etc...., quam olere, Bassa, quod oles. — *Quod siccæ redolet palus lacunæ*. Lacuna est fossa sive cavus aqua stagnante plenus (gallice *mare*); lacuna vero, si exsiccat, in paludem se convertit, id est, in lutosum uliginosumque alveum, qui, vel ob animalia ibi mortua et herbas putrescentes, vel ob recoctum ardente sole cæ-

Crudarum nebulæ quod Albularum,  
 Piscinæ vetus aura quod marinæ,  
 Quod pressa piger hircus in capella,  
 Lassi bardiacus quod evocati,

5

num, vapore fœtet graveolenti. Ed.

2. *Crudarum nebulæ quod Albularum.* Ad planitiem Tiburi subjectam scaturiunt aquæ salubres, hodie *bagni di Tivoli*, quæ in Anienem fluvium devolvuntur, et a colore lacteo quem a venis habent sulphureis, *Albulæ* dicuntur. Vid. Vitruv. lib. VIII, cap. 2; et Nostrum, sup. lib. I, epigr. XIII, vs. 2: « Canaque sulphureis *Albula* fumat aquis. » *Nebulæ* autem, seu vapores ex illis aquis emissi, ob sulphur male olebant. Has autem nebulas vocat *crudas*, vel eo quod aquæ ejusmodi referant gravitatem ac veluti duritiem metallorum et fossilium æris, ferri, sulphuris, a quibus vim suam habent, et per quæ veluti per colum transmittuntur; vel, ut placet *Ramiresio*, propterea quod illæ nebulæ mane excitantur, antequam solis radiis veluti decoquantur aquæ, et matutino tempore sunt veluti crudæ, id est, non coctæ solis ardore; nam calor meridiei discutit nebulas illas atque etiam illarum graveolentiam. — Quamvis hæ sint ingeniosæ explicationes; malim existimare *crudas* vocari aquas propter durum et ingratum quasi metalli saporem; vel per hypallagen, quia cruditates earum potatoribus ingerunt; vel etiam propterea quod olera et alia alimenta nequeunt in his concoqui. Ed.

3. *Piscinæ vetus aura.* Id est, quod vetus piscina redolet in qua

sunt aquæ marinæ. — *Piscinæ vetus aura quod marinæ.* Hic *vetus aura* per hypallagen sumitur pro *aura veteris piscinæ marinæ*. — *Piscinæ.* Gallice *vivier*. His aliquando pro balneis Romani utebantur. Ed. — *Aura.* Vapor qui emittitur ex piscina. Ed. — *Marinæ.* Piscina in qua essent undæ fontanæ vel fluviales, sed corruptæ, male oleret; pejus autem piscina, in qua corruptæ stagnarent aquæ marinæ, quæ crassiores cæteris. Ed.

4. *Quod pressa*, etc. Sic supra lib. III, epigr. XIII, vs. 11, de *Vetustilla*: « Et illud oleas quod viri capellarum. » — *Piger.* Hirci non est epitheton *piger* perpetuum, quum hirci velocissimi et inquieti sint; sed *piger* est quando in coitu diutius immoratur.

5. *Bardiacus alii. Lassi bardiaci os, quod evocati* Ferrar. Ald. et Junt. *Lassi bardiacos, quod evocati* Colin. ann. 1528. *Lassi bardaici os, quod exoleti* Beverlandi MS. quæ lectio debetur Turnebo. *Lazi bardiacus quod evocati* legunt alii. — *Lassi bardiacus quod evocati.* *Bardiacus* erat sordidum vestis genus, qua utebantur contra cæli inclementiam milites; sive a *Bardis* Gallorum cantoribus, sive a *Bardæis*, Illyriæ populis, quorum opera ad crudelia ministeria sua, Plutarcho teste, usus est *Marius*, dictum. Hæc vestis, si cucullo munita foret, vocabatur *Bardocucullus*: diximus au-

Quod bis murice vellus inquinatum,  
 Quod jejunia sabbatariorum,  
 Mæstorum quod anhelitus reorum,  
 Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,  
 Quod ceromata fæce de Sabina,

tem lib. I, epigramm. LIV, vs. 4, Bardocucullum fuisse villo crassiori sordidum, et oleo unctum, atque ideo jam per se male olentem. Evocatus vero erat miles veteranus emeritusque, qui difficillimis temporibus rogabatur iterum militare, et per literas vel nuncios *evocabatur* ex otio suo; aut ducis vel mercedis gratia nova volens stipendia merebat. Hunc vocat *lassum* Martialis, scilicet *senectute et diuturna militia defatigatum*, ut multis placet; aut, quod ego libentius intelligerem, *via defessum ac sudantem*: illi igitur veterani, incompti hirsutique, jam per se male olebant; gravius per sudorem laboremque; duplicique illi odori commiscebatur odor bardocuculli vel *bardiaci* quo induebantur, vestibus ad utilitatem potius quam ad decorem utentes, et quidem parce, nec sæpe eas mutant, ut senes rei familiari attentiores conservandæ. ED. — Georgius legit, *Lassi bardaici os quod advocati*. Bardaicus autem, inquit, erat patronus, qui post peroratas diutius causas gravem emittebat halitum. Illius meminit Juven. sat. XVI, 13: « Bardiacus iudex datur hæc punire volenti. »

6. *Bis murice*. Lib. I, epigr. I, v. 32: « Olidæque vestes murice. » Male olebant vestes purpureæ propter lotium fortasse quo temperabatur purpura, quod innuere vi-

detur Plin. lib. IX, cap. 34; et hoc nomine Philænim purpureis delectatam vestibus arguit lib. IX, epigr. LXIII, vitii non absimilis illius quod Bætico objicit lib. III, epigramm. LXXVI. Vide et Turneb. Advers. lib. IX, cap. 5.

7. *Jejunia sabbatariorum*, etc. Judæi sabbata religiosissime colebant et dies septimanæ a sabbato numerabant. *Fæcentes* Judæos appellat Ammianus Marcellinus, libro II, ob jejunia quæ quidem religiosius observabant: jejunis autem haud raro fætet anima.

8. *Reorum*. Cura et angore animi avocatur alio stomachi calor, unde minus coquantur cibi; ex ea autem cruditate anima putris oritur: nihil autem homine reo tristius.

9. Heraldus pro *Ledæ* legit *tedæ*. — *Moriens*. Recens aut nondum exstincta. — *Ledæ*. Quam posuit pro quavis meretrice prostante ad lucernas. Juvenalis, sat. VI, 132, de Messalina: « Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ Fæda, lupanaris tulit ad pulvinar odorem. » Vid. Horat. sat. VII, lib. II.

10. *Ceromata*. Ceroma unguentum erat crassum ex oleo et luto confectum quo luctantes ungebantur; si ex oleo Sabino, quod erat deterius, confectum erat, pessime olebat; quid autem si constaret ex fæce vel amurca?

Quod vulpis fuga, viperæ cubile,  
Mallet, quam quod oles, olere, Bassa.

11. *Vulpis fuga.* Vulpis fuga per metonymiam dicitur pro lotio quod effundit fugiens vulpes, cujus fœtore canes avertit persequentes, adeo pestilenti ut solum quod contingit, sterilecat.

12. *Mallet Ald. Junt. Colin. etc.* sed minus recte. — *Quam quod oles*, etc. Illa omnia a corruptione, natura aut casu; tu ab interno, nec nominando vitio graveolentiam hanc contraxisti.

V.

AD FABIANUM.\*

VIR bonus et pauper, linguaque et pectore verus,  
Quid tibi vis, Urbem qui, Fabiane, petis?  
Qui nec leno potes, nec commissator haberi,

\* Jam, lib. III, epigr. xxxviii, induxerat Sextum quemdam Martialis, quem, per bonas artes Romæ vivere meditantem, dissuaserat, dinumeratis bonis artibus quibus in urbe fames tantum et contemptus; nunc idem argumentum tractat, et Fabianum, ad malas artes inhabilem, dissuadet ne Romæ vivat, enumeratis malis artibus quibus tantum Romæ locus. Ed.

1. *Vir vagus et pauper Pulmann.* — *Linguaque et pectore verus.* Id est, cujus verba cum mente simpliciter consentiunt, quod est viri candidi bonique. Ed.

2. *Quid tibi vis Urbem*, etc. Quæ mens est tua quum petis urbem de qua sic Petronius sub nomine Crotonæ: « Quoscumque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos; nam aut captant aut captantur (gallice *ils sont dupes*

*ou fripons*); sic et Bolæus de Lute-  
tia nostra, Sat. IV :

..... Une ville importune,  
Où l'honneur a toujours guerre avec la fortune;  
Où le vice orgueilleux s'érige en souverain,  
Et va la mitre en tête et la crosse à la main;  
Où la science triste, affreuse, délaissée,  
Est partout des bons lieux comme infâme  
chassée;  
Où le seul art en vogue est l'art de bien  
voler, etc. Ed.

3. *Qui nec leno potes*, etc. Sic Juvenal. sat. III: « Quid Romæ faciam? mentiri nescio; librum, Si malus est, nequeo laudare et poscere; motus Astrorum ignoro; funus promittere patris Nec volo, nec possum; ranarum viscera nunquam Inspexi; ferre ad nuptam quæ mittit adulter, Quæ mandat, norint alii; me nemo ministro Fur erit; atque adeo nulli comes exeo, tanquam Mancus, et extin-

Nec pavidos tristi voce citare reos :  
 Nec potes uxorem cari corrumpere amici :  
 Nec potes argentes arrigere ad vetulas ;  
 Vendere nec vanos circa Pallatia fumos ;  
 Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.

5

ctæ corpus non utile dextræ » ; et  
 Bolæus, Sat. eadem :

Mais moi, vivre à Paris ? Eh ! qu'y voudrais-je  
 faire ?

Je ne sais ni tromper, ni feindre, ni mentir,  
 Et quand je le pourrais, je n'y puis consentir.  
 Je ne sais point en lâche essayer les outrages  
 D'un faquin orgueilleux qui vous tient à ses  
 gages,

De mes sonnets flatteurs lasser tout l'Univers,  
 Et vendre au plus offrant mon encens et mes  
 vers, etc. Ed.

— *Qui nec leno. Qui nec prosti-  
 tuere servos, servasque ad quæstum  
 potes, etc. — Comissator haberi.  
 Gulo immodicus et popino. — Ha-  
 beri. Adhiberi.*

4. *Nec pavidos stricta Pulmannus.*  
 — *Nec pavidos tristi, etc.* Id est,  
 nec potes esse præco, cujus offi-  
 cium, et valde quæstuosum (vid.  
 lib. VI, epigr. VIII), erat reos in  
 jus vocare : præcones erant per-  
 fricta fronte, et fere scurræ, ut  
 colligitur ex oratione Ciceronis pro  
 Quintio, atque ex Nostro, lib. I,  
 epigr. LXXXVI. Hi autem homines  
 erant plerumque ex gente horum  
 Liburnorum de quibus mentio fit  
 lib. I, epigr. v, vs. 33. Ed.

5. *Nec potes uxorem, etc. Simi-  
 liter Bolæus :*

De servir un amant, je n'en ai pas l'adresse ;  
 J'ignore ce grand art qui gagne une mai-  
 tresse, etc. Ed.

6. *Nec potes argentes, etc. Quæ  
 « optima summi Nunc via proces-*

*sus», teste Juvenale, sat. I, vs. 39.*  
 — *Argentes. Ut erat Vetustilla, lib.*  
 III, epigr. XCIII, vs. 16 et 17 :  
 « Quum bruma mensem sit tibi  
 per augustum, Regelare nec te pe-  
 stilentia possit. » — *Arrigere ad,*  
 etc. Ut poterat Bassus, supr. lib.  
 III, epigr. LXXVI ; veteratores enim  
 et avari juvenes solebant sollicitare  
 divites vetulas, ut multis in locis  
 dictum est. *Ramires.*

7. Alii legunt, *vanos circum Pal-  
 latia fumos. — Vendere nec vanos,*  
 etc. Ut solent aulici, qui, com-  
 mendationis officia mentiti, prin-  
 cipis gratiam accepto pretio ven-  
 dunt. Vel intellige versiculos adula-  
 torios lepidasque fabulas narrando,  
 pecuniam ab aulicis vel principe  
 erogare : prior sensus magis mihi  
 placet. — *Fumos. Fumos vendere*  
 est res inanes, mendacia promit-  
 tere. Alexander Severus, Romanus  
 Imperator, quum audisset aulicum  
 adulatorem quemdam, nomine  
 Thurinum Voconium, magnas opes  
 collexisse, homines principi, sic-  
 ut aulici factitant, commendando,  
 eum lignis humidis et fumo necari  
 jussit ; *Pereat, inquit, fumo qui fu-  
 mos vendidit.* Vid. de Zotico, Lam-  
 prid. in vita Heliogabali, et in vita  
 Alexandri Severi.

8. *Plaudere nec plano* cod. Thuan.  
*Plaudere nec Plano* Vat. *Plaudere  
 nec Canio* Pulmann. — *Cano. Canus*  
*celebris fuit choraules, cui (teste*

Unde miser vives? homo fidus, certus amicus.  
Hoc nihil est : nunquam sic Philomelus eris. 30

Suetonio, Galba, cap. 12) Galba, licet homo avarissimus, dicitur « mire placenti denarios quinque donasse, prolatos manu sua e peculiaribus oculis suis. » Ed. — *Glaphyro*. Glaphyrus citharædus, de quo Juvenal. sat. VI, vs. 76 : « Accipis uxorem, de qua citharædus Echion, Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules. » (γλαφυρός, *elegans*.) Citharædi autem et choraules erant summo in pretio, hac tempestate, in Urbe, vid. lib. III, epigr. IV, vs. ultim.; lib. V, epigr. LVI, vs. 9, etc. ditissimique fiebant. Igitur Fabianus ditescere posset, si opulentis illis viris plaudendo, munera ab iis erogaret; vel forte intellige tantum Fabianum non posse plaudere citharædis, ut faciunt leviculi Romani, ita ut gravi huic homini vanos inter homines nullus sit locus, nulla ad ditescendum via. Ed.

9. *Unde miser vives*, etc. Bolæus, inducto Damone :

Puisqu'en ce lieu jadis aux muses si commode,  
Le mérite et l'esprit ne sont plus à la mode,  
Qu'un poète, dit-il, s'y voit maudit de Dieu,  
Et qu'ici la vertu n'a plus ni feu ni lieu, etc. Ed.

— *Homo fidus, certus amicus*. Fides, amicitia, probitas viliores alga sunt, nihil ad rem faciendam juvant. Ex persona Fabiani dicentis : *Homo sum fidus, certus amicus*, ab omnibus probabor : respondet hæc ad rem parum facere. Sic supr. lib. III, epigr. xxxviii, vs. ultimo, « Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes. »

10. *Philomeus*. Beverlandi MS. — *Nunquam sic Philomelus eris*. Numquam fies dives : Philomelus citharædus erat ditissimus, ut apparet ex lib. III, epigr. xxxi, vs. ultimo : « Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet. » Bolæus : Et l'esprit le plus beau, l'auteur le plus poli, N'y parviendra jamais au sort de l'Angeli. Ed.

## VI.

IN MALISIANUM.\*

CREDI virgine castior pudica,  
Et frontis teneræ cupis videri,

\* *Malisianum*, vel ut alii volunt *Massilianum*, qui simulabat pudicitiam et castitatem, quum improbus omnino esset, acriter carpit, et comparat cum quodam elegiarum recitatore improbissimo. *Ramires*.

— *In Massilianum* in ed. vett. *In Macilianum* inscribitur in cod. Pulmanni.

1. *Virgine castior*. Proverbium est, gallice *sage comme une demoiselle*.  
2. *Frontis teneræ*. Impudentes,

Quum sis improbius, Malisiane,  
 Quam qui compositos metro Tibulli,  
 In Stellæ recitat domo libellos.

5

improbi, duræ frontis vulgo esse dicuntur; modesti vero et casti, teneræ, quia facile erubescunt, vel quia similes sunt infantibus, quorum frons mollis et tenera.

3. *Maciliane* citat Heraldus; *Malisiane* Beverlandi MS.

4. *Quam qui compositos*, etc. Hic recitatore quemdam perstringit, cujus nomen quæsierunt interpretes: hoc intelligi voluerunt de Argino, formoso Stellæ puero, de quo lib. VII, epigr. xv, qui domini versus recitare atque assidue cantillare soleret. Quum autem nihil hoc probare possit, et inutilis sit investigatio, quidquid volet

lectorem censere sinemus. Ed. — *Metro Tibulli*. Elegiaco, vel puro iambico, quo Tibullus et priapeia quædam scripsit. — *Tibulli*. Tibullus eodem quo Ovidius anno, id est 711 ab Urbe condita, est natus.

5. *In Stellæ recitat domo*. Stella, de quo mentio apud Statium, et apud Nostrum, lib. I, epigr. VIII, etc. domum suam, pro more divitum, recitantibus commodabat, ut Fronto, Juven. sat. I, et Maculonus, Juven. sat. VII. Pauperiores has non commodabant sed conducendas dabant; auditoriumque extruebatur instruebaturque conductis subselliis. Juven. ibid.

## VII.

### AD HYLLUM.\*

CUR here quod dederas, hodie, puer Hylle, negasti?  
 Durus tam subito, qui modo mitis eras?  
 Sed jam causarum barbamque, annosque, pilosque:  
 O nox quam longa es, quæ facis una senem!

\* Accusat Hyllum puerum inconstantiam, qui, quod uno die dederat, sequenti negavit; causabatur annos barbamque, quæ emeritum jam facere debebant eum. Hoc factum esse una nocte ridet poeta. *Ramires*.

— *Ad Hyllum* inscribitur in editis veteribus.

1. *Here*. Heri. Lib. I, epigram. XLIV, vs. 2; et lib. III, epigr. XII, versu 2. — *Quod dederas*, etc. Tui copiam: nisi malis esse tantum unam basiationem, quam ei pridie libenter dederat recens a tonsore lævigatus. Ed.

3. *Barbamque, annosque, pilosque*. Quæ te emeritum reddiderint.

Quid nos derides? here qui puer, Hylle, fuisti, 5  
Dic nobis, hodie qua ratione vir es?

5. *Puer*, etc. Scilicet viriles insultus patiendo. *hodie qua ratione vir es?* Cf. infra epig. XLII: «Et timeat pueros», etc.

6. *Ant. de Rooy* hunc versum — *Vir es*. Faciendo, ut epigramm. ita depungendum putat: *Dic, nobis* XLII infra.

## VIII.

### AD EUPHEMUM.\*

PRIMA salutantes atque altera conterit hora;  
Exercet raucos tertia causicos.  
In quintam varios extendit Roma labores.

\* Petit ab Euphemo exstructore mensæ Domitiani, ut sua carmina legi jubeat Imperatori, commodissimo tempore, id est, hora cœnæ, quum jam cœperit incalescere mero: quod ut faciat, præmittit horarum ante cœnam totius diei distributionem. *Ramires*.

1. *Pulmannus*, atque altera distinctet hora; alii, continet hora. — *Prima salutantes*, etc. Antiqui diem totum, a prima luce ad noctem usque, in duodecim æquales horas partiebantur, et in totidem noctem ipsam; quæ horæ diei ac noctis in æquinoctiis solummodo æquales erant, inter se reliquis anni temporibus inæquales. Nam æstate quando longissimi sunt dies, horæ diei longæ erant, noctis breviores; hieme vero contra. *Ramires*. — *Salutantes*. Si hoc epigramma æquinoctiali tempore fuisse scriptum putamus, tum dicemus horam primam et secundam fuisse hoc tem-

pus quod, apud nos, e sexta hora matutina sonante, usque ad octavam sonantem numeratur: et ambæ clientibus patronos salutantibus erant destinatæ. Vid. lib. III, epigramm. xxxvi, vs. 3; et Juvenal. sat. I: «Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum: Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo, etc.» ED. — *Conterit*. Fatigat, et vestes calceosque terere cogit. ED.

2. *Tertia*. Hoc spatium temporis, agendis foro causis destinatum, illud est quod, apud nos, ab octava sonante, usque ad nonam sonantem extenditur. » ED.

3. *In quintam*. Id est, apud nos, ex nona hora sonante, usque ad meridiem sonantem, quidquid est Romæ opificum suis vacat laboribus; et suis alii homines negotiis. Sic Bolæus noster, Sat. VI: *J'entends déjà partout les boutiques s'ouvrir*. ED.



Sexta quies lassiss, septima finis erit.  
 Sufficit in nonam nitidis octava palæstris;  
 Imperat excelsos frangere nona toros.  
 Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,  
 Temperat ambrosias quum tua cura dapes;

4. *Sexta quies lassiss.* Sexta sonante, id est, apud nos, sonante meridie, non omnes, sed tantum minus robusti ac opere jam fatigati quasi interjungunt et paululum quiescunt, laborem deinde repetituri usque ad septimam qua finitur: septima hora incipit prima post meridiem hora apud nos sonante. ED. — *Septima*, etc. Quum in hoc epigrammate nulla fiat lavationis mentio, putat Ramiresius septima incipiente Romanos laborem, vel quietem a sexta inceptum finire, et a septima usque ad octavam, id est, apud nos a prima hora post meridiem sonante ad secundam sonantem, quosdam lavari; licet hoc non fuerit omnium, delicatis serius lavantibus. Vid. lib. X, epigr. XLVIII; lib. II, epigrammat. LIII, etc. ED.

5. *Sufficit in nonam.* Ab octava ad nonam, id est, a secunda post meridiem sonante usque ad tertiam sonantem, palæstritæ se exercebant, quorum exercitationi aderant multi spectatores; erat quoque illud tempus aliarum exercitationum, atque balneorum, quorum æstate octava, hieme nona erat hora. Plin. lib. III, cap. I. De palæstra diximus lib. III, epigr. LVIII, vs. 25, et alibi. ED.

6. Alii *Exstructos*; alii legunt *excelsos*. Juntina nostra in margine exhibet: *Imperta excelsos scandere*

*nona toros*. Sic *scande cubile* apud Propert. IV, 4, 90. Forte: *excelsos sternere nona toros*; sic enim loquuntur Ovid. Met. VI, 431; VIII, 658; ad Liv. 316; Amor. II, 11, 47; Fast. II, 337; Juvenal, VI, 5; X, 335: Noster, lib. III, epigr. XCIII, vs. 24; lib. VIII, epigr. LXVII, vs. 6; et alii. Vide quæ annotavimus ad lib. II, epigr. LIX. — *Imperat excelsos*. Nona hora erat hora cœnæ; tertiæ post meridiem sonanti apud nos respondet. ED. — *Frangere*. Lectos sternere, et toros compositos disturbare iis insidendo, id est, cœnare. Nona quidem æstate; hyeme decima. Licet dies tunc non esset finitus, qui ante legitimam hanc horam cœnare incipiebant, dicebantur *cœnare de die*, et male audiebant propter intemperantiam. Catull. epigr. XLVIII: « Vos convivia lauta sumptuose De die facitis: » et Juven. sat. I: « Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur dis Iratis. »

7. *Euphene Beverlandi MS.* — *Hora libellorum*. Inter pocula versus legere moris erat; Euphemus vero structor mensarius Imperatoris ille fuisse videtur.

8. *Temperat ambrosias*. Hoc est, divinas. Domitianus enim deum se appellari jubebat, atque ita ambrosiæ deorum dapes ipsi conveniebant, sicut versu sequenti æthereum nectar.

Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,  
 Ingentique tenet pocula parca manu. 10  
 Tunc admitte jocos : gressu timet ire licenti  
 Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

9. *Lassatur nectare Cæsar* Beverl. MS — *Laxatur*. Recreatur, curis omissis.

10. Pulmanni vet. cod. *pocula larga manu*; quod omnino rejiciendum putat Ramiresius. — *Pocula parca*. Domitiano assentatur, quam parce bibere innuit, et voces *ingenti* et *parca* inter se per antithesim opponit. — *Ingenti manu*. Vid. supra, epigr. 1, vs. 6. Ed.

11. Beverlandi MS. *gressu me-*

*tire licebit*. Pulmanni cod. *gressum metire licebit*; alii, *gressu metire licenti*; alii, *licenter*. — *Tunc admitte*. Hoc est, tum libros meos Domitiano offer. — *Gressu timet*. Festiva mea Musa matutino tempore coram Domitiano joculari intempestive non audet, quippe qui tunc rebus seriis occupetur. Vid. lib. X, epigramma XIX.

12. *Thalia*. Musa quæ jocosum: (θάλω, *floreo*, *lætor*.)

## IX.

### IN FABULLAM.\*

SOTÆ filia clinici, Fabulla,  
 Deserto sequeris Clitum marito,  
 Et donas, et amas, ἔχεις ἀσώτως.

\* *In Labullam* lemma est in Ald. ann. 1501; Junt. ann. 1512; Colin. 1528; et aliis.

1. *Labulla* in iisdem. — *Clinici*. Vide lib. I, epigr. XXXI.

2. *Clitum*. Mœchum.

3. Hic versus corrupte legitur in Juntina: græca verba, ut semper, omisit Colin. Codex Vaticanus sic habet: *Et donas, et amas, ethisacos octhos*. — *Donas*. Eum muneribus donando omnes tuas divitias disperdis. — ἔχεις ἀσώτως. In hac voce ludit Poeta, quum dicit Fa-

bullam esse filiam clinici Sotæ, id est, medici qui aliis salutem restitueret; σώζω enim *servo*: illam tamen perdit se habere, quum bona omnia effunderet, et luxuriose viveret. *Sotæ* es filia, inquit, et *asota* es, hoc est, prodiga et luxuriosa. De medico clinico dictum lib. I, epigramm. XXXI. Aristoteles, lib. IV, ad Nicomachum, c. 1: Ἄσωτος γὰρ ὁ δι' αὐτὸν ἀπολλύμενος: *Asotus enim est qui se ipsum perdit*. — Ramiresius ait tres esse sensus in quibus ludat Poeta: quum *asota* si-

gnificet simul hæc : *non filia Sotæ, prodiga, et desperatæ salutis*, ita ut pater tuus, qui *στυγῆ* est, id est, *servator*, non possit te saluti resti-

tuere in perniciem certissimam ruentem; qui enim omnia perdere, ii videntur quasi mortui. Vid. lib. IX, epigr. LXXXIII.

## X.

## AD FAUSTINUM.\*

DUM novus est, neque adhuc rasa mihi fronte libellus,  
 Pagina dum tangi non bene sicca timet :  
 I puer, et caro perfer leve munus amico,  
 Qui meruit nugas primus habere meas.  
 Curre, sed instructus; comitetur Punica librum  
 Spongia : muneribus convenit illa meis.  
 Non possunt nostros multæ, Faustine, lituræ  
 Emendare jocos : una litura potest.

\* Recens compositum opus Faustino familiari suo mittit, quod, velut parum luce dignum, non stylo verso passim emendandum, sed totum spongia modeste ait delendum.

1. *Dum novus est, et adhuc non rasa fronte* Pulmanni vetus codex et Beverlandi MS. — *Neque adhuc rasa*. De iis quæ ad librorum ornamenta pertinerent, dictum est lib. I, epigr. LXVII.

2. *Pagina dum tangi, etc.* Ob recens minium et pigmenta quibus ornabantur libri.

5. *Curre, sed instructum comitetur pumice librum Spongia* correxit Junius, quum omnes codd. et edd. vet. nostram exhibuerint lectionem; *pumice pro-Punica* Beverlandi MS. — *Instructus*. Noli omittere egregium instrumentum, rem valde

necessariam, nempe spongiam qua mea carmina deleantur. — *Comitetur Punica*. Spongia optimi generis, cujusmodi sunt spongiæ Africanæ, de quibus Plinius, lib. IX, cap. XLV, quæ generantur in Syrtibus, et a medicis ad fomenta præferuntur. Alii legunt : *Curre, sed instructum comitetur pumice librum Spongia* : quæ lectio minus probatur; etenim si liber nondum erat pumice æquatus, sicut ait primo versu, pumice instructus non erat. Lib. VIII, epigr. LXXII; et lib. I, epigr. LXVII : « Sed pumicata fronte si quis est nondum. » Alii sic hanc lectionem interpretantur, ut vel probatus pumice poliatur, damnatusve spongia deleatur.

8. *Una litura potest*. Quæ scilicet omnia mea carmina, utpote prorsus mala, delet. Sic modeste de-

primit se poeta. Vid. lib. III, epigramm. c; et lib. I, epigr. vi. — *Una litura*. Aliquando enim Veteres in membranis ita scribebant aliquo pigmento et liquido colore, ut debiles essent spongia uda characteres. Hoc præsertim faciebant, quum primas meditationes in codicillis seu pugillaribus inscriberent, si probarent, deinde transcribendas, si improbarent, spongia delendas. Unde jocus Augusti, cap. 85, apud Sueton. et Macrob. lib. II, Saturn. cap. 4: qui quum inchoasset Ajacem tragœdiam, eam-

demque non placitam sibi delevisset, interroganti Lucio quid ageret, *Ajax*, inquit, *in spongiam incubuit*. Vid. lib. XIV, epigr. vii et cXLIV. — Cæterum vulgo utebantur Veteres tabulis manualibus cera obductis ad scribendum, in quibus graphio, seu stylo ferreo cujus pars ima erat acuta, summa vero plana et lata, quasi incidebant litterulas, et imprimebant molli ceræ; easdem vero debebant ceram complanando suprema graphii parte. Horatius, Satirarum libro I, 10, versu 72: « Sæpe stylum vertas. »

## XI.

IN ANT. SATURNINUM.\*

DUM nimium vano tumefactus nomine gaudes,

\* Insultat Lucio Antonio Saturnino, Germaniæ superioris præsidi, qui, sive propria ambitione superbiens, ut ait Martialis, sive Domitiani sævitia atque verborum injuriis, quod se ab eo scortum appellari sciret, accensus, bellum civile, pertractis in suas partes Barbaris, corripuit. Sed hunc rerum tumultum sedavit Domitianus, ut ait Suetonius, cap. 6: « Felicitate mira: quum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transitaras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset. De qua victoria prius præsagiis quam nuntiis comperit. Si quidem ipso, quo dimicatum est, die, statuam ejus Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit; pauloque, post occisum Antonium adeo

vulgatum est, ut caput quoque ejus adportatum vidisse se plerique contenderent. » Vide Xiphilinum, qui a Lucio Maximo, et Aurelium Victorem, qui ab Urbano Appio occisum fuisse Antonium Saturninum referunt. ED.

1. *Vano tumefactus nomine*. Id est, Antonii. Duo nomina mali ominis gerebat iste Lucius, siquidem et Saturninus vocabatur, et Antonius. Lucius Apuleius Saturninus, tribunus plebis rebellis et contumax, dum res novas moliretur, interfectus fuit anno ab Urbe condita fere 645. Vide Florum, lib. III, cap. 16: Antoniusque ille triumvir, qui totum orbem cum Lepido et Augusto diviserat, tristissimum fatum deinde habuit, quum, prope Actium victus, Cleopatram fugien-

Et Saturninum te, miser, esse pudet :  
 Impia Parrhasia movisti bella sub Ursa ,  
 Qualia qui Phariæ conjugis arma tulit.  
 Excideratne adeo fatum tibi nominis hujus,  
 Obruit Actiaci quod gravis ira freti?  
 An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi  
 Nilus, et Arctois plus licuisset aquis?  
 Ille etiam nostris Antonius occidit armis;  
 Qui tibi collatus, perfide, Cæsar erat.

5

10

tem in Ægyptum sequutus est, ubi ambo sibi necem consciverunt; sed ille, de quo Martialis loquitur, Saturnini nomen quasi vile rejiciebat, et Antonii triumviri potius quam Antonii morientis memor, ejus nomine ita gaudebat ut imperium orbis se assequi posse crederet. ED.

2. *Et Saturninum.* Non inferiorem dignitatem ut Saturninus, sed imperium Orbis terrarum, ut Antonius, affectas. ED.

3. *Parrhasia sub Ursa.* Hoc est, in Germania, quæ spectat Septemtrionem: Ursa Parrhasia dicitur a Parrhasia Arcadiæ urbe, ex qua nata erat Callisto, a Jove amata, et in ursæ cælestis sidus, quod ad Septemtrionem fulget, commutata. Arcadia, Græciæ pars, in media Peloponneso, dicta quoque est Parrhasia, a Parrhaso Lycaonis filio.

4. *Qualia qui Phariæ,* etc. Sensus est: Bellum civile commovisti quale commovit ille Antonius in gratiam uxoris suæ Cleopatrarum, a qua omnes Ægypti vires, opes, classesque acceptas contra Romam explicavit. ED. — *Phariæ conjugis.* Pharos insula erat Ægypti. Vidæ quæ adnotavimus lib. I, epigr. LXXXIX, vers. 3.

5. *Excideratne adeo.* An oblitus eras quam tristi fato is qui gerebat nomen unde superbis, perierit?

6. *Obruit Actiaci,* etc. Metonymia pro, quod obruit Actiacum fretum, graviter iratum Cæsarem vehens. — *Actiaci.* Actium, Epiri urbs et promontorium, *Capo Figalo,* ad os sinus Ambracii, prope quod Antonium et Cleopatram prælio navali vicit Augustus.

7. *An ibi promisit Junt.* — *An tibi.* Sensus est: Si Ægyptus, provincia ditissima, Antonio victoriam suppeditare nequivit, quas tibi vires subministrabit superior Germania? — *Rhenus.* Mallem, pro Rheno posuisset Danubium, ad quem pugnatum est ex Suet. *Rader.*

8. *Arctois aquis.* Fluviis Germaniæ ad Septemtrionem positis et ursæ cælesti, quæ græce ἀρκτος dicitur, subjectis.

9. *Pro ille etiam,* Gruterus mallet, si liceret per membranaceos, *Ille tamen.* — *Nostris.* Cæsarianis. Priscorum Cæsarem laudis quasi hæres est Domitianus.

10. *Qui tibi collatus,* etc. Qui tecum comparatus, Cæsar dici poterat; qui tantum te superavit, quantum Augustus Antonium.

XII.

IN THAIDEM.\*

NULLI, Thai, negas : sed si te non pudet istud,  
Hoc saltem pudeat, Thai, negare nihil.

\* Eamdem Thaidem, omnia turpitudinum genera pati solitam, et corporis obvio cuilibet amatori facientem copiam, carpit, quam infr. epigr. L et LXXXV.

— Hujus epigrammatis lectio

non variat in libris manuscriptis, aut prelo excusis.

2. *Negare nihil.* Vid. lib. II, epigramm. LII, vs. 2; lib. XI, epigr. L, in fine; lib. XII, epigr. LXXII, et LXXXI, vs. 4.

XIII.

AD RUFUM, DE NUPTIIS PUDENTIS ET CLAUDIÆ  
PEREGRINÆ.

CLAUDIA, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti :  
Macte esto tædis, o Hymenæe, tuis !

\* Pudentis, de quo mentio lib. I, epigr. xxxii, et infinitis aliis locis, nuptias cum Claudia Peregrina, de qua nihil reperi, brevi celebrat epithalamio, et ideo felices futuros esse sperat, quod par pari jungatur, atque omnimodo decens fiat hymenæus. Ed.

— *De nuptiis Pudentis et Claudie* est lemma in edd. vett.

1. *Claudia, Ruffe, meo nupsit*, etc. Ald. Junt. Colin. Gryph. et alii; *parenti pro Pudenti* in Beverlandi MS. — *Meo. Amico.* Vid. infr. epigramm. xxix; lib. VI, epigr. LVIII; lib. VII, epigr. xcvi, vs. 3, etc.

2. *Macte esto.* Felix et bonus adsis, o Hymenæe, cum tuis tædis; gratulor tibi ob istas nuptias a te conciliatas. — *Macte.* Ea vox nihil aliud quam felicem adprecationem et hortationem sonat. Olim dicebatur *mactus* per syncopen pro *magis auctus*, id est, nova cujusdam rei accessione, præsertim honoris causa, cumulatus; hinc venit vox *mactatus* quæ de hostiis immolatis dicta fuit, quia thure et farre *magis augebatur*, cumulabaturque hostia. Quando Superis doni quidpiam offerebant, utebantur his vocabulis conceptis: *Macte esto*, exempli gra-

Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,  
 Massica Theseis tam bene vina favis.  
 Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi, 5  
 Nec plus lotos aquas, litora myrtus amat.  
 Candida perpetuo reside, Concordia, lecto,  
 Tamque pari semper sit Venus æqua jugo.  
 Diligat illa senem quondam : sed et ipsa marito,  
 Tunc quoque quum fuerit, non videatur anus. 10

tia, *his floribus*, o *Apollo!* id est, colo te et veneror his floribus, qua in locutione vocativus *Macte* pro nominativo usurpatur, ut sæpe factitant Latini. Interdum adverbii more ponitur, sicut Livio, lib. II, « Juberem macte virtute esse » — *Hymenæe*. Nuptiarum præses, Ἄπὸ τοῦ ὁμοῦ ναίειν ὅτε οὖν, συνοικίζεται ἀνὴρ γυναίκαί· vel a membranula illa, quæ virginibus in primo veneris aditu rumpitur. Alii ad historiam de Hymenæo quodam Argivo referunt, et ab ejus (quod virginibus Atticis a Pelasgis raptis præstiterat) subsidio, institutum ferunt hymnum, qui *hymenæus* dicitur, qualis Romanis *thalassio*. Vide lib. I, epigr. xxxvi, vs. 6. *Farnab.*

3. *Tam bene rara*, etc. Quam suaviter miscentur nardo cinnama, tam feliciter jungitur Claudia Pudenti. — *Rara*. Pretiosa. — *Suo*. Cui scilicet quadam felici necessitudine jucunde conjungitur. ED. — *Cinnama*. Cinnamum est odoratus frutex, sive unguentum ex ejus succo factum. Arbuscula est eadem atque cinnamomum; nascitur in Æthiopia: quidam id esse putant quod vocamus Galli *de la cannelle*. *Nardus* quoque frutex est odoratus.

4. *Massica Theseis*. Ex melle et

vino mulsum conficiebatur, potio videlicet antiquis gratissima: *favos Theseos* dicit pro Atticis, quia Theseus regnavit in Attica. Significat tam feliciter conjungi mel Hymentium vino optimo, quam Pudentem Claudiæ. Vid. Plin. lib. XXII, cap. 24. — *Massica*. Vide lib. I, epigr. xxvii, vs. 8.

6. *Lotos*. Arbor est aquis gaudens, cujus fructus dulcissimus, adeo ut Homerus dicat socios Ulyssis eo gustato noluisse in patriam redire; hinc proverbium: *Loton gustavit*. Vide Homer. Odys. IX; et Plinius describit loton XIII, 17; est etiam lotos herba in palustrium genere. Vide FLORAM Virgilianam, pag. lxxx, nost. edit. tom. viii, ubi plura et nova reperies. ED. — *Litora myrtus*. Myrtos nasci in maritimis locis experientia docet; in montosis autem et mediterraneis non proveniunt.

7. *Candida perpetuo residet* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. — *Concordia*. Deam intellige Concordiam, cui templum erexit Vespasianus. Juven. Sat. I: « Quæque salutato crepitat Concordia nido. »

9. *Diligat ipsa* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc.; *illa* cod. Pulmann. et Beverlandi MS.

## XIV.

AD SILIUM.\*

SILI, Castalidum decus sororum,  
 Qui perjuria barbari furoris  
 Ingenti premis ore, perfidosque  
 Astus Hannibalis, levesque Pœnos  
 Magnis cedere cogis Africanis :

5

\* Ad Silium Italicum, poetam satis notum (cujus mentio est lib. VI, epigr. LXIV, vs. 10; lib. VII, epigr. LXIII; lib. XI, epigr. LI; cujus et vitam et mortem narrat diserte Plin. jun. lib. III, epist. 7), mittit sua carmina Martialis; et ab eo, laudato prius, petit ut suam deponat severitatem ad legendos lascivos libellos; quod quidem illi suadent Saturnalium dies.

1. *Sili.* Silius Italicus, poeta, Virgilii imitator assiduus, piusque adeo cultor, ut ejus diem natalem religiosissime celebraret, et sepulcrum, tanquam aram, inviseret sæpius, metro heroico scripsit bellum Punicum secundum: consul idem fuit postremo Neronis anno, ac subinde Asiæ proconsul. Ejus patria fuit Corfinium, Pelignorum, in Italia, civitas, quæ etiam Italica dicta est; vel, ut malunt alii, Italica, urbs Bæticæ. Hinc illi cognomen Italici. Vide, si ampliora desideras, dissertationem clarissimi Ruperti, ubi fusius agitur de nomine et patria Silius Italici, ad calcem vol. II nostræ editionis. ED.—*Castalidum.* Musæ dicuntur Castalides a virgine Castalia, quæ Apol-

linem fugiens ad radices Parnassi in fontem a se Castalium dictum, et Musis sacrum, versa est.

2. *Qui perjuria*, etc. Perfidi vulgo ac sædifragi Pœni sunt habiti, ut ipse testatur Silius Italicus initio primi libri: « Ter Marte sinistro Juratumque Jovi sædus, conventaque patrum Sidonii fregere duces.» Vid. lib. VI, epigr. XIX, vs. 6.

3. *Ingenti ore.* Sonoro et nobili carmine.—*Premis.* Exagitas, versu severo increpas.

4. *Fastus Annibalis.* Ald. Junt. Colin. Junian. Lang. Delph. etc. *sævosque Pœnos* Beverlandi MS.—*Levesque Pœnos Magnis cedere cogis Africanis.* Id est, canis, et graphice depingis quemadmodum coacti fuerint cedere Scipionibus; est poetica metonymia, qua dicuntur poetæ facere id quod canunt factum: *παντῆς* enim græce significat *factor*, *qui facit*. Sic et Virgilius, in Mœri, vs. 19: « Quis humum florentibus herbis Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra? » et Horatius, in Sat. lib. I, x: « Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona. »

5. *Magnis cedere.* Scipio enim major, Africanus cognominatus,



Paulum seposita severitate,  
 Dum blanda vagus alea December  
 Incertis sonat hinc et hinc fritillis,  
 Et ludit popa nequiore talo,

vicit superbum Hannibalem, atque Carthaginienses coegit pacem a Romanis petere: fuit et alter Scipio ob eversam Numantiam dictus Numantinus, qui Carthagine funditus deleta, Africanus minor dictus est: quas res gestas cecinit Silius. Vid. lib. II, epigr. II, vs. I.

6. *Paulum deposita* in quibusdam vett. — *Depositata severitate*. Deposito illo operum severiorum acriore studio.

7. *Dum blanda vagus*, etc. Dum cives Saturnalibus licentiores et vagi discurrent, talisque ludunt. — *Blanda*. Quod lutores blande alliciat spe lucri aut recreationis. Vide lib. I, epigr. ultim. v. 3. ED. — *Alea*. Est alea ludus omnis in quo multum fortunæ, prudentiæ minimum (gallice, *jeu de hasard*); unde abiere in proverbium hæc verba, *jacta est alea*, quæ Cæsar dicitur pronuntiasse antequam Rubiconem trajiceret; vid. Sueton. Cæs. cap. 32. Hic pro *talorum* ludo tantum alea sumitur. — *December*. Quo mense, propter Saturnalium licentiam, ludis maxime indulgebant Romani. ED.

8. Beverlandi MS. *hinc et inde*. — *Incertis sonat hinc et hinc fritillis*. Fritillus erat lignea quædam turricula rotunda, in quam *tali* demittebantur, in ea versati rotatimque inde excussi, ne scilicet possent digitis ita componi, ut caderent ad jacentis voluntatem, quod hodieque fit: ideoque addidit epitheton *in-*

*certis* quod jactatus per fritillum non sit aleatori certus, ut solet aliquibus esse per manum. Fritilli usum et manus improbitatem testatur Martialis, lib. XIV, epigr. XVI, de turricula seu fritillo: « Quærit compositos manus improba mittere talos? Si per me misit, nil nisi vota facit. » Horatius, II, sat. VII: « Qui pro se tolleret atque Mitteret in pyrgum talos. » Turnebus, lib. XXVII, cap. 3. Turriculam et fritillum distinxit Suidas: idem tamen videtur, quem scribit Martialis de turricula, lib. XIV, epigr. XVI. Seneca, de ludo Claudii: « Nam quoties missurus erat resonante fritillo Utraque subducto fugiebat tessera fundo. »

9. *Et ludit rota* ed. antiq. Ferrar. ann. 1471; Ald. 1501; Junt. Colin. Gryph. Ald. 1550; Plant. etc. *Popa* Scriverius e codd. restituit, cui velficatur codex Bodleianus, *pompa* a librario perperam scripto pro *Popa*. Qui *rota* legunt interpretantur, aleatorum circumstantium corona. — *Et ludit popa nequiore talo*. Popæ erant sacrificuli seu sacrorum in cædendis victimis administri, vulgo vafri homines et nequam. Illi igitur, Saturnalium diebus, talis ludebant, sed talis nequioribus, id est, non fortunæ tantum arbitrio permissis in fritillo, sed ad manum jactis, ita ut dolo locus esset. Hæc est lectio Scriverii, Gruteri, etc. ex codice Palatino, quam omnino adoptamus; is est

Nostris otia commoda Camœnis.  
 Nec torva lege fronte, sed remissa  
 Lascivis madidos jocos libellos.  
 Sic forsan tener ausus est Catullus  
 Magno mittere passerem Maroni.

sensus qui nobis ideo maxime verisimilis videtur, quod voces *incertis* et *nequiore* nobis certe videantur inter se oppositæ. ED. — Sed Brodæus legendum censet *tropa* e loco Pollucis, lib. IX. «Ludi genus, inquit Pollux, quæ *tropa* dicitur, vulgo fit, talis immissis in scrobem ad eos commode excipiendos comparatam.» — Alii legunt *rota*: Raderus intelligit ipsum *fritillum* dici *rotam*, quia rotundus fritillus velut turricula, ex qua intus gradatim aspera tali excutiebantur: quare autem dicat, *nequiore talo*, non mihi compertum est, nisi forte, quod tali pruriginem libidinis excitent, ut docet Junius, Animadv. lib. IV, cap. 13; et lib. II, cap. 4, quod talis lusum est pro fæminis. Ramiresius hunc versum a nemine intellectum, ut ait, intelligere se putat hoc sensu. *Rotam* accipit pro corona aleatorum, quam sic vocat Martialis a similitudine rotarum: sedebant enim aleatores in orbibus quos cingebant omnes circum. — *Nequiore talo*. Hoc est, talis manu jactis sine fritillo, in quo jactu manus improba compositiones et nequitias patrare potest; ita ut aleatores alii, ut in versu præce-

denti, fritillis uterentur, alii manu luderent. Judicet lector. — *Talo*. Talus est apud Latinos quem a Græcis vocant astragalum. Plinius, l. XXXIV, ubi Polycleti meminit: «Fecit et dstringentem se et nudum telo incedentem, atque duos pueros item nudos talis ludentes; qui vocantur Astragalizontes.» Alia pleraque, ut hoc probet, testimonia adducit Calcagninus de talorum ludo.

10. *Nostris otia*, etc. Aliquid otii tribue legendis meis versiculis.

12. *Madidos*. Liberioribus jocos tinctos.

13. *Tener*. Propter molles et amatorios versus. — *Ausus est Catullus*. Ætate Virgilium præcessit Catullus, cujus carm. III est de passere mortuo Lesbæ; ideo non potuit mittere carmen Virgilio, sed hoc fingit Poeta, ut se cum Catullo æquiparet, Silium autem cum Virgilio, quem diligenter imitatus est, conferat. De passere Catulli, vide lib. I, epigr. VIII. Mallet legere Schrevelius, *ausus et Catullus*, hac mente: Sic forte etiam Catullus si vixisset coævus Virgilio, ut tibi ego, ausus fuisset mittere suos hendecasyllabos.

## XV.

AD CÆCILIANUM.\*

MILLE tibi nummos hesterna luce roganti,  
 In sex aut septem, Cæciliane, dies,  
 Non habeo, dixi : sed tu causatus amici  
 Adventum, lancem paucaque vasa rogas.  
 Stultus es? an stultum me credis, amice? negavi 5  
 Mille tibi nummos : millia quinque dabo?

\* Cæcilianum quemdam irridet Poeta, quinque millia (hodie nostræ monetæ 890 franc.) petentem, quum mille (356 franc.) sint negata. Vide tabulas ad calcem hujus volum. Ed.

1. In edd. vett. *hesterna nocte*. Pulmanni et Beverlandi MS. *hesterna luce*, quod habent etiam Gruteri et Cagnerii vett. codd. Langius tamen et Raderus habent *nocte*. Hic autem ita lectionem suam fulcit : « Servo hanc scripturam cum docto Gontio. Hospites ad vesperam, vel etiam noctem advenire solent, et docet hoc Christus apud Lucam. Cæcilianus, tempore usus, venit

noctu, ut necessitatem ostenderet et facilius falleret. » Tota res est ficta; Martialis ipse vix mille nummos habuit.

2. *In sex*, etc. Post sex aut septem dies redditurus, ut aiebas.

3. *Non habeo*. Negabat Poeta, forsans habens, ne malefido creditos perderet. Ed.

4. Beverlandus legit *pandaque vasa*, ut apud Virgilium, *Georg. II*: « Lancibus et pandis fumantia condidit exta. » Lanx, *μυζονόμος* in Gloss.

6. *Millia quinque*. Id est, vasa empta quinque nummorum millibus, quæ nunquam mihi redderes.

## XVI.

IN GALLUM.\*

PRIVIGNUM non esse tuæ te, Galle, novercæ

\* Criminationem continet hoc epigramma in Gallum quemdam, quod rem cum noverca vivo patre habuisset, et eandem mortuo patre retineret : desumit conjecturam

ab eo, quod contra consuetudinem omnium privignorum, novercam domi retineret. *Ramires*.

1. *Privignum*, etc. Suspicio et rumor erat tibi, patre vivo, plus

Rumor erat, conjux dum fuit illa patris.  
 Non tamen hoc poterat vivo genitore probari.  
 Jam nusquam pater est, Galle; noverca domi est.  
 Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris,  
 Et te defendat Regulus ipse licet;  
 Non potes absolvi: nam quæ non desinit esse  
 Post patrem, nunquam, Galle, noverca fuit.

officii seu commercii fuisse cum noverca, quam quod privignum deceret.

3. *Non tamen hoc poterat, etc.* Nam cum patre te habitare honestum erat, poterasque negare adulterium. Nunc sit secus, mortuo patre. Vid. lib. I, epigr. LXXV.

4. *Nusquam, etc.* Mortuus est; ultra morem tamen novercam domi tuæ retines.

6. *Te defendat, etc.* Per adulationem Ciceroni æquiparat in causis dicendis Regulum; de quo sæpe supra, lib. I, epigr. XIII, LXXXIII, et CXII; lib. II, epigr. XCIII, etc.

7. *Non potes absolvi edit.* Junt. ann. 1512. — *Nam quæ non, etc.* Rara privignis cum novercis concordia. Quum itaque elato patre novercam feras, certe propior illi eras quam privignus.

## XVII.

AD PAULUM.

FACERE in Lyciscam, Paule, me jubes versus,  
 Quibus illa lectis rubeat, et sit irata.  
 O Paule, malus es: irrumare vis solus.

1. *In Lyciscam.* Meretricem fellatricem quam urbane carpit Poeta, quum de Paulo conqueri videatur. Lyciscæ, scorti famosissimi meminit Juvenalis, sat. VI, versu 123: « papillis Prostitit auratis titulum mentita Lyciscæ. »

2. In eadem Junt. margini adscriptum est: « rubeat et sit irata vetus codex ».

3. *Malus es.* Malo animo et dolo facis hoc, ut, me rivali excluso, Lycisca, adversus me irata, solus fruaris.

## XVIII.

DE PUERO PER STIRIAM CADENTEM JUGULATO.\*

QUA vicina pluit Vipsanis porta columnis,  
 Et madet assiduo lubricus imbre lapis,  
 In jugulum pueri, qui roscida templa subibat,  
 Decidit hyberno prægravis unda gelu :

Ἡ πυλεὼν σαλαίη Βιψανοῖς κίοσι γείτων,  
 Καὶ δεύει ὑανίδως ἐνδελέχεια λίθους,  
 Λαυκανίην ἐς παιδὸς ἀνάκτορα βάντος ἀν' ὑγρὰ  
 Χειμερινοῦ κρυμοῖ' ἔμπεσε τρηχὺ τρύφος.

\* Describit miserandum pueri casum in cujus jugulum concreta frigore cecidit stiria, cujus acies eum occidit. ED. — Est huic geminum epigramma lib. III, Anthol. Flacci cujusdam de Thrace puero, qui quum in Hebro luderet, ruptoque gelu, mergeretur in aquas; quum imæ partes aquæ impetu traherentur, caput quod supereminēbat abscissum est ipso gelu. Quod epigramma Germanicus pæne ad verbum latinissime convertit. *Ramiresius*.

— *De puero glacie occiso* lemma est in Ald. Junt. Colin. etc.

1. *Vipsaniis* legit Ant. de Rooy. Vide ad lib. I, epigr. cix. — *Qua vicina*, etc. Portam Capenam intellige, de qua vid. lib. III, epigr. XLVII, vs. 1; quam prope erant aquæductus, unde guttæ grandes depluebant. — *Vipsanis... columnis*. M. Vipsanius Agrippa, Cæsaris Augusti gener, ædificavit templum in honorem omnium deorum, quod

appellavit Pantheum, addiditque porticum columnis suspensam et lauris obumbratam; de qua vide lib. I, epigr. cix, vs. 3; lib. II, epigr. xiv, vs. 9; lib. III, epigr. xix, vs. 1. Ejus porticus meminit Plutarchus in Galba.

2. *Lubricus*. In quo pes falli facile potest, quia madet aqua, imbre, guttis stillantibus. ED. — *Lapis*. Aream intellige lapidibus stratam, seu pavementum.

3. Codd. Florent. et Vat. habent *qui roscida templa subibat*; et sic legunt Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Junian. Lang. Delph. etc. alii *tecta*. — *Roscida templa*. Transibat puer per portam Capenam ad porticum Vipsanam, quam appellat *templa*, quod ita vocentur ædificia magna; atque *templa roscida*, quod guttis ex aquæductu depluentibus quasi rore inspergeretur.

4. *Hyberno prægravis*. Stiria concreta et in acumen desinens, quod jugulum pueri transfixit. ED.

Quumque peregisset miseri crudelia fata,  
 Tabuit in calido vulnere mucro tener.  
 Quid non sæva sibi voluit Fortuna licere?  
 Aut ubi mors non est, si jugulatis, aquæ?

Ἦμος δ' αἰνοπαθοῦς μόρον ἤνυσεν, εὐθὺς ἀκωκῆ  
 Αὐτο πάγου θερμῷ τραύματι τηκομένη.  
 Φεῦ, ποῖ οὐ χώρησε Τύχης ἐξουσίη; ἢ ποῦ  
 Οὐ μόρος ἔς', εἰ καὶ σφακτικόν ἐστὶν ὕδωρ;

6. *Tabuit.* Calore vulneris tepuit ac soluta est stiria ex parte qua confoderat pueri jugulum, non secus ac gladii mucro.

7. *Quid non, etc.* An mortis ul-

lum genus est, quod fortuna hominibus inferre pro arbitrio suo non possit? ED.

8. *Si jugulatis, aquæ.* Aquæ mergunt, non fodiunt.

## XIX.

### DE ENDROMIDE.\*

HANC tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,  
 Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet,

\* Mittit ad amicum endromiden, vestem haud ita pretiosam quidem, sed calori fovendo aptissimam; munusque vulgare commendat ab utilitate sua. ED.

— *De Andromide* in edd. vett. *Ad Sequanicum* Beverlandi MS.

1. *Hanc tibi Sequanicæ, etc.* Tibi pro dono mittimus hanc endromiden, quæ est alumna, id est, opus contextum a muliere Sequanica; et quæ, licet apud barbaros confecta, græcum nomen habet; parum lautum munus, fateor, sed contra frigus utilissimum. ED. — *Sequanicæ.* Texebantur hæ vestes

in Gallis, et præcipue apud Sequanos, id est, populos ad fontem Sequanæ fluvii habitantes: olim *le comté de Bourgogne*. — *Pinguem.* Crassa, villosaque erat vestis, per cujus densam texturam haud facile permearet exterioris flatus aeris. ED. — *Textricis.* Lanificium apud Veteres sœminarum fuisse notissimum est. — *Alumnam.* Textricis alumnam vocat hanc vestem metaphorice, quod quemadmodum alumnae a nutricibus aluntur ac educantur, sic augetur et educitur a textrice pannus.

2. *Lacedæmonium.* Vocatur enim

Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri  
 Dona, peregrinam mittimus endromida :  
 Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,

5

*endromis*, quia ἐν τῷ δρόμῳ, id est in cursu, utebantur ea Græci, ne e stadio exeuntes sudore malidi, inde frigore admissio in morbum inciderent. Eam forte invenerant Lacedæmones, quæ deinde in Galliis texi cœpit, nec tamen nomen amisit pristinum. Ed. — *Lacedæmonium, barbara*. Græci *barbaros* appellabant omnes populos qui extra Hellada habitabant, aut etiam qui non ore rotundo attice loquebantur. Sic Romani barbaros dicebant omnes peregrinos, exceptis tamen Græcis; hoc est, cur Martialis inter se opponat has voces *Lacedæmonium, barbara*. Ed.

3. *Sordida*. Quia inelegans, uncta, crassa, villosa, etc. — *Decembri*. Per Saturnalium dies mos erat Romanis munera mittere: modo epigr. XIV supr. miserat Silio suum libellum; nunc amico, quem non nominat, mittit munus iis non contemnendum, qui frigus decembri arcere volunt. Juven. de adulate quodam: « Rides? majore cachinno Concutitur; flet, si lacrymas conspexit amici, Nec dolet. Igniculum brumæ si tempore poscas, Accipit endromidem; si dixeris: Æstuo; sudat. Ed.

4. *Andromeda* in codice Vatic. *Endromiden* Junt. et Colin. *Endromeda* cod. Florent. — *Peregrinam*. Gallicam, seu Laconicam.

5. Beverlandi MS. *trepidumve trigona*. — *Seu lentum*, etc. Hic incipit endromidis utilitates enumerare, id est, varias exercitationes

quibus confectis imprudenter frigori vel pluviae te objeceris. Ed. — *Lentum*. Pingue, viscosum. — *Ceroma teris*. Ceromate, id est, unguento ex oleo et pulvere, uncti palæstritæ certabant; quod vel *terendo* conficiebatur; vel *terendo* linendoque corpori affricabatur; vel corpori illitum variis motibus *terebatur*. — *Tepidumve*. Ut hic locus intelligatur, breviter aliquid dicendum de pilarum genere, et ludo: quatuor ergo fuerunt pilarum genera, quibus ludebant Antiqui, follis scilicet, trigonalis, paganica, et harpastum. Follis erat pila magna ex aluta confecta, soloque vento repleta, quæ si major erat, brachiis impellebatur. Propertius, lib. III: « Quum pila veloces fallit per brachia jactus. » Si minor, pugnis ejiciebatur, atque pugillaris follis vocabatur, ut apud Plautum in Rudente: « Follem pugillatorium faciam Extemplo hercle ego te. » Trigonalis pila, quæ parva erat, non triquetra figura, sed a loco trigono, vel a numero, figura, aut situ ludentium. Stabant enim tres eo ordine, ut trigonum seu triangulum efficerent. Vide lib. XII, epigr. LXXXIV. *Tepidum* vero dicit, vel quod ludentes calefaceret, vel potius quod attrectata pila ludentium et sudantium manu tepesieret. Paganica, qua in pagis et gymnasiis quoque ludebatur, major trigone, folle vero minor, farciebatur pluma, lib. VII, epigr. XXXII; et libr. XIV, epigr. XIV: « Hæc

Sive harpasta manu pulverulenta rapis;  
 Plumea seu laxi partiris pondera follis;  
 Sive levem cursu vincere quæris Atham :

quæ difficilis turget paganica plumea Folle minus laxa est, et minus arcta pila. » Postremum est *harpastum* a græco verbo ἀρπάζω, *rapio* : pila erat omnium minima ex corio, quam alter ludens alteri rapiēbat, quum repercussu surgeret (gallice, *rebondir*). Hæc ex Mercuriali, de Arte Gymnastica, lib. II, cap. 5. — *Trigona*. Erat hæc pila omnium minima et durissima, stipato et denso pilo (unde pilæ nomen) facta; utraque manu impellebatur et excipiebatur: prima et summa cautio erat, ne terram contingeret, sed ut adhuc volans geminaretur. Cur vocaretur *trigona* in nota præcedenti diximus; alii tamen putant hoc nomen ei datum fuisse ex figura loci huic ludo ædificati; et *tepidum* appellari a Poeta, quia per hiemem calore modico fovebatur ille idem locus, ne exsuti ad ludendum homines facile post ludum perfrigererent. — Alii legunt *trepidum*, atque intelligunt de concursatione ludentium, et ne pila caderet, caventium. ED.

6. *Harpasta*. Erat harpastum pila major paulo, quam trigona; panno conciso, lana vel tomento implebatur, quam alii aliis conabantur eripere, et ad suas transferre partes; tum sicubi decideret, accurrentes catervatim humi se invicem prosternebant, pulvere et sudore infecti. — *Pulverulenta*. In pulvere ludebant Antiqui, igitur quoties terram attingebat pila, pulverulenta resurgebat. ED. —

*Rapis*. Intellige aliis eripis (videatur supra) vel e terra resultantem acriter suscitās: sic Lucanus in Panegyrico ad Calpurnium Pisonem: « Nec tibi nobilitas minor est, si forte volantem Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem, Et non sperato fugientem reddere gestu. » ED.

7. *Plumea*. Pila follis corio tecta (follis idem erat apud Veteres ac pellis), et vento distenta, levior erat cæteris. Igitur hanc appellat *plumeam* Martialis; lentius fertur illa, tardiusque descendit unde senibus et pueris commodior. — Vel per *plumeam* pilam intellige paganicam quæ plumis farciebatur. ED. — *Laxi*. Vel minime duri; vel majoris, utpote quæ vento conflata. ED. — *Partiris pondera*. Impellis per vices, justa divisione facta cum collusoribus. Vel intellige; metiris et tecum computas ubi et quando lapsurus sit follis, quod quidem ut perspicias, pondus tibi æstimandum. Acuta antithesis *plumea pondera*, id est, levissima: ponuntur *pondera* pro motibus ipsius follis. ED.

8. Pulmanni codex habet, *forsan vincere quæris Atham*. Hermolaus Barbarus Castigat. lib. VII, pro *Atham* legit *Athan*; sed codd. Florent. et Vatic. exhibent *Atlan*. — *Atham*. Puerum levem et cursu velocem. Vid. Plin. lib. VII, c. 20, et Alex. Neap. lib. II, c. 21. Vel nomen fictum a poeta, Atta enim est qui terram leviter attingit. *Festus*.



Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,  
 Neve gravis subita te premat Iris aqua.  
 Ridebis ventos hoc munere tectus et imbres :  
 Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

10

9. *Madidos*. Hic intelligo madidos sudore, contra omnes interpretes, qui intelligunt pluvia madidos. Ed.

10. *Iris*. Pluviarum nuntia, quam existimabat vulgus rapere aquas e pluviis quas iterum emitteret. Sic lib. XII, epigr. xxix, vs. 6 : « Casuras alte sic rapit Iris aquas » ; et Plautus in Curculione : « Ecce autem bibit arcus, pluet, credo, hodie. » Vide et Virg. Georg. I, versu 380. Physicis autem recentioribus compertum est, irim, seu arcum caelestem radiis solis, quos segregant per analysim imbris nunc cadentis guttulæ, constare. Ed.

12. Codex Florent. pro *sindone*

habet *Sidone*. Pulmanni codex, *sindone cultus eris*. Ramires. de Prado, *sindone nudus eris*. Juntina nostra in margine, *sindone tectus eris*; sed *tectus* præcesserat. — In Tyria *sindone*. Quam Julius Pollux, in lib. VII, cap. 16, sic explicat : Σινδών, ἔστιν Αἰγυπτία μὲν, περιβόλαιον δ' ἂν εἴη, τὸ νῦν δίχρσσον καλούμενον : *Sindon quidem est Ægyptiaca; amiculum vero est, quod nunc utrimque fimbriatum vocant*. Dicta autem est, ut opinatur Bayfius, quia primum in urbe Sidone hujusmodi amictus fieri cœpit. Quamobrem Tyria a Martiali dicta : erant enim vicinæ urbes Tyrus et Sidon. Vid. lib. II, epigr. xvi, vs. 3.

## XX.

## DE CÆRELLIA ET GELLIA.\*

DICIT se vetulam, quum sit Cærellia puppa :  
 Puppam se dicit Gellia, quum sit anus.

\* Duo in duabus fœminis contraria vitia reprehendit; alterum Cærelliæ, quæ quum esset puppa, id est, adolescentula et tenera, se vetulam dicebat : alterum Gelliæ, quæ quum reapse esset anus, se vocabat puppam, et teneram fingebat gestu et voce. Ramires. — *Puppa*. Puella. Pupus, populus et pupillus, puerilia et blandæ appel-

lationis nomina. Rutgers. Hinc vox gallica : *poupée*.

— Hoc epigramma superiori adjunctum legitur in editione Schrevel. ann. 1670, in ejusdem edit. prima ann. 1656, non item. *Ad Collinum* vero inscribitur in codice Thuaneo.

1. *Cherellia puppa* legitur Beverlandi MS.

Ferre nec hanc possis, possis, Colline, nec illam :  
Altera ridicula est, altera putidula.

4. *Altera ridicula est.* Ridicula est Cærellia cum sua illa gravitate; Gellia inepte delicata cum ista sua concinnitate. E contrario autem sic explicat hunc locum Farnabius: *Altera ridicula est, Gellia, quæ anicula capularis, vocem et gestus effingit puellæ: altera vero putidula, Cærellia, quæ puella, gravitatem affectans anilem, se fastidio exponit. Putidi et putiduli dicuntur, qui sibi ipsi displicent: hoc Cicero quodam in loco: « Displicebam mihi: alibi dixit: eram pudulus. » Quum autem quisquam sibi dis-*

*plicet, contrahit frontem et caret omni hilaritate: et propterea, ait poeta, alteram mulierem cupientem videri puellam, adeo gestire, ut sit ridicula et non puella; alteram cupientem videri anum, non solum videri anum, sed putidulam, id est, quæ, per fastidium et tædii gravedinem, quoslibet proprios ætati juvenili lepores et festivos mores respuit, ut videatur anus, per se putidula res. Domit. Ramiresius explicat putidum, quod cogit nos avertere vultum, et veluti fastidium gignit.*

## XXI.

DE SELIO.\*

NULLOS esse Deos, inane cælum  
Affirmat Selius, probatque; quod se  
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

\* Cujusdam Seli taxat impietatem, qui cum Diagora negabat ullos esse deos; et magis impiam adducebat impiæ sententiæ rationem, quod dum negaret deos, se divitem factum esse videret.

— *De Celio* est lemma in Ald. Junt. Colin. etc. *De Segio* in codd. Florent. et Vat.

1. *Inane calum.* Hoc est, diis

vacuum, vel rem commentitiam, ut interpretatus sum.

3. *Videt beatum.* Multa in hanc sententiam vide apud Senecam lib. « Quare bonis viris mala accidant, quum sit providentia. » Vide et Cicer. III, de natura Deor. de Harpalo et Dionysio. — *Beatum.* Divitem. Vide lib. VIII, epigr. XLII; lib. X, epigr. LXXIII, vs. 5.

## XXII.

DE CLEOPATRA UXORE.\*

PRIMOS passa toros, et adhuc placanda marito,  
 Merserat in nitidos se Cleopatra lacus,  
 Dum fugit amplexus : sed prodidit unda latentem;  
 Lucebat totis quum tegetetur aquis.  
 Condita sic puro numerantur lilia vitro :

Ἀκμὴν πρωτόγαμος Κλεοπάτρη, τῷ τε συνεύνω  
 Οὐκέτι ἰλαμένη, γείτον' ἐσήλαθ' ὕδωρ,  
 Πείρην δειμαίνουσα· τὰ δ' ὕδατά μιν κατέλεγε·  
 Στίλβεν γὰρ καὶ ὄλη κύμασι κρυπτομένη·  
 Λεῖρι' ἐν ὑαλίνοις διακρίνεται ἄγγεσιν οὔτω,

\* Primam, prima inter hymenæi gaudia, pudoris fugam, uxoremque novam novi conjugis blanditiis iratam blanditiisque placatam canit Martialis, et oscula illa luctantia, qualia describit Horat. lib. II, od. 12; et Bolæus noster, Art. Poet. lib. II :

... Un baiser cueilli sur les lèvres d'Iris,  
 Qui mollement résiste, et par un doux caprice,  
 Quelquefois le refuse, afin qu'on le ravisse. EN.

— *De Cleopatra* in aliis. — *De Cleopatra uxore* inscribitur in Ald. Junt. Colin. etc. *De Cleopatra natatrice* in Beverlandi MS.

1. Codd. Florent. et Vat. *nec adhuc placanda*. — *Primos passa*. Cleopatra Martialis uxor, amissa virginitate, subirata marito, in aquas se immersit, quam tamen sequutus ille invitam deosculatus est.

2. *Merserat in liquidos* Ant. *de Rooy*. Vide Ovid. Met. III, 407;

IV, 354; Heroid. Epist. XV, 157; Avian. Fab. II, 4; et Snakenb. ad Curt. III, 1.

4. *Lucebat totis*, etc. Similis est locus Aristæneti lib. I, epist. 3, cujus verba ex versione Merceri sunt : « Sub platano fons amœnissimus fluit aquæ tam frigidæ, ut pede rigorem sentias; tam limpida, ut nantibus nobis et per aquæ pelucidum vitrum amanter amplexis membra clare apparerent omnia. » Vid. *Boissonade*, p. 15, edit. 1822.

5. *Candila sic puro* Beverlandi MS. — *Numerantur lilia*. Translucent adeo ut numerari possint : existimat Ramiresius Veteres liliis delectatos ea solere vitreis vasis condere, ne scilicet facile ab aere corruerentur, et forte ne gravior eorum odor læderet caput, quod usu venire sæpe videmus. Sic Ovid. lib. IV, Metam. « In liquidis trans-

Sic prohibet teneras gemma latere rosas.  
 Insilui, mersusque vadis luctantia carpsi  
 Basia : perspicuæ plus vetuistis aquæ.

Κρύσταλλός τε λαθεῖν οὐκ ἔαα τὰ ρόδα.  
 Εἰσδύς ἐγὼ τὸ λοετρὸν, ἀναινομένην ἐφίλησα·  
 Τοῦ δὲ πλέον τολμᾶν εἶρξε διαυγὲς ὕδωρ.

lucet aquis, ut eburnea si quis Signa  
 tegat claro vel candida lilia vitro.»  
 Item dicit Ramiresius de rosis in  
 sequenti versu; vel forte, ait, hæc  
 ambo intelligenda sunt de specu-  
 laribus quibus solebant hortos et  
 vites ipsas tegere ne frigore aut aere  
 læderentur. Vid. lib. VIII, epigr.  
 XIV, vs. 3.

6. Pro *teneras* Schrevelius legit  
*tenuis*. — *Gemma*. Omne vitrum et  
 omnem materiam quæ vitri instar  
 nitet ac perlucet, appellat Poeta  
*gemmam*. Vid. lib. VIII, epigramm.  
 LXVIII, vs. 5; lib. XII, epigr. XL,

vs. 3; lib. XIV, epigr. xx et cx,  
 etc. — *Rosas*. Non temere rosas  
 liliaque elegit Noster hoc loco di-  
 numeranda; fuit enim semper hic  
 mos poetis, ut quidquid in puellari  
 venustate lene rubet, aut pulchre  
 albescit, rosis et liliis compararent.

8. *Oscula* codex Vaticanus. —  
*Perspicuæ plus*, etc. Ne plene me  
 illi conciliarem, progressus ad *cæ-  
 tera quis nescit*, perspicuitas vel  
 humiditas aquarum fuit impedi-  
 mento. — *Plus* idem est quod  
 Ovid. *cætera*: « Oscula qui sumpsit  
 si non et cætera sumpsit, » etc.

## XXIII.

AD THALIAM, DE BRUTIANO.\*

DUM tu lenta nimis, diuque quæris,

\* Leustringum Brutianum, opti-  
 mum et integerrimum virum testi-  
 monio Plinii junioris, lib. VI, epi-  
 stola 22, laudat ut poetam elegia-  
 cum et epigrammaticum græcum,  
 nobilissimoque græco epigramma-  
 tario Callimacho anteferendum; et  
 optat ut, si epigrammata latina  
 scribat, secundus ipse ab eo nume-  
 retur. Est autem totum epigram-

ma conceptum per apostrophen ad  
 Thalam musam. *Ramires*.

— *Ad Thalam* lemma est in  
 edd. vett.

1. *Dum tu lenta nimis*. Sic totius  
 epigrammatis sensum putamus in-  
 telligendum: O Thalia, dum dubia  
 hæres et cunctabunda, diu delibe-  
 ras quis, *inter Brutianum et Calli-  
 machum*, primus secundusque sit

Quis primus tibi, quisve sit secundus;  
 Graium quisve epigramma comparabit;  
 Palmam Callimachus, Thalia, de se  
 Facundo dedit ipse Brutiano.  
 Qui si Cecropio satur lepore,  
 Romanæ sale luserit Minervæ;  
 Illi me facias, precor, secundum.

in græco epigrammate condendo, quisve eorum epigramma græcum totum sibi comparabit ac quasi suo jure vindicabit; ipse Callimachus, non exspectato tuo judicio, se agnoscit inferiorem, et palmas dat Brutiano. Quem si satietas attici carminis ita ceperit, ut, relictis græcis, ad latina epigrammata se accingat componenda, *primus quoque erit, nec invidebo*; sed te rogabo tantum ut tuo auspicio ac favore illi secundus sim. ED.

3. *Gratum quisve* in iisdem; *Gratumque* codex Florent. comparavit Beverlandi MS. — *Graium quisve epigramma comparabit*. Hanc vocem comparare latine sumi pro vindicare sibi censemus, ita ut hic versus significet: *quis duorum istorum scriptorum totam epigrammatis græci laudem sibi arrogabit*. (Vide supra.) ED.— Alii autem intelligunt: quisve componet græca epigrammata subaud. *optime*. — Alii: quis sua epigrammata comparare poterit, subaud. *cum epigrammatis Græcorum vatum et præcipue Callimachi*.

4. *Callimachus*. Floruit in Ægy-

pto Olympiade cxxv Callimachus, poeta Cyrenæus, quem in antiquam dignitatem restitutum nuper in lucem edidit erudita Tanaquilli Fabri filia; vixit temporibus Ptolemæi Philadelphi, quo familiariter usus est. Epigrammata, hymnos et elegias græce scripsit elegantissimas; a Brutiano tamen illum superari dicit Martialis. — *Thalia*. Musa jocosum. Vid. supra, epigr. VIII, vs. 12.

5. *Brutiano*. Qui, probitate et rerum gestarum non minus quam poetica laude nobilis, imperante Trajano floruit.

6. *Qui sic Cecropio* Beverlandi MS. *Qui si secropio* Junt. ann. 1512. — *Cecropio*. Attico. Cecrops regnavit primus omnium Athenis. Vide lib. I, epigr. xxvi, v. 3. Brutianus ubi se a Græcis poematibus ad latina contulerit, primus erit inter Latinos; cui proximus ut sim, opto. ED.

7. *Romanæ scolæ* cod. Florentinus exhibet.

8. *Secundum*. Sic Callimacho Græco se Latinum parem facit.

## XXIV.

DE LYCORI, AD FABIANUM.\*

OMNES, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas  
Extulit; uxori fiat amica meæ.

\* *Ad Fabianum* lemma in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Lang. Junian. *Ad Fabianum de Lycori venefica* in aliis.

1. *Amicas extulit.* Quadam fati quasi ludentis libidine; non enim, ex verbo *amicas* et toto epigrammate explicarem, sed specie falsæ amicitiae facile intelligerem Lyco-

rim fuisse meretricem veneficam, quæ æmulas omnes veneno interficiebat. ED.

2. *Extulit.* Verbum funeris proprium; quia Veteres *efferebantur* electo ad rogam. ED. — *Uxori fiat amica.* Ut tædio matrimoniali liberer, et fatum quoque de uxore mea ludat. ED.

## XXV.

DE LITORIBUS ALTINI ET AQUILEIA.\*

ÆMULA Baianis Altini litora villis,

\* Altini litoris circumjacentisque regionis delicias præfert, aut saltem æquat Baiarum deliciis, amœnumque illum suæ senectutij, ubi sui juris erit, destinat recessum, ut Horatius Tibur, lib. II, od. 6, vs. 5: « Tibur Argeo positum colono, Sit mea sedes utinam senectæ, Sit modus lasso maris et viarum Militiæque! » ED.

— Ante hoc epigramma multa ex lib. I erant in codice Cagnerii: similis confusio est in Colin. et Junt. vide ad lib. I, epigr. CIV, CV. *Ad Aquileiam* Pulmanni codex. De

*littoribus Altini* inscribitur in edit. veteribus.

1. *Baianis.* Baiæ, locus amœnus in Campano litore, juxta Lucrinum sinum, inter Puteolos et Misenum montem; ibi aquæ calidæ, et celebrata erant balnea. — *Altini.* Altinum, *Altino*, Italiæ oppidum non cedens amœnitate Baiis, ab Hunnis et Attila eversum atque incensum, nunc in ditione Veneta, inter Pataviam et Concordiam, ad mare Adriaticum. Ἔστι δὲ καὶ τὸ Ἄλτινον ἐν ἑλει παραπλήσιον ἔχον τῆ Ῥαουέννη τὴν θέσιν: *Est et Altinum*

Et Phaethontei conscia sylva rogi;  
 Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno  
 Nupsit ad Euganeos sola puella lacus;  
 Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo,

5

in palude, eodem quo Ravenna situ; Strabo, lib. V. Plinius, lib. III, cap. 16 et 18; Pomponius, II.

2. *Et Phaethontei*, etc. Est silva, Pado vicina, quæ Phaethontis cadentis in Padum testis et conscia fuit. Intelligit populos, in quas mutatae fuerunt infelicis aurigæ sorores, fratrem, fulmine Jovis combustum, ad Padi ripam deflentes; et quarum lacrymas electrum formasse poetæ fingunt.

3. *Quemque* in edd. vett. — *Quæque Antenoreo*, etc. Tuque, o puella, pulcherrima Dryadum, quæ sola nupsisti ad Euganeos lacus cum Fauno Patavino, etc. Id est, vosque, o silvarum pulcherrimæ (Dryades enim silvis præerant), quæ junctæ estis prope Euganeos lacus, agris et saltibus Patavinis, etc. ED. — *Antenoreo*. Troja profugus Antenor, prope Padi fluminis ostia, in littore Veneto, Patavium, hodie Padova, condidit. Virgil. *Æn.* lib. I, vs. 242: « Antenor potuit, mediis elapsus Achivis, Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus Regna Liburnorum et fontem superare Timavi, Unde per ora novem vasto cum murmure montis It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti. Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit Troia. » ED. — *Dryadum*. Dryades (δρυς, quercus), nymphæ silvarum præsides. — *Fauno*. Fauni erant ruricolæ dei,

qui, ut Silvani, in nemorum recessu latitabant; qui apud Græcos Satyri, iidem apud Romanos Fauni. ED.

4. *Euganeos*. Euganei populi fuere Galliæ Transpadanæ in Veneta nunc ditione, quorum regio dicitur *Marca Trevisana*, vel Trivigiana. Quidam eos collocant inter lacus Larium et Benacum; alii, versus Athesim et Vicentiam. — *Solâ*. Hoc esse proprium nomen lacus ad radices collium Euganeorum, quem hodie indigenæ vocant *la Solana*, contendit Laur. Pignorius, Epist. symbol. 14. — *Lacus*, Veneti seu Tarvisani lacus 23 numerabantur.

5. *Aquileia Tymanno* Beverlandi MS. — *Et tu Ledæo felix*, etc. Et tu, Aquileia, quæ nobilis fluvio Timavo vicino, cujus undam per septem ostia in mare erumpentem bibit Cyllarus equus Castoris, filii Ledæ, etc. ED. — *Ledæo*. Castor enim et Pollux, Ledæ filii, cum Argonautis Timavum præterverexere: Plinius, lib. III, cap. 18. — *Aquileia*. Urbs olim clarissima, primaria Carnorum, infra Forum Julii, ab Hunnis vastata anno 452, nunc viculus, *Aquilegia*. Vide Cluverii Italiam, lib. I, cap. 20. — *Timavo*. Timavus, *Timavo*, fluvius est Carnorum in Italia; erumpit ex monte in agro Fori Julii, hodie *le Frioul*, et in sinum Adriaticum devolvitur: ejus ostia scindunt aliquot exiguæ insulæ; hinc per ora septem aut novem in mare fluere dicitur, tanta

Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas;  
 Vos eritis nostræ portus requiesque senectæ,  
 Si juris fuerint otia nostra sui.

decurrrens aquarum copia, ut *maris fons* appelletur, et dicatur *mare ipsum* a Virgilio, loco supra citato: « It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti. » Ed.

6. *Cyllarus*. Equus Castoris qui ad hoc litus appulit cum Argonautis. Vide lib. VIII, epigr. xxviii, vs. 7 et 8: « An tua multifidum numeravit lana Timavum, Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit. » Ed. Etsi non comitatus est Cyllarus Castorem in navigatione,

poeta more poetico loquitur, et quia Castor ad ora Timavi delatus erat, illum equo significat per metonymiam. *Rader*.

7. *Vos eritis*. Hujus voti immemor vel non compos fuit Martialis quem in Hispania Bilbili obiisse constat.

8. *Si juris*, etc. Si meo arbitrio otiosam componere mihi potero senectutem, et locum eligere amœnum, ubi ultimo jucunde sopiar somno. Ed.

## XXVI.

AD POSTHUMUM.\*

QUOD te mane domi toto non vidimus anno,  
 Vis dicam, quantum, Posthume, perdiderim?  
 Tricenos, puto, bis; vicanos ter, puto, nummos.  
 Ignosces; togulam, Posthume, pluris emo.

\* Comparat pecuniam salutato patrono acceptam cum pretio togæ salutato patrono tritæ, quod quidem quum majus sit, valedicit patrono. Vid. lib. IX, epigr. ci. Ed.

1. *Mane non vidimus*. Id est, non salutavimus, ut clientes solent.

3. Codex Pulmanni exhibet, *de nostris computo nummis*. — *Tricenos puto, bis; vicanos ter*. Plerique interpretes; inter quos *Raderus*, addunt priorem numerum posteriori:

unde fit sportula annua centum et viginti nummorum, nostræ monetæ circiter 22 francorum: at æstimo potius poetam eandem pecuniæ summam iterare eo consilio, ut exiguitatem fortius notet. Ed.

4. *Pluris emo*. Atque ideo plus damni facio tuam domum ventitando, deterendoque et consumendo meam togulam, quam lucri, te conveniendo, et pecuniam accipiendo, qua tritam togam renovare nequeo.



## XXVII.

AD CÆSAREM AUGUSTUM DOMITIANUM.\*

SÆPE meos laudare soles, Auguste, libellos.

Invidus ecce negat : non minus ergo soles.

Quid, quod honorato non sola voce dedisti,

Non alius poterat quæ dare dona mihi?

Ecce iterum nigros corrodit lividus unguis.

Da, Cæsar, tanto tu magis, ut doleat.

\* Urbane petit ab Imperatore munera, quod laudatus sæpe ab ipso sit et donatus muneribus non contemnendis : attamen quum et laus, et munera lacesserent invidorum maledicentiam ; rogat Cæsarem, ut muneribus sibi dandis, augeat invidorum dolorem. *Ramir.*

— *Ad Augustum* inscribitur in edd. vett.

2. Raderus reponendum putat cum interrogatione : *num minus ergo soles?* — *Negat.* Meos videlicet libellos esse tantopere laudandos. — *Non minus ergo.* Hoc loco *ergo* significat propter hanc causam, idcirco. Sensus est : licet invidus neget, non idcirco libros nostri Poetæ minus legebat Domitianus. Sic Cicero in Catone majore : « Ne postulantur quidem vires a senectute, *ergo* et legibus et institutis vacat ætas nostra muneribus iis quæ non possunt sine viribus sustineri. »

3. *Quid.* Hoc est, quid vero faciet invidus? etc. — *Honorato non sola voce.* Me quidem verbis et lau-

dibus honorasti, sed non verbis tantum ; addidisti munera quæ Cæsar unus mihi dare poterat. *Ed.* — *Dona.* Jus trium liberorum, lib. II, epigr. xci et xcii ; dignitatem tribunitiam et equestrem, lib. III, epigr. xciv, vs. 9 et 10.

5. Codex Vat. *contorsit lividus unguis* ; quod habent etiam Ald. Junt. et Colin. — *Corrodit*, etc. Invidia et animi anxietate : solliciti enim animi signum, unguium corrosio. Persius, sat. V, vs. 162, inducens Chærestratum rationes dispicientem, quibus jugum amoris ferre se recusaret, dicit : « Crudum Chærestratus unguem Abrodens, ait hæc. » De poetis quoque vulgatum est : Horat. sat. x, lib. I, de Lucilio, « Sæpe caput scaberet, vivos et roderet unguis. » Vid. et Pers. sat. I, vs. 120.

6. *Da, Cæsar.* Artificiosa mendicatio ; ut non tum petere, quum maxime petit, videatur, quam ulcisci invidum, eum dolore puniendo quo dignus est.

## XXVIII.

AD CHLOEN.\*

DONASTI tenero, Chloe, Luperco  
 Hispanas, Tyriasque, coccinasque,  
 Et lotam tepido togam Galeso,  
 Indos sardonychas, Scythas smaragdos,  
 Et centum dominos novæ monetæ,  
 Et quidquid petit usque et usque donas.

\* Huic Fabullæ (sup. epigr. IX) haud absimilem deridet Chloen, quam omnibus bonis in gratiam amantis sui Luperci se denudantem, nudam relictam iri a Luperco ait Poeta. Lupercus, nomen proprium, at Luperci in Lupercalibus ludos agebant nudi, ad quod alludit Martialis. Virg. Æneid. VIII, 663; « nudosque Lupercos. » ED.

1. *Tenero*. Adolescentulo, delicato: idem est quod *gracilis* apud Horat. lib. I, od. 5; et apud Nostrum, lib. XI, epigr. XLIV, v. 4.

2. *Hispanas Tyriasque coccinasque*, etc. Subaud. lacernas. — *Hispanas*. E lana Bætica: Bætis, ut Clitumnus et Galesus, pecudibus bonus alendis. Vid. Juvenalis sat. XII: « vestem Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam, Atque alias quarum generosi graminis ipsum Infecit natura pecus, sed et egregius fons Viribus occultis, et Bæticus adjuvat aer. » Hispanæ tamen seu Bæticiæ lacernæ non vulgo delicatis usurpatæ, quia nativo, non artificiali colore tingebantur. Vid. lib. I, epigr. xcvii, v. 5. ED.

3, 4. Hi duo versus transpositi sunt in Ald. Junt. et Col. — *Et lotam tepido*, etc. Vid. lib. II, epigr. XLIII, vs. 3.

4. *Indos sardonychas*. Vid. lib. II, epigr. xxix, vs. 2. — *Smaragdos*. Gallice *émeraudes*.

5. *Et centum numeros* in Ald. Junt. et Colin. *nummos* in aliis. *Nūmus* (*nummus*), et *nūmus*, id est *numerus*, sæpissime permutata a librariis. — *Dominos*. Hanc lectionem e veteri codice expressam cæteris anteponimus, intelligimusque centum nummos signatos effigie Domitiani qui Deus Dominusque appellabatur. Sic Horat. Art. Poet. de Chæriilo poeta: « Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos. » Exstat etiam moneta recentior, quæ eodem sensu vocatur, *un souverain*. Domitius intelligit Flavios: nam Flavii erant a Flaviis imperatoribus signati, hoc est, Vespasiano, Tito et Domitiano, quorum illud erat cognomen. — *Novæ monetæ*. Quæ majori erat in pretio quam trita: hinc munus suum insana magis commendabat Chloen. ED.

Væ glabraria, væ tibi misella :  
Nudam te statuet tuus Lupercus.

7. *Miscella Beverlandi MS.* — *Glabraria.* *Glaber* sine pilis est; *Glabraria* est proprie ovis tonsa: quædam autem erant oves glabro ventre quæ nullo apud Antiquos pretio. Vide Varr. lib. II, cap. 2, de Re Rustica. Hoc verbo igitur Poeta exprimit insaniam Chloes, quæ se rebus omnibus spoliabat et quasi expilabat.

8. *Nudam te.* In Luperci nomine ludit Poeta: Luperci enim erant sacerdotes ab Evandro instituti in honorem Panos, vel, ut alii volunt, a Romulo; qui Lupercales ludos ce-

lebrabant Februantes, et nudi per urbem discurrebant, fœminasque sibi obvias percutiebant hædinis pellibus; et ipsæ ad id palmas præbebant, quod hoc ictu fœcundæ fieri credebantur. Juven. sat. II: «Nec prodest agili palmas præbere Lupercis.» Ovid. Fast. II: «Tertia post Idus nudos aurora Lupercos Aspicit, et Fauni sacra bicornis erunt.» Igitur nudus erat adolescens Lupercus, ut Lupercus sacerdos, id est, sine bonis; muneribus vero Chloes cumulatus, nudam sua vice relinquet illam. Ed.

## XXIX.

AD PUDENTEM.\*

OBSTAT, care Pudens, nostris sua turba libellis :  
Lectoremque frequens lassat et implet opus.  
Rara juvant : primis sic major gratia pomis ;  
Hybernæ pretium sic meruere rosæ :

\* Ratus Martialis sic esse comparatos homines, ut, quod rarum est, id majori habeant in pretio, timet ne sua musa nimiam sui copiam lectori faciendo, et nugas sine fine accumulando, fastidium tandem pariat. Id confirmat expressis ab alio rerum ordine multis exemplis; quibus concludit legendum esse Pudenti unumquemque suorum libellorum quasi solus esset, quo gratior fiat epigrammatis cujusque raritate lepos. Ed.

1. *Obstat.* Id est, libelli mei sibi ipsi nocent, nimis crebris carminibus legentem satiantes. — *Care Pudens.* Erat ille dilectus Nostro amicus. Vid. lib. I, epigr. XXXII; lib. IV, epigr. XIII; lib. VI, ep. LVIII; lib. VII, ep. xcvi, vs. 3, etc. Ed.

3. *Juuant.* Placent. Alium tamen sensum ejusd. verbi *juvare* notavimus lib. I, epigr. XIII, vs. 11. Ed.

4. *Hybernæ*, etc. Quia rariores quam vernæ, et alieno quidem tempore, proveniunt; eas ex Ægypto

Sic spoliatricem commendat fastus amicam,  
 Janua nec juvenem semper aperta tenet.  
 Sæpius in libro memoratur Persius uno,  
 Quam levis in tota Marsus Amazonide.

mitti solere, et tamen Domitiano imperante Romæ nasci testatur, lib. VI, epigr. LXXX; Romani enim, omnium deliciarum amantes « Parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis innatassent rosæ », ut ait Pacatus in Panegyri. Theodosii. Ed. — *Rosæ*. Sic lib. X, epigr. XCIII, vs. 5: « Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo. »

5. Sunt qui legant *Faustus*; at *fastus* hic est illa meretricum ars, qua fastidire fingunt amatores suos, quo acrius inoendant. Alii legunt *Fastus*, litera majuscula, ita ut sit nomen proprium. *Fustus* Langius, errore forsitan typhothetarum. — *Sic spoliatricem*, etc. Superbum fastidium meretricis magnum poscentis pretium, et amatorem rarius admittentis, facit ut majori in pretio sit et gratior quam Chloes (sup. epigr. XXVIII), vel Fabullæ (supra, epigr. IX), munera dantis, non accipientis, nec unquam negantis facilitas. Vid. Ovid. Amor. lib. I, eleg. 8, et de Art. lib. III; et apud nos *Ducerceau*: *Pain dérobé réveille l'appétit*. Ed. — *Fastus*. Illa meretricum ars studio peculiari habita, nec cæteris feminis ignota, quam gallico sermone vocamus, *la coquetterie*. Ed.

7. *Sæpius in libro numeratur* Pulmanni codex et Beverlandi MS. — *Sæpius in libro*, etc. Plura sunt quæ a memori lectore retineantur in brevi Persii satirarum libro, quam

in longo poemate Marsi, quo bellum scripsit contra Amazonas. Ed. — *Persius*. Notissimus poeta satiricus, et a nonnullis primus omnium satiricorum judicatus, qui, Nerone imperante, sex satiras unico libello comprehendit, de quo Quintilianus, lib. X, cap. 1: « Multum, et veræ gloriæ quamvis uno libro Persius meruit. »

8. Sicut duo fuere Codri, unus poeta celebris a Virgilio laudatus, alter a Juvenale explosus; ita quoque duos crediderim fuisse Marsos, unus ab Ovidio cum Rabirio comparatus, alter hic a Martiale *levis* dictus. Nam quod Scaliger in codd. *Codrus* legerit, vix adducor habere fidem, quum opt. Thuan. Florent. aliosque pervolverim, qui cuncti habent *Marsus*. Scaliger intelligit eum Codrum, de quo in Juvenal. sat. I. Vereor tamen ne ipsum fefellerit corrigendi labor. *Beverland*. — *Levis in tota*. Pauca possunt esse in multis voluminibus; et sunt auctores quorum versus magis numerandi sunt quam ponderandi. Ed. — *Marsus*. Non existimo cum Calderino hunc esse Marsum, nobilem epigrammatographum, cujus meminit in epist. lib. I; lib. VII, epigr. XXI, vs. 8; quem æquat cum Catullo, lib. VII, epigr. XCIX, vs. 7; et cui, si Flaccus in se fuerit benignus, sperat se similem fore lib. VIII, epigr. LVI, vs. 24: sed alium quemdam arbitror heroicum poetam, quem ideo *levem* quasi

Tu quoque de nostris releges quemcumque libellis,  
Esse puta solum : sic tibi pluris erit.

nullius pretii vocat : quam notam credibile non est voluisse inurere epigrammatographo poetæ cujus se similem esse optaverat. *Ramires.* — Alii tamen putant hic de Marso epigrammatographo qui non optimum forsitan scripserat poema he-

roicum, a suo ingenio scilicet alienum. Judicet lector. Ed.

9. Edd. vett. *quæcunque libellis.* Lectio nostra Raderi ingenio debetur.

10. *Pluris.* Majori in pretio propter fictam raritatem. Ed.

### XXX.

#### AD PISCATOREM.\*

BAIANO procul a lacu monemus,  
Piscator, fuge, ne nocens recedas.  
Sacris piscibus hæ natantur undæ,  
Qui norunt Dominum, manumque lambunt  
Illam, qua nihil est in orbe majus.

\* Celebrat Baianos pisces Domitiano sacros, et monet piscatorem ut procul ab eo lacu recedat; terretque eum ficta narratiuncula cujusdam Afri, qui dum hamo in eo lacu ausus est piscari, repente captus oculis fuit. *Ramires.*

1. *Baiano.* Vid. lib. I, epigr. LX, vs. 1, et multis aliis locis.

2. *Nocens.* Impius, sacrilegus, violatis piscibus Domitiano deo dedicatis, quos neque piscatori fas hamato ambire munere, neque coco in jus vocare. Sed alibi item sacri habebantur quidam pisces: Oppian. et Ath. lib. VII; Ælian. lib. XII, Animal. c. 2; Varr. de Re Rustica.

4. *Dominum.* Suet. in Domitiano, cap. 13: « Pari arrogantia quum

procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus et deus noster sic fieri jubet. » Ed. — *Manumque lambunt.* Manum Domitiani intelligit, ut supra, epigramm. 1: « Perque manus tantas plurima quercus eat »; et epigr. VIII: « Ingentique tenet pocula parca manu ». — *Lambunt.* Utrum verum hoc sit, sit fides penes poetam: ea tamen apud alios auctores legimus de hoc genere, ut probabile videri possit. Vid. Plin. et Ælian. lib. VIII, Animal. cap. 4; et Nostrum lib. X, epigr. xxx, vs. 22 et sqq. Vide Joannis Meursii dissertationem de Luxu Romanorum, quam in tertio nostri Val. Maximi volum. inseruimus. Ed.

Quid, quod nomen habent, et ad magistri

Vocem quisque sui venit citatus?

Hoc quondam Libys impius profundo,

Dum prædam calamo tremente ducit,

Raptis luminibus repente cæcus 10

Captum non potuit videre piscem :

Et nunc sacrilegos perosus hamos,

Baianos sedet ad lacus rogator.

At tu, dum potes, innocens recede,

Jactis simplicibus cibus in undas, 15

Et pisces venerare dedicatos.

6. *Quid, quod.* Vehementius instandi gratia *quid quod* in oratione ponitur. Cicero pro lege Manilia : « Quid, quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen adducitur? » — *Magistri.* Sic eum appellat qui piscinæ curam habebat.

7. *Ad vocem quisque.* Non habere meatus et foramina auditus, audire tamen scribunt Aristot. lib. IV, Animal. et Plin. lib. X, cap. 70. Credunt physici recentiores, quum pisces nullis ad audiendum aditibus instructi sint a natura, eos percipere sonum et vocem per commotionem aeris cujus fit aqua particeps, quæ nempe vibratio partes maxime sensiles, ut branchias, impellere valet. ED.

8. *Hoc quondam, etc.* Afer quispiam ausus hic piscari, repente ex sacrilego piscatore factus est cæcus mendicus. Miraculum hoc olet poetam. — *Hoc profundo.* Hoc mari, Baiano lacu. — Gruterus legit, *Libys improbus*, quod non spernendum putat Gronovius.

9. *Dum prædam, etc.* Sic lib. I,

epigr. LVI, vs. 9 : « Et piscem tremula salientem ducere seta » ; et lib. X, epigr. xxx, vs. 16 et sqq. : Nec seta longo quærit in mari prædam, Sed a cubili lectuloque jactatam, Spectatus alte lineam trahit piscis. » Sic nostras *Boisjolin* in poemate, *la forêt de Windsor* :

Le pêcheur immobile, attentif et penché,  
Tient sa ligne tremblante ; et sur l'onde attaché  
Son avide regard semble espérer sa proie  
Et du liège qui saute et du roseau qui ploie. ED.

13. Beverlandi MS. *rogare.* — *Rogator.* Mendicus, subaudiendo stipis, nam rogare stipem est mendicare. Lib. X, epigr. v, vs. 4 : Interque raucos ultimus rogatores » ; et lib. XII, epigr. LVII : « A matre doctus nec rogare judices. »

15. *Simplicibus, etc.* Non hamatis, non medicatis.

16. *Et pisces sine errare delicatos* in Beverlandi MS. *delicatos* placet Grutero : nam *delicata* Veteres dixerunt pro *dedicata*, et *delicare* pro *dedicare*, teste Festo. — *Dedicatos.* Ut versu 3 supra ; id est, consecratos Domitiano.

## XXXI.

## AD HIPPODAMUM.\*

QUOD cupis in nostris dicique legique libellis ;  
 Et nonnullus honos creditur iste tibi :  
 Ne valeam , si non res est gratissima nobis ,  
 Et volo te chartis inseruisse meis.  
 Sed tu nomen habes averso fonte sororum

\* Hippodamo , locum in Martialis operibus habere cupienti et honorificum sibi ducenti , respondet Poeta ejus nomen versibus parum accommodatum esse : similia sunt epigrammata de Earino lib. IX , epigr. XII , XIII et XIV. ED.

2. *Creditur iste tibi.* Beverlandi MS. In aliis esse.

3. *Ne valeam.* De his formulis , *Ne valeam* , et *Dispeream* , dictum supr. lib. I , epigr. XL , vs. ultimo ; et lib. II , epigr. v , vs. I. — *Est.* Esset. ED.

4. *Volo.* Vellem , intellige. ED.

5. In Beverl. MS. *aversa fronte* , et sic legit Scriverius ; in edd. vett. *aversum fonte*. — *Averso fonte* , etc. Id est , aversis numinibus Parnassi ubi fons Hippocrene , cujus aquæ œstrum poetis subjiciunt. ED. — *Averso fonte sororum Impositum.* Cur hoc dicat Martialis varia interpretis quisque expositione explicavit. — Alii intelligunt de syllabarum contumacia metro repugnantium : at tamen vox *hippodamus* in versu heroico , et elegiaco , multis in locis locum habere potest , nec est de eo quod de Earino , lib. IX , epigr. XII , XIII , et XIV : quum au-

tem infra Martialis ab eo dicat abhorrere Melpomenen , elegiaci carminis , et Calliopen , heroici carminis præsidem , non admittenda mihi videtur hæc explicatio. — Alii intelligunt de significatione verbi , dicuntque Hippodamum , *equorum domitorem* (ἵππος , equus ; δαμάω , domo ) , nomen esse bello ac pugnis convenientius quam Apollini et Musis , eo tantum utentibus , quum arma sint canenda. Sin autem vera esset hæc explicatio , dixisset Martialis ab hoc nomine abhorrere Melpomenen elegiaci carminis præsidem , fateor ; sed num dixisset ab eodem abhorrere Calliopen , carminis heroici deam , quum mille in locis Homerius hanc vocem usurpet , et Virgilius quoque inducat Messapum *equum domitorem* , etc. etc..... — Nec magis adoptarem sententiam horum qui putant hoc nomen aurigam sonare et agitatore equorum , quod munus mancipiorum est , et ideo parum bellum et honestum esse , quum hoc putasse Pindarum , Homerum , Virgilium minime credam. — Hoc igitur tantum superest , ut putemus hanc vocem a Martiale damnari ,

Impositum, mater quod tibi dura dedit :  
 Quod nec Melpomene, quod nec Polyhymnia possit,  
 Nec pia cum Phœbo dicere Calliope.  
 Ergo aliquod gratum Musis tibi nomen adopta :  
 Non semper belle dicitur Hippodamus.

quia per aspirationem primæ litteræ, et reduplicationem subsequentem litteræ *p*, habet aliquid quod auribus delicatis repugnet; cujus sensus mihi fidem facere videtur vox *dura* in versu sequenti. Judicet lector. Ed.

6. *Impositum*. Namque alter parentum nomen infanti imponebat. Quandoque honoris gratia alicui ex amicis nominis imponendi dignatio concedebatur. *Herald*.

7. *Quod neque Melpomene* in edd. vett. *Polymneia* cod. Pulmanni. — *Quod nec Melpomene*. Tres Musas pro triplici carminum genere posuit. Melpomene præest tragædiis et elegiis: unde Horatius I, od. 24: « Præcipe lugubres Cantus, Melpomene », etc. — *Nec Poly-*

*hymnia*. Cui curæ sunt versus lyrici. Horat. I, od. 1: « nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton. »

8. *Calliope*. Versibus heroicis præsidet. Horat. lib. III, od. 4: « Descende cælo; et dic, age, tibia, Regina longum, Calliope, melos. » Virgil. *Æn.* IX, 525: « Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti. » — *Piam* dixit, vel quia filii sui Orphei mortem deflevit, vel quia heroum et maxime deorum laudes canit.

9. Beverlandi MS. *nomen adoptes*.

10. *Hippodamnus* in eodem. Sic Hippodamna et Hippodamia apud Justinum M. Conf. Ovid. ex Pont. IV, 12; Rutil. Numat. ad Rufum 419, et Sirmond. ad Sidon. 103, pag. 222.

## XXXII.

### DE APE ELECTRO INCLUSA.\*

ET latet et lucet Phaethontide condita gutta,

\* Deciderat forte electri lacryma in apim, et deinde guttatim globulus factus fuerat, in quo quasi tumulo perlucido sepulta perspiciebatur apis: idem ait de vipera infr. epigr. LIX, et de formica, lib. VI, epigr. xv.

— Hujus epigrammatis lectio-

nem non variant membranæ, aut libri excusi.

1. *Phaethontide gutta*. Electro. Phaethontides, id est, sorores Phaethontis, quum eum lugerent extinctum, mutatæ sunt in populos, e quibus defluit electrum, quod earum lacrymas esse poetæ fingunt.



Ut videatur apis nectare clausa suo.  
 Dignum tantorum pretium tulit illa laborum.  
 Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Ovid. II, Metam. Vide supra epigr. xxv, vs. 2. — Est autem electrum visci genus, pretiosum, per-lucidum, flavum et spissum; gallice, *ambre jaune*, unde orta est vox gallica, *électricité*.—*Condita*. Hoc sæpe evenire testis est Plin. lib. XXIII, cap. 7; Tacitus, de moribus Germanorum in fine, succinum arborum esse succum ait: « Quia terrena quædam atque etiam volucra animalia plerumque interlucent, quæ implicita humore, mox dure-sciente materia, cluduntur. » Et divus Ambrosius, lib. II Hexameron, cap. 15: « Quid autem tibi referam quod electrum lacryma virgulti sit, et in tantæ materiæ soliditatem du-

rescat? Nec levibus id asseritur testimoniis, quando folia et minutissimæ surculorum portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro sæpe reperiantur, quæ videtur, quum adhuc gutta esset, mollior recepisse, et solidata tenuisse. » Vid. lib. III, epigr. LXV, versu 5.

2. *Nectare clausa suo*. Id est, suo melle; electrum quippe mellis colorem refert.

3. *Pretium*. Sepulcrum tam nobile. — *Tantorum laborum*. De quibus fuse Virg. Georg. IV, et Plin. in Historia.

4. *Voluisse*. Ut nempe in electro sepeliretur.

### XXXIII.

AD SOSIBIANUM.\*

PLENA laboratis habeas quum scrinia libris,  
 Emittis quare, Sosibiane, nihil?  
 Edent hæredes, inquis, mea carmina: quando?  
 Tempus erat jam te, Sosibiane, legi.

\* In hoc epigrammate etiam nulla est lectionis varietas.

1. *Scrinia*. Vid. lib. I, epigr. iv, versu 2.

2. *Emittis*. Cur tua illa opera non in lucem edis, ut vivus tua laude fruaris?

4. *Tempus erat*. Sosibianum quemdam irridet Poeta: videtur enim

ipsum hortari, ut edat suos libros; sed quum nolit Sosibianus legi, nisi post suam mortem, intelligit Poeta jam mori illum debuisse, quo legi possent ejus libri. Heraldus sic explicat: Tempus erat decessisse te, et ossa tua esse lecta post concremationem: nam ad ossilegium profecto videtur alludere.

## XXXIV.

AD ATTALUM.

SORDIDA quum tibi sit, verum tamen, Attale, dicit,  
Quisquis te niveam dicit habere togam.

1. *Nivea* vox quum apponitur voci *sordida*, significat *candida*, *pura*; quum opponitur voci *calida*, significat *frigida*. Vide lib. III, epigramm. xxxiv, de Chione. Ludit igitur in ambiguitate verbi Martialis, dicens vestem sordidam esse *niveam*, id est, *frigidam*, quia defloccata frigus intromittebat, et cerea erat, ut illa vestis Mamuriani,

lib. I, epigr. xciii, versu 7; vel etiam intellige *niveam*, ita tritam, ut fila nuda albescerent. Vid. lib. IX, epigr. L, vs. 8: « Quam possis niveam dicere jure tuo. Ed. — *Dixit* in aliis. *Attale dicit* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Junian. Lang. Delph. etc.

2. In iisdem codicibus legitur, *dicit habere togam*.

## XXXV.

DE PUGNA DAMARUM.\*

FRONTIBUS adversis molles concurrere damas

\* In spectaculis veteribus non modo feræ emittebantur in arenam ut leones, tigres, ursi, rhinoceros, elephantes, tauri, sed etiam mansuetiores, et cicures, veluti grues, ut testatur Xiphilinus in Tito, galli gallinacei, ut scribit Ælianus, lib. II, cap. 2, de varia historia, et Plin. lib. X, cap. 21, et Herodianus in Severo: simiæ etiam, quæ parva corporis declinatione ictus missilium evitabant, ut hic Noster, lib. XIV, epigr. cci: « Callidus emissas eludere simius hastas, Si mihi cauda foret, Cerco-

pithecus eram. » Et lepores, ut supra dictum est pluribus in locis: denique damæ, ut patet ex hoc epigr. et infr. epigr. lxxiv. Vide et librum Spect. epigr. xxxii.

1. *Frontibus adversis*. Qui autem mos est cornutorum animalium. — *Molles*. Sunt natura sua imbelles damæ; lib. XIII, epigr. xciv: « Dente timentur apri; defendunt cornua cervos. Imbelles damæ, quid nisi præda sumus? » Miratur ergo Poeta fugacia animantia in mutuam necem concurrentia, ut faciunt tauri vel gladiatores. Ed.

Vidimus, et fati sorte jacere pari.  
 Spectavere canes prædam ; stupuitque superbus  
 Venator, cultro nil superesse suo.  
 Unde leves animi tanto caluere furore?  
 Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

5

2. Pulmanni vetus codex : *et fato forte jacere pari.* — *Et fati sorte jacere pari.* Et sese invicem perimere. Ed.

3. *Spectavere*, etc. Steterunt canes otiosi spectatores oblatae ultro prædæ : qui quidem non sæviunt in morientia animalia. — *Superbus.* Gloriantur venatores feris a se interfectis. — *Cultro*, etc. Cultrum proprium venatoris, quo jugulabant feras, quas ceperant venabulo, cominus vel frustrato ictu propius ad eas accedebant. Lib. XIV, epi-

gramm. xxxi, de cultro : « Si dejecta gemes longo venabula rostro, Hic brevis in grandem cominus ibit aprum. » Vide et lib. VII, epigramm. xxvii.

5. *Unde leves animi.* Domitiano adulatur, cujus numine damas fuisse concitatas intelligit Poeta, ut vidimus lib. Spect. et alibi innumeris in locis.

6. *Sic cecidere.* Gladiatores scilicet. Forsan viri in prælio fortiter dimicantes. Vide lib. Spect. epigr. xxix, vers. 8.

## XXXVI.

### AD OLUM.

CANA est barba tibi ; nigra est coma : tingere barbam  
 Non potes, hæc causa est ; sed potes, Ole, comam.

1. *Tingere barbam.* Forte quia fucus tinctorius in barba minus commode quam in capillis tegebatur ; quum enim barbam vix promitterent Romani, fucus non poterat hæere in cute nuda aut brevioribus barbæ pilis. — Vel forte quod Olus eodem morbo laborabat, quo Charinus, de quo lib. I, epi-

gr. lxxviii, unde facile dilueretur fucus : vel quod nollent mulieres, quibus impurum oris præstabat officium, fucum barbæ illitum circa inguina adhærescere. *Ramires.* Vid. lib. III, epigramm. xliii. Festive suadet, ut capillos natura nigros canitie inficiat, quam ad dissimulandam vulgo tingitur coma. Ed.

## XXXVII.

AD AFRUM.\*

CENTUM Coranus, et ducenta Mancinus,  
 Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,  
 Decies Sabinus, alterumque Serranus;  
 Ex insulis fundisque tricies soldum,  
 Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi: 5  
 Totis diebus, Afer, hoc mihi narras:  
 Et teneo melius ista, quam meum nomen.  
 Numeres oportet aliquid, ut pati possim:  
 Quotidianam refice nauseam nummis.  
 Audire gratis, Afer, ista non possum. 10

\* Ut Mancinum infr. epigr. LXI, sic Afrum, importunum suarum opum jactatorem, Noster hoc epigrammate deridet; cui, debitorum suorum nominibus, et annuorum proventuum computationibus Martialis aures retendenti, ait ille, non posse audiri tantas pecuniæ numerationes, nisi numerata quadam, in pretium patientiæ, pecunia. ED.

1. *Centum Coracinus* in quibusdam: *Coranus* habent edd. antiquiss. — *Centum, ducenta, trecenta.* Adjunge millia sestertium: adverbis vero *bis, decies, tricies, ter*, adde centena millia sestertium.

2. *Debet. Mihi.*

3. Alii legunt *Cerranus*, quod exhibet Beverlandi MS. alii, *Sarranus*, alii denique *Sarranus*. Similis confusio est apud Juvenalem,

VII, 80. — *Alterumque.* Decies et alterum decies, id est vicies.

4. Beverlandi MS. *solidum.* — *Ex insulis.* Ædificia in urbe quæ sola stant, ab aliis ita sejuncta, ut aliquo vico undecumque ambiantur, quemadmodum veræ insulæ cinguntur mari. Sub Imperatoribus vox illa sumebatur pro omnibus ædibus conductitiis; ex quarum locatione magnam pensionem percipiebat Afer. — *Tricies soldum.* Tricies solidum, id est, integrum, ut lib. I, epigr. c, vs. 1, dixit: « vicies plenum. »

5. *Ex pecore Parmensi.* Oves Parmenses interpretare, quarum lana passim laudatur a nostro poeta. Vid. lib. II, epigr. XLIII, vs. 4.

7. *Teneo melius ista.* Memoriam meam commissa. ED.

## XXXVIII.

AD GALLAM.\*

GALLA, nega : satiatur amor, nisi gaudia torquent :  
Sed noli nimium, Galla, negare diu.

\* Monet Gallam, ut aliquamdiu neget, ne scilicet satietur amor, non tamen perneget, ne odium pariat. Lena Ovidiana, eleg. 8, lib. Amor. I: « Sæpe nega noctem, etc. Mox recipe, ut nullum patiendi colligat usum; » et idem poeta, III de Arte: « Dulcia non ferimus, succo renovamur amaro »;

vide et Ausonii epigr. xxxviii, atque Anthologiæ lib. VII, epigramma Κεγγλίζεις, etc.

— In hujus epigrammatis lectione nulla est varietas in libris impressis, aut scriptis.

1. *Galla, nega.* Ejusdem argumenti est lib. I, epigr. LVIII, et epigr. LXXXII infra.

## XXXIX.

AD CHARINUM.\*

ARGENTI genus omne comparasti,  
Et solus veteres Myronis artes,  
Solut Praxitelis manus, Scopæque,

\* Charinum eundem cujus jam impuritatem notavit lib. I, epigr. LXXVIII, eodem vitio tectius hoc epigrammate taxat, ludens in verbo *argentum purum*, quod significat simul *argentum non cælatum*, et *argentum non contaminatum*. ED.

1. *Argenti.* Argenti facti, id est, argenteorum vasorum. Sic lib. VII, epigr. LXXXVI, vs. 7; lib. VIII, epigr. LXXI, vs. 1.

2. *Et solus*, etc. Gloriaris te habere, vel diligenter et anxie tibi

comparasti vasa archetypa cæлата et elaborata ab his nobilibus artificibus, Myrone, Praxitele, etc. de quibus Plinius, lib. XXXIV, cap. 8. — *Myronis.* Præclari illi artifices, operibus suis nomen insculpebant suum. Seneca, lib. I, de Tranquill. vitæ, cap. 1: « Placet minister incultus et rudis vernula, argentum grave rustici patris, sine ullo opere et nomine artificis. » *Herald.*

3. *Scopæque* Beverlandi MS.

Solus Phidiaci toreuma cæli,  
 Solus Mentoreos habes labores.  
 Nec desunt tibi vera Gratiana,  
 Nec quæ Callaico linuntur auro,  
 Nec mensis anaglypta de paternis.

4. *Phidiaci*; etc. Phidiacum cælum appellat, quia toreuticen ille primus aperuit ac demonstravit. Vid. lib. III, epigr. xxxv. — *Cæli*. Stili sculptorii.

5. *Mentoreos labores*. Mentor nobilis toreuta. — *Labores*. Proprie enim de cælatura labor. Sic Martialis, lib. VIII, epigr. LI: « Quis labor in phiala? » Hinc *laboriosi cælatores* vulgo dicti.

6. Alii *Gratiana*. *Bera Glaniana* in marg. Junt. quod tribuunt Pithæo. Alii legunt *vasa glaniana*. Pro *Gratiana* alii legendum putant *Gratiana*, ut est apud Plin. lib. XXXIII, cap. 11; alii, *Graniana*; Salmasius, *Gentiana*. Raderus putat retinendum *Glaniana*, quod habent edd. antiquiss. cum Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Lang. etc. Vide var. not. — *Vera*. Non adulterina. Sic lib. IX, epigr. LX, vs. 19; et lib. X, epigr. LXXXVII, vs. 14. Solebant enim avari artifices Veterum manus plerumque imitari, et inscriptiones effingere, quo pretiosiora vasa fierent; quod archetypa imitatis præferrentur. — *Gratiana*. Ex officina Gratii cujusdam, cujus opera tunc placebant (*gallice, étaient à la mode*); ut legitur apud Plinium, lib. XXXIII, cap. 11: « Vasa ex argento mira inconstantia humani ingenii variat, nullum genus officinæ diu probando, nunc Furniana, nunc Clodiana,

nunc Gratiana. » ED. — Alii legunt *Glaniana*, aut *Gratiana*; id est, ab artifice Glanio, seu Gratio confecta. — Alii *Gentiana*. Id genus pocula sunt quæ in castris Gentianis fiebant. *Castra* vero *Gentiana* in septima regione ponuntur a P. Victore. *Vicus* vero *Gentianus* dicitur Sexto Rufo; quæ igitur in illo vico Gentiano fiebant, *Gentiana* dicta. Salmasius.

7. *Callaico* in ed. antiq. Ferrar. Ald. 1501, 1517; Junt. Colin. Gryph. etc. *Gallaico* Junian. Lang. etc. Vide D. Heins. ad Claud. in Prob. I, 49. *Callanico* Beverlandi MS. — *Callaico*. Callaici, sive Gallaici, aut Gallæci, populi sunt Hispaniæ Tarraconensis ad occasum et Boream; attingunt a meridie Lusitaniam; ab oriente Asturias; nunc *la Galice*. Apud eos aurum eruebatur ad deaurandum argentum probatissimum, quodque phialis allini solebat eleganti artificio, fortasse ab illis invento. Lib. XIV, epigr. xcv: « Quamvis Callaico rubeam generosa metallo, Glorior arte magis, nam meus iste labor. »

8. *Anaglypta*. Hoc est, vasa in asperitatem excisa, ut scribit Plin. lib. XXXIII, cap. 11; ab ἀνά, *sursum*, et γλύφω, *scalpo*. Virgil. Æn. lib. V, vs. 267. — *Mensis de paternis*. Hoc addit ut ostendat illorum poculorum antiquitatem, qui-

Argentum tamen inter omne, miror,  
Quare non habeas, Charine, purum.

10

bus usi fuerant Charini majores.

10. *Purum*. Hic epigrammatis acumen et scopus; *purum* enim argentum dicebatur non *contaminatum*, id est, non *cœlatum* aut non

alii metallo *mixtum*; sed ab ambiguo exprobrat Charino (lib. I, epigr. LXXVIII) oris impuritatem, a quo vasa hæc omnia conspurcabantur, et, ut ita dicam, impurabantur.

## XL.

### AD POSTHUMUM.\*

ATRIA Pisonum stabant cum stemmate toto,  
Et docti Senecæ ter numeranda domus;

\* Neglectis divitibus patronis, Noster per annos triginta diligentissime coluerat Posthumum pauperem; qui tacita sic sese quasi obstrinxerat obligatione amicum tam fidèlem remunerandi, si quando potens fieret ac locuples. Quod quum accidisset, et Posthumus dives, quid deberet Posthumus pauper, oblivisceretur, eum ingrati animi reum facit Martialis, Fortunamque incusat, quæ malæ fidei virum ditaverit. ED.

1. *Atria Pisonum*, etc. Sensus est: Poteram mihi patronos et amicos eligere ex domo illa Calpurniorum, cui cognomen fuit Pisonum; quum enim te, Posthume, patronum elegi, florebat illa familia longa virorum nobilissimorum serie, cum toto splendore suo antiquo; patebat mihi etiam celebris Senecarum familia: hos divites omnes tibi postposui pauperi, etc. ED. — *Stabant*. Florebant: Vide

Virgilio *Æneidos* lib. II, vs. 88; et Ovidii *Tristium*, lib. I eleg. 8. —

*Atria*. In atrio seu primo domus aditu collocabantur stemmata et majorum imagines. ED. — *Stemma*. Stemma est ordo genealogiæ in picta arbore ejusque ramis descriptus. Στέμμα proprie coronam significat; nempe ex arboris illius genealogicæ ramis fiebant circuli in modum coronæ, in quibus vel imago, vel nomen alicujus e majoribus poneretur. Seneca de *Benef.* lib. III, cap. 28: « Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles fiunt. » Juvenalis, sat. VIII, vs. 1: « Stemmata quid faciunt? »

2. *Et docti Senecæ ter numeranda*. Ter celebris; vel propter Senecam rhetorem, et filium ejus Philosophum, et Lucanum nepotem; vid.

Prætulimus tantis solum te, Posthume, regnis :  
 Pauper eras, et eques, sed mihi consul eras.  
 Tecum ter denas numeravi, Posthume, brumas : 5  
 Communis nobis lectus et unus erat.  
 Jam donare potes, jam perdere, plenus honorum,  
 Largus opum : exspecto, Posthume, quid facias.  
 Nil facis : et serum est alium mihi quærere regem.  
 Hoc, Fortuna, placet? Posthumus imposuit. 10

lib. I, epigramm. LXII, versu 7; vel propter Rhetoris Senecæ, qui Corduba Romam migraverat, tres filios, scil. Annæum, philosophum eundemque poetam tragicum et Neronis præceptorem; Senecam Gallionem seu Novatum; Senecam Melam seu Mellam, Lucani patrem; de quibus plura apud Lipsium, Elect. I, cap. 1. Hanc opinionem refutat Ramiresius: quum enim extincta esset Senecarum familia, existimat hanc Senecæ domum nobilem dici propter Pollam Lucani uxorem, quæ vidua Martialis tempore mortuum maritum summo studio colebat, ejusque diem natalem celebrabat, ut constat ex lib. VII, epigramm. xx, xxi, xxii. Hanc ergo Pollam colere potuisset Poeta. — Idem intelligit *ter numeranda domus*, valde numeranda, valde celebris, more loquendi græco: alii tantum intelligunt *divisa in tres familias*, propter tres Rhetoris filios.

3. *Regnis*. Regibus. Patronos appellari reges a clientibus jam sæpe diximus. Vid. lib. I, epigr. cxiii; lib. II, epigr. xviii, versu ultimo etc. Ed.

4. *Pauper eras, sed eques legi vult* Scriverius. — *Pauper*, etc. Paupe-

rem te et non patricium, ut Pisones, sed equitem, anteposui te et nobilioribus ac ditioribus; neque tamen secus colui, atque consulem aut consularem. *Rad.*

6. *Communis nobis lectus*. Quo ad mensam accumberemus. — *Et unus*. Communis lectus esse potest duobus amicis, et non unus tamen: potest enim uterque suum lectum habere, et cubare simul altero derelicto vacuo, ut quoties libuerit possint separari. Hoc quamvis sit signum arctissimæ necessitudinis, non tamen tantæ quanta illorum est, quibus duobus tantum unus lectus est, qui nullo casu possunt distrahi et sejungi. *Ramires.*

7. *Jam donare*, etc. Jam largiri amicis munera facile potes, immo multa impune perdere ac sine magno detrimento, ita honoribus et opibus large abundas.

9. *Nil facis*. Nihil mihi largiris, quum tamen maxime nunc indigeam tua liberalitate, quippe qui senex ægre novos patronos sim inventurus, et morte instante non satis habiturus temporis aut virium ad gratiam alicujus aucupandam. Ed.

10. *Fortunæ placet hoc*. Beverlandi MS. — *Hoc, Fortuna, placet?* Cur, o Fortuna, Posthumum beasti,



quem ingratum et avarum fore no-  
ras? An tibi placet his perfidis be-  
nefacere? Neutiquam (respondet  
Fortuna), sed Posthumum libera-  
liorem fore putabam; ille mihi im-  
posuit, tibi que pro eo vota facienti:  
nos fefellit. — *Posthumus imposuit.*

Ejusmodi avaros fallaces vocat Poe-  
ta, lib. I, epigramm. CIV: « In jus,  
o fallax atque inficiator, eamus. »  
Vide lib. II, epigr. XXIV et XLIII,  
et lib. III, epigr. XXVI, in quibus  
Poeta, haud absimilem Posthumo,  
Candidum varie suggillat. Ed.

## XLI.

## IN MALE RECITANTEM.\*

QUID recitaturus circumdas vellera collo?  
Conveniunt nostris auribus illa magis.

\* *In Poetam*, inscribitur in Pul-  
manni codice.

1. *Circumdas vellera.* Intellige fo-  
calia, quæ erant fasciæ, seu vellera,  
a faucibus quas muniebant contra  
ravim (quasi faucalia) dicta, qui-  
bus fauces, aures, et colla munie-  
bant recitaturi, ne frigore corri-  
perentur, nec obstrepentium cla-  
more terrentur. Vide lib. XIV,  
epigr. CXLII.

2. *Conveniunt nostris.* Ne te in-  
eptum recitatore, vel forte in-  
eptum scriptorem audiamus: allu-  
sum videtur ad id Xenocratis:  
« Pueris adversum turpia dicta  
potius muniendæ aures follibus  
quam athletic adversum ictus ad-  
versariorum. » Laertius, IV. Vid. l.  
XIV, epigr. CXLII: « Si recitaturus  
dederò tibi forte libellum, Hoc  
focale tuas asserat aurículas. »

## XLII.

## AD FLACCUM.\*

SI quis forte mihi posset præstare roganti;

\* Laudat Flacci puerum Ama-  
zonicum artificiose: describit enim  
quem puerum optaret, et post lon-  
gam descriptionem talem fuisse  
Amazonicum affirmat. *Ramires.*

1. Alii legunt *locanti* pro *roganti*;  
utraque lectio probari potest. —

*Roganti.* Pretio prostitutum, ut lib.  
IX, epigr. VII et IX. Alii, *locanti*;  
nec quidquam offendit in utraque  
varietate. Commodato petere, per  
verbum *rogare* quoque exprimitur;  
vide supra epigr. XV, versu 1; et  
Cicer. in Verrem.: « Quæ postea-

Audi, quem puerum, Flacce, rogare velim.  
 Niliacis primum puer is nascatur in oris :  
 Nequitas tellus scit dare nulla magis.  
 Sit nive candidior : namque in Mareotide fusca 5  
 Pulchrior est, quanto rarior iste color.  
 Lumina sideribus certent, mollesque flagellent  
 Colla comæ : tortas non amo, Flacce, comas.  
 Frons brevis, atque modus breviter sit naribus uncis ;

quam ille omnia abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo. • Vid. lib. VIII, epigr. LII, vs. 5, in quo Rufo commodat puerum Martialis, et lib. I, epigr. LIX, ubi queritur Martialis se non posse cariorem emere puerum.

2. Et hic etiam nonnulli legunt *locare* pro *rogare*. Ald. Junt. et Colin. quæ versu primo *roganti* habent, hic *locare* exhibent.

3. *Niliacis primum*, etc. In *Ægypto*.

4. *Nequitiam* in edd. vett. — *Nequitias tellus*, etc. Lasciviam et improbitatem veneream. Juvenalis, sat. XV, 45. Vide lib. III, epigr. LXII, vs. 5; Ovid. lib. I Tristium, elegia 2 : « Non ut Alexandri clarum delatus in urbem Delicias videam, Nile jocose, tuas. » Consentiant enim innumera Veterum testimonia, quibus constet *Ægyptios* fuisse deditos nequitiis; deducitur autem illa vox *nequitia* a voce *nequam*, quæ ipsa per syncopen deducitur a *ne quidquam*, id est *nihil*: ita ut homo nequam significet homo nullius pretii, gallice *un homme de rien*; et quum significare vellent Veteres hominem luxuriosum, etc. dicebant *hominem nequam*.

5. *Namque*, etc. *Namque* inter

*Ægyptios*, qui omnes fere fusi sunt, majori in pretio est, quo quis sit candidior. — Poeta, credo, voluit in *Ægypto* plerosque fuscus esse, at cui color candidus, eum esse purissimum. Ed. Vid. lib. X, epigr. XII, vs. ultim. — *Mareotide*. Mareotis lacus est *Ægypti*.

7. *Flagellent*. Dimissæ et diffusæ fluant per colla, non crobylis, annulis, aut cirris calamistratæ. Vid. lib. I, epigr. XXXII, vs. 6 : « Dumque decent fusæ lactea colla jubæ; » et Ovid. lib. III, Art. « Alterius crines humero jactentur utroque, Talis es assumpta, Phœbe canore, lyra. »

8. Juntina nostra margini adscriptum habet *curtas* pro *tortas*, quod probabilius est. Hæc vocabula facillime permutantur in membranis. Vid. Sueton. in Tiber. cap. 68, et Ner. cap. 51.

9. *Frons brevis*, etc. *Frons tenuis* Veteribus in laude. Sic canit Horatius, od. I, 33, ad Tibullum : « Insignem tenui fronte Lycorida Cyri Torret amor. » — *Modus breviter*; etc. Sit modus naribus breviter, id est, modice uncis. Sic fere Petronius loquitur : « Nares paululum inflexæ. » Et Sidonius lib. I, epist. 2, de Theodorico rege : « Nasus venustissime incurvus. »

Pæstanis rubeant æmula labra rosis.

10

Sæpe et nolentem cogat, nolitque volentem :

Liberior domino sæpe sit ille suo.

Et timeat pueros, excludat sæpe puellas ;

Vir reliquis, uni sit puer ille mihi.

Jam scio, nec fallis ; nam me quoque judice verum est : 15

Talis erat, dices, noster Amazonicus.

10. *Pæstanis rubeant æmula r.* In Pæsto Lucaniæ oppido bis in anno proveniebant rosæ. Vid. lib. VI, epigr. LXXX, vs. 6.

11. Alii *Sæpeque nolentem*; alii ex Palat. et vett. edd. legunt, *Sæpe et nolentem* : recte, inquit Farnabius. *Sæpe et nolentem ogat, lolitq; nolentem* in Junt. ann. 1512. — *Sæpe et nolentem*, etc. Grata petulantia et protervitate. Ut sæpe excitentur et quasi cogantur nolentes; sæpeque volentes, quo magis incendantur, ad tempus frustrentur; ut videre est lib. V, epigr. XLVI et LXXXIII, et supr. epigr. XXXVIII.

13. *Et timeat... excludat.* Zelotypia testetur amorem.

14. *Vir reliquis*, etc. Sic vocabant eos quos ad rem veneream inhabiles volebant significare; exsuerant enim puerilem ætatem, quæ sola τὰ παιδικὰ patiebatur. Aliis neget, mihi soli det. Vide lib. I, ep. XXXII, vs. ultim. et lib. V, ep. XLVIII, in fine.

15. *Jam scio*, etc. Respondet voto suo Poeta ex persona Flacci, cujus puerum Amazonicum talem fuisse dicit. — *Nec fallis*. Formula vetus est pro *verum dicis*. Dicebant enim Veteres *si sciens fallo*, id est, *nisi verum dico*. Ramires.

## XLIII.

### IN CORACINUM.\*

NON dixi, Coracine, te cinædum :

NON sum tam temerarius, nec audax,

\* Est faceta quædam in Coracinum illusio expressa per suspensionem, quæ desinit in paradoxon. Negat enim quod minus est probrum, et fatetur quod est majus. Similis jocus refertur a Quintiliano de Junio Basso, lib. VI, cap. 3; qui, querente Domitia Passieni,

quod, incusans ejus sordes, calceos eam veteres diceret vendere solere; *Non me hercule*, inquit, *hoc unquam dixi, sed emere te solere*. Simile est lib. II, epigr. XXVIII, in Sextillum. Ramires.

2. *Temerarius*. Vides distingui temerarium ab audaci. Distinxerunt

Nec mendacia qui loquar libenter.  
 Si dixi, Coracine, te cinædum,  
 Iratam mihi Ponticæ lagenam, 5  
 Iratum calicem mihi Metili.  
 Juro per Syrios tibi tumores,  
 Juro per Berecynthios furores.  
 Quod dixi tamen, hoc leve et pusillum est:  
 Quod notum est, quod et ipse non negabis; 10  
 Dixi te, Coracine, cunnilingum.

et alii. Titus Livius, lib. XXV: « Marcius ad consilium, prima specie temerarium magis quam audax, animum adjecit, ut ultro castra hostium oppugnaret. »

5. Junt. in marg. *Ponticæ lagenam*. Vide lib. II, epigr. xxxiv. — *Iratam mihi*. Supple *precor, habeam*, aut *experiar*. Imprecationis formula. — *Ponticæ*. Veneficæ, quæ, ut Juvenalis ait, aconita filiis suis miscuerat. Lib. II, epigr. xxxiv. — *Lagenam*, .... *calicem mihi*. Vas quo miscetur venenum. Epigr. lxxix infra, vs. 3; et lib. XII, epigr. xciii, versu 4.

6. *Metili*. Venefici; vel etiam putidi, cui fœtebat anima.

7. *Juro per Syrios tibi timores*, in codice Pulmanni. *per Syrium tibi cruorem* Juntinæ marg. — *Syrios tumores*, *Berecynthios furores*. Vid. J. Seldenus Syntagm. II, cap. 3, de Diis Syris. Beroaldus Annot. cap. 25, intelligit tumores et vibices. — *Syrios tumores*. Occasionem riandi dedit hic locus interpretibus. Ego cum Merula intelligo tumores illos, ulcera et morbos quibus credebatur irata Isis inflare pejerantes,

ex mente Persii, sat. V, vs. 187:

« Hinc grandes Galli et cum sistro  
 lusca sacerdos Incussere deos in-  
 flantes corpora: si non Prædictum  
 ter mane caput gustaveris alli. »

Nec quidem Isis sola dea erat, quæ tumores istos mittere credebatur. — Alii tamen putant hic dicere Martialem quod explicat sequenti versu, id est: Juro per tumores provenientes ex verberibus vulneribusque, quæ Galli sibi sacerdotes fanatico furore correpti, jubente Cybele, dea Syria, sibi infligunt. Quam rem graphice depingit Apuleius, Metam. lib. VIII. Hic sensus minus mihi placet. ED.

8. *Per Berecynthios furores*. Id est, per furores quos Cybele ita suis sacerdotibus immittit, ut cultris sibi lacertos, pectus et humeros secent. — *Berecynthios*. Fuit appellata Berecynthia Cybele propter templum quod illi erat in monte Phrygiæ Berecyntho. ED.

9. *Quid dixi tamen? hoc leve*, etc. legit Musambertius.

11. *Dixi te*, etc. Negabat probrum levius, profitetur vero sarcastice quod gravius est.

## XLIV.

## DE VESUVIO MONTE.\*

Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris :  
 Presserat hic madidos nobilis uva lacus.  
 Hæc juga, quam Nysæ colles, plus Bacchus amavit :

Βέσβιός ἐστιν ὄδ' ἄρτι κατὰσκίος οἰνοπέδοισιν·  
 Ὡςδε τρύγη ληνοὺς κλύσεν εὐστάφυλος.  
 Ταῦτ' ὄρε', ἧ Νύσσαν πολὺ μᾶλλον φίλατο Βάκχος·

\* *De Vesbio monte* in edd. vett. — Vesuvium montem nuperrime Deorum benignitate felicem, nunc eorumdem ira tristissimum, non jam vitibus, quas alebat, decorantibus aureum, sed flammis, quas evomit, populantibus horridissimum pingit Martialis. Incendium hoc, Tito imperante, Romanis terrorem injecerat, prodigium omnino inauditum, vel saltem multis a sæculis repetitum, mirantibus. Hoc extinctus est diligentissimus naturæ indagator, Plinius, sicut vixit ita moriens, rerum causas explorando; cujus casum accurate describit Plinius junior, lib. VI, epistola 16, ad Tacitum. Ed.

1. *Vesbuis* in iisdem. — *Pampineis viridis... umbris*. Id est, viridis pampinis umbriferis; sic per metonymiam viriditatem, quæ ad vitem pertinet, tribuit umbræ, quæ semper nigra. Ed. — *Pampineis*. Non priscam fertilitatem dedidicit Vesuvius, multo vino quod Græcum vocatur, nostris diebus copiosus. Ed. — *Viridis modo*. Nunc

autem niger; namque « Cuncta jacent flammis, et tristi mersa favilla. » Ed. — *Vesvius* Vesvius, vel Vesuvius (quem et alii vocant Vesebium, vel Veshium), mons ignivomus in terra Laboris prope Neapolim, nunc vulgo vocatus *il monte di Somma*, tribus millibus et septingentis pedibus supra maris superficiem eminens, et ex anno J. C. 79 ad annum 1779, triginta et tribus eruptionibus celebris. Hunc prope recolligitur vinum vocatum *Lacryma Christi*, sua fama non omnino dignum. De hoc vide Sueton. in Tito, cap. 8, Statium, Silium, Dionem, Eusebium, etc. Florus : « Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherimus omnium, Vesuvius, Ætnæ imitator. » Ed.

2. *Presserat*. Oppleverat. — *Lacus*. Torcularia. Sive intellige vasa quæ excipiunt vinum, torculari expressum. Vide lib. VII, epigr. xxviii, vs. 4.

3. *Beverl. MS. modo Bacchus amavit*. — *Hæc juga*, etc. Ob vini no-

Hoc nuper Satyri monte dedere choros.

Ἦαc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi :

Hic locus Herculeo nomine clarus erat.

Cuncta jacent flammis, et tristi mersa favilla :

Nec Superi vellent hoc licuisse sibi.

Ἐν λόφῳ ἦν Σατύρων τῷδε χοροσασίη.

Κύπριδος ἦν τόδ' ἔδος πολὺ φίλτερον, ἢ Λακεδαίμων.

Χῶρος ὄδ' Ἡρακλέους κλήζετ' ἐπωνυμίη.

Πάντα δ' ὑπὸ σποδιῇ, φλογί τ' ἤμυσεν· ἢ ῥα ἔπεισι

Τοιούτου πάθεος καὶ μετάνοια θεοῖς.

bilitatem Bacchus prætulit Vesuvium montem Nysæ, Indiæ monti, ubi ex Jovis femore editus fuit; unde invenit nomen Dionysii a patre Jove (Ζεὺς, gen. Διὸς), et Nysa (Νύσα.) Prope montem Nysam est urbs Nysa ad fluvium Indum. Plin. lib. VI, cap. 21: « Nysam urbem plerique Indiæ adscribunt, montemque Merum Libero sacrum. » Nysa est quoque unus e verticibus Parnassi.

4. *Satyri.* Bacchi comites Satyri, qui choreas agebant in locis amœnis; eratque eorum locorum summa laus. Sic lib. IX, epigr. LXII, vs. 11, de platanò Cordubensi: Sæpe sub hac madidi luserant arbore Fauni.

5. *Hæc Veneris sedes.* Veneri et Herculi templum in Vesuvio dictum fuit: Lacedæmone autem colebatur Venus. Pausanias in Laconicis.

6. *Herculeo.* Oppidum Herculanum fuit cum Pompeia hoc incendio sepultum. Ed.

7. *Cuncta jacent... mersa favilla.*

Hoc incendio, ut diximus supra, occidit Plinius major. Nec est habenda fides Eusebio, qui scribit duodecimo anno Trajani imperatoris periisse Plinium, dum viseret incendium Vesuvii montis. Nam quum id. Plinius Hist. Nat. lib. II, cap. 106 enumeret ea loca per quæ erumpit ignis e terra, non meminit Vesuvii montis: unde colligitur hoc incendium tempore Titi' vel primum fuisse, vel a multis sæculis repetitum. Non enim fugisset diligentissimum scriptorem incendium ipsius tempore adeo celebre. Sed credibile excitatum fuisse ea fama, ut vellet oculis insigne illud naturæ miraculum perlustrare, ut id literis mandaret, quemadmodum Plinius junior in supra dicta epistola testatur fecisse. *Ramir.*

8. *Nec Superi vellent.* Hyperbolicè innuit Poeta deos ipsos hujus incendii pœnituisse; ita ut vellent sibi ablatam hominibus nocendi et eos puniendi facultatem.

## XLV.

VOTUM PARTHENII AD PHOEBUM PRO BURRO FILIO.\*

HÆC tibi pro nato plena dat lætus acerra,  
 Phœbe, Palatinus munera Parthenius;  
 Ut qui prima novo signat quinquennia lustrò,  
 Impleat innumeras Burrus Olympiadas.  
 Fac rata vota patris: sic te tua diligat arbor,

5

Σοὶ τόδ' ὑπὲρ τέκνου μεση̃ λιβανωτίδι, Φοῖβε,  
 Παρθένιος δίδοται δῶρον, ἐπευχόμενος,  
 Ὄφρ' ὁ τὸ τετραετὲς πέμπτῳ λυκάβαντι χαράσσω,  
 Νηρίθμοις τελέσῃ Βοῦρρος Ὀλυμπιάδας.  
 Κυροῦ τὴν εὐχὴν· τεὸν ὧς σευ δένδρον ἐρώη,

\* *Ad Phœbum* est lemma in edd. vett. — Suas preces precibus adjungit Parthenii, Domitiani cubicularii, pro Burro filio, quintum natalis suæ diei anniversarium complectente, sacrificium Phœbo patrantis; Apollinem igitur Apollinis alumnus Noster rogat, ut patris vota libenter accipiat, et nati vitam clementer producat. ED.

1. *Hæc,....munera.* Thus scilicet. — *Plena,....acerra.* Id est, abunde; proverbialiter dictum. *Acerra* est vas thurarium; sic Virg. *Æn.* lib. V, vs. 745: « Pergameumque larem et canæ penetralia Vestæ Farris pio et plena supplex veneratur acerra. » Eadem formula usus est Horatius, lib. III, Carm. od. 8: « Quid velint flores et acerra thuris Plena miraris. » Contra vero parva acerra significabat pauperum

et tenuium sacrificium, qui tribus digitis paucula grana thuris libabant. Ovid. lib. IV, eleg. 8: « Nec quæ de parva pauper Dis libat acerra Thura. » *Ramires.*

2. *Phœbe.* Phœbo, qui semper juvenis, commendatur juvenis. — *Palatinus,.... Parthenius.* Parthenius in Palatio Imperatori serviebat a cubiculo, de quo Suetonius in Domitiano, cap. 16, et Noster, lib. V, epigr. VI.

3. *Lustrò.* Lustrum est spatium quinque annorum, Olympias vero quatuor; quarto enim anno expleto, quinto ineunte Olympici ludii celebrabantur in honorem Jovis Olympici, ad urbes Græciæ Pisam et Elidem. Vid. ad lib. VII, epigr. XL, vs. 6.

5. Codex Scriv. *sic te tua diligat arbor;* in edd. vett. *sic te tua diligat uxor,* id est, Daphne, quam

Gaudeat et certa virginitate soror :  
 Perpetuo sic flore mices : sic denique non sint  
 Tam longæ Bromio, quam tibi, Phœbe, comæ.

Ἦτε κασιγνήτη παρθένος αἰὲν ἔνι.  
 Αἰεὶ δ' ἠβάσκοις σὺ, καὶ οὐ κομόων ὄραοίτο  
 Βάχχος ἐνὶ πλοκάμοις, ἢ σὺ, μακροτέροις.

amabas. Nostram lectionem exhibet codex Bodl. et sic omnino legendum ex opt. membranis docuit Heins. ad Ovid. ex Pont. II, 2, 82. — *Fac rata vota patris.* Fac ut pater, quod orat, exoret. — *Sic.* De voce *sic*, in votis faciendis semper usurpata, vide Brissonium de Formulæ, lib. I; et infr. lib. VII, epigr. LXXII. — *Diligat arbor.* Daphne nempe in laurum mutata, quam uxorem ducere cupiebat Apollo. Ovid. Met. I.

6. *Soror.* Diana scilicet, cujus pudicitiam tentaverat Orion. Perpetuam virginitatem servasse Dianam, et castitatis laudem meruisse, omnium scriptorum testimonio comprobatur. Id autem gratissimum Apollini fratri semper fuit : timuitque aliquando ne secus illa faceret. Sic Oriona, ob temeritatem ab ea sagittis confectum canit Horatius, III, od. 4 : « Et integræ Tentator Orion Dianæ Virginea domitus sagitta. » Occisum vero esse virginæ sagittæ ictu in fronte tradit Diocles in Lethiferis Pharmacis, postquam ab Apolline decepta fuisset, qui sponsionem subdole fecerat cum ea, si in notum

quoddam signum certo sagittam dirigeret, dum ipse probe nosset caput esse advenientis Orionis; qui tantæ magnitudinis erat, ut a quavis vel maxima profunditate humeros saltem supereminens emitteret. Sic Virgilio, Æneid. lib. X, vs. 763 : « Quam magnus Orion, Quum pedes incedit, medii per maxima Nerei Stagna viam scindens, humero supereminet undas. » Id autem fecisse Apollinem constat, quod suspicaretur aliquem amoris igniculum, in sorore accensum consuetudine Orionis, quæ etiam illi nubere decreverit. Callimachus in Hymnis : Δός μοι παρθένην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν. *Da mihi, tata, virginitatem in æternum conservare.*

7. *Flore.* Juventæ. Apollo, ut Bacchus quoque, gloriatur æterno juventutis flore.

8. *Tam longæ Bromio.* Bromius vocabatur Bacchus, a βρέμω, *fremo*, quia furor vino inspiratur. Is crines, ut Phœbus, intonsos et juveniliter fluentes gestabat, qua laude certare videbatur cum Phœbo; quem ne Bacchus vincat precatur Martialis.



## XLVI.

DE SABELLO.\*

SATURNALIA divitem Sabellum  
 Fecerunt : merito tumet Sabellus ;  
 Nec quemquam putat esse , prædicatque  
 Inter causidicos beatiorem.  
 Hos fastus animosque dat Sabello  
 Farris semodius , fabæque fressæ ,  
 Et thuris piperisque tres selibræ ,  
 Et Lucanica ventre cum Falisco ,

5

\* Mercedem causidici Romæ accipiebant divites divitem , pauperes pauperem : sic enim Juvenalis , sat. VII , 119 , de pauperibus : « Quod vocis pretium ? siccus petasunculus et vas Pelamidum , aut veteres , Afrorum epimonia , bulbi ; Aut vinum Tiberi devectum , quinque lagenæ . Si quater egisti » , etc. — Sic idem de divite patrono Æmilio , ibid. 124 : « Æmilio dabitur quantum petet ; et melius nos Egimus ; hujus enim stat currus aeneus , alti Quadrijuges in vestibulis , etc. » Deridet igitur causidicum pauperem Sabellum Martialis , qui , quum accepisset a clientibus , Saturnalium tempore , multa xenia , ut mos erat ( vid. lib. XIII ) , sed nullius pretii , se divitem existimabat ac beatum ; quæ quidem enumerat Martialis . Similis est irrisio lib. VII , epigr. LIII . Ed.

1. *Saturnalia*. Saturnalium tempore , sicut et natali die ( vid. lib. X , epigr. LXXXVII ) , munera mittebantur patronis , sicut et amicis .

De Saturnalibus vid. lib. II , epigr. xxv ; lib. III , epigr. xxix , etc. etc. — *Divitem*. Scilicet Sabelli unius sententia . Ed.

2. *Merito*. Ironice .

6. *Farris*. Est far quodlibet frumenti genus ; vulgo tamen optimum significat . — *Semodius*. Mensura aridorum , dimidiam modii partem continens : modius vero , inquit Raderus , capiebat viginti sex libras et octo uncias . — *Fabæque fressæ*. Frendeo (*frendui* , *fressum*) idem est , ac frango . Fabæ igitur fressæ aut fractæ sunt fabæ nudatæ extima illa pellicula duriori , qua teguntur , ut fiat mollius et suavius pulmentum . Porcus dicitur *nefrens* , qui nondum fabas frendet , seu frangit ; porcus lactens .

7. *Tres selibræ*. Selibra est semilibra . — Quod Martialis dicat *tres selibræ* , non autem uno verbo *sesquilibra* , inde conjiciunt quidam a tribus clientibus fuisse missas tres selibras , quod non rejicimus . Ed.

8. *Lucanica*. Lucanica est intesti-

Et nigri Syra defruti lagena,  
 Et ficus Libyca gelata testa,  
 Cum bulbis, cochleisque, caseoque.

num suillum frustis porcinae carnis, pipere et aliis saporibus conditum. Vid. lib. XIII, epigr. xxxv. Quod farciminis genus, *isicium* quoque dictum, milites a Lucanis didicerunt, ut Varro scribit lib. IV, de L. L. « Lucanicam dicunt, quod milites a Lucanis didicerunt, qui et a Faliscis ventrem. » Vide et Athæneum, lib. IX, cap. 5. Lucani sunt Italiae populi, quorum regio nunc vocatur *Basilicata*. Ed. — *Ventre cum Falisco*. Cum ventre porcino certis modis condito, et farciminibus turgente; ita vocatum est hoc osonii genus a Faliscis, a quibus milites hoc acceperant, teste Varrone, loco sup. citato. Faliscorum urbs primaria Faliscum, sive Falisca, nunc *Galese*.

9. Beverlandi MS. *defricti*. — *Et nigri Syra*. Syra lagena, hoc est, vitrea, quia vitrum in Syria inventum, teste Plinio, lib. XXXI, cap. 26. *Defrutum* vero Columella, libro XII, capite 21, sic explicat: « Mustum quam dulcissimum decoquitur ad tertias et decoctum, sicut supra dixi, defrutum vocatur. » Idem dicit Plinius, lib. XIV, c. 9.

10. *Et ficus Libyca* Ald. Junt. Colin. etc. *cellata testa* Beverlandi MS. — *Et ficus Libyca*, etc. Ficus hiberna Africana. Aliæ sunt enim ficus hibernæ, aliæ æstivæ. De ficibus Libycis hibernis scitum est, a Catone *Africanis* appellatis, quæ causa fuerunt belli Punici tertii. De Mæsonianis videndus Plin. lib. XV, cap. 18. Ficus Libyca testa

condebantur; lib. VII. epigr. LIII, vs. 8: « Et Libycae fici pondere testa gravis. » Sicut forsitan et omnes cæteræ: vide epigr. LXXXIX, infr. v. 6: « Antipolitani nec quæ de sanguine thynni Testa rubet, nec quæ coctana parva gerit. » Vid. et lib. XIII, epigr. xxviii. Ed. — *Ficus*. Quum hæc ficus magno haberentur in pretio, putat Ramiresius unam tantum missam Sabello: quum plures xenium essent non contemnendum et divitibus patronis reservatum; quod forsitan subtilius nobis videtur. Ed. — *Gelata*. Gelatam dicit ficum (non testam ut multi putaverunt, obstante metro), quia stipata erat ac densata ficus in testa ipsa et adstricta quodam roscido humore, qui ex ficu emissus circa eam paululum duriscebatur. Ed. — Alii intelligunt *gelatam*, quod tempore brumali missa fuisset ficus; alii quod ficuum cortex esset tactu frigidus; alii tandem, sed certe perperam, *testam* intelligunt durum ficus corium. Judicet lector, et si nostrum sensum adoptavit, videat J. Barclaii Argemidem, lib. V, de artificiosa ratione gelandi glacieque incrustandi poma in Africa.

11. *Bulbis*, etc. Bulbi cæpæ sunt (gallice, *des oignons*), maxime herbarum, quarum radices rotundæ et tunicatæ, ut liliorum, tuliparum, etc. Sunt etiam cæpæ quædam Ascaloniæ (gallice, *des échalotes*) dictæ. *Cochleæ* sunt proprie limaces testa inclusæ. — Erant *bulbi*

Piceno quoque venit a cliente  
 Parcæ cistula non capax olivæ,  
 Et crasso figuli polita cælo  
 Septenaria synthesis Sagunti,  
 Hispanæ luteum rotæ toreuma,

15

luxuriosis in deliciis. Athenæus, lib. II, cap. 22; Dioscorides, lib. II, cap. 9. Notandumque bulbos et cochleas sæpe conjungi. Petronius: « Mox cibus validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine jure cervicibus, hausi parcus merum. Vide et Plinium, lib. I, epist. 15; atque Nostrum, lib. XIII, epigrammate xxxiv.

12. In Beverl. *clyento*. — *Piceno quoque*, etc. Ager Picenus est in Umbria, olivarum dives; hodie vocatur *la Marca d'Ancona*. De olivis ex agro Piceno, vide quæ lib. XIII, epigr. xxxvi, Poeta dixerit: « Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis, Inchoat atque eadem finit oliva dapes.

13. *Parcæ cistula*, etc. Extenuat munus: cistellam enim tam angustam fuisse jocabundus dicit, ut vix paucarum olivarum capax.

14. Edd. vett. *polita cæno*, et sic in codice Palat. probante Grutero; *polluta cæno* Beverlandi MS. — *Crasso cælo*. Rotam figuli Saguntini ironice vocat *cælum* (*burin*) ab operibus nobiles ad vilia translato nomine. Vid. epigr. xxxix, vs. 4, supra.

15. *Septennaria* in edd. vett. — *Septenaria synthesis*. *Synthesis* vox est græca (σύν, *cum*; τίθημι, *pono*) quæ plurimarum rerum collectionem compositionemque significat, sed præcipue vestium; unde per

synecdochen *synthesis* pro veste sumitur; sic lib. V, epigr. lxxix: « Undecies una surrexti, Zoile, cæna, Et mutata tibi est *synthesis* undecies. » Et ultimo versu: « Frigus enim magnum *synthesis* una fecit. » Vide et lib. II, epigr. xlvii, versu 4. Sed proprie hoc verbo, ut dixi, universa vestis composita in vestiario vocabatur; hinc per translationem eleganter *synthesim vasorum* appellat vasorum collectionem, et *septenariam* addit, quia septem vasa saguntina paria contineret. Sic Statius, lib. IV silvarum: « Aut unam dare *synthesim* quid horres Alborum calicum atque cacaborum. » Vide Turnebum, lib. XXIII, cap. 19. — Alii intelligunt *septenariam synthesim* vas capax septuncis, id est, septem cyathorum. — *Sagunti*. Saguntus, sive Saguntum, nunc *Morvedre*, oppidum olim clarissimum Tarracensis Hispaniæ, unde fictilia Romanam advehebantur.

16. *Luteum*. Ex vili argilla factum. Lib. VIII, epigr. vi, vs. 2: « Ficta Saguntino cymbia malo luto. » — *Toreuma*. Proprie est opus torno factum, aut sculptum, a τροπέω, *torno*, *sculpo*; ut supra rotam Hispanam vocavit *cælum*, sic vasa hac rota confecta *toreuma luteum* irrisorie vocat; quum id nomen cælati auri argentique vasis tribuatur. Vid. lib. III, epigramm.

Et lato variata mappa clavo.  
 Saturnalia fructuosiora  
 Annis non habuit decem Sabellus.

XXXV, vs. 1; lib. VIII, epigramm. VI, vs. 15; et lib. XII, epigramm. LXXV, vs. 5.

17. *Et lato variata*, etc. Mappas Saturnalium tempore mitti solere vulgatum. Vid. lib. V, epigr. XVIII, vs. 1; lib. VII, epigr. LIII, vs. 4, et epigr. LXXII, vs. 2; lib. X, epigr. LXXXVII, vs. 6; et infr. epigr. LXXXIX, vs. 4. Hæ autem mappæ vel puræ erant, vel *clavata*, id est variegatæ orbiculis, flosculis, aut stellulis e panno aureo vel purpureo assutis in mappæ limbo. Latus clavus senatorum erat insigne, angustus vero equitum: magnum erat igitur munus Sabello mappa latis distincta clavis, quam Petronius

mappam laticlaviam appellat: « Palio enim coccineo ad rasum incluserat caput, circaque oneratas vestes cervices laticlaviam immiserat mappam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus »; ubi *immiserat*, pro *straverat*, dixit non communi notatione. Sic apud Ælium Lamprid. in Alexandro Severo: « Convivium neque optimum, neque nimis parcum, sed nitoris summi habuit: ita tamen ut pura mantilia mitterentur, sæpius quoque clavata, durata vero numquam. » *Ramir.* De lato clavo, vid. lib. V, epigr. XVII, vs. 3.

18. *Saturnalia fructuosiora.* An non ex his muneribus tantis, justa *Sabello* fastus causa?

## XLVII.

DE PHAETHONTE.

ENCAUSTUS Phaethon tabula depictus in hac est.  
 Quid tibi vis, dipyron qui Phaethonta facis?

1. *Incaustus Phaethon* Beverlandi MS. *tabula tibi pictus in hac est* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. — *Encaustus Phaethon.* Encaustice genus est picturæ, quæ in cera vel ebore ignitis instrumentis fiebat, ab ἐγκαύειν, *inuror*. Vide Plinium, lib. XXXV, cap. 11. Gallice, *de l'émail*.

2. *Dipyron.* Alludit ad casum Phaethontis, qui igne cælesti fuit consumptus, et iterum igne expressus a pictore, eundem casum subire videtur. *Dipyros* ergo (δις, πῦρ), hoc est, *bis ustus*, merito dici potest. Vide de Phaethonte, Ovid. *Metam.* lib. I.

## XLVIII.

IN PAPILUM.

PERCIDI gaudes : percisus , Papile , ploras.

Cur, quæ vis fieri, Papile, facta doles?

Pœnitet obscœnæ pruriginis? an magis illud

Fles, quod percidi, Papile, desieris?

1. *Præcidi gaudes, præcisus* in edd. antiquiss. cum Ald. Junt. Collin. Gryph. Junian. Pulman. Lang. etc. Mox versu 4 *quod præcidi*. De permutatione *præ* et *per* vide nos ad Tibull. II, 5, 74; III, 1, 11,

et III, 3, 9. — *Percidi*. Vid. lib. II, epigr. LXXII, vs. 3.

2. *Cur, etc.* Si enim pœniteat facti, cur ultra pateris? immo a nova prurigine oriuntur lacrymæ tuæ, Papile.

## XLIX.

AD FLACCUM.\*

NESCIS, crede mihi, quid sint Epigrammata, Flacce,

Qui tantum lusus illa, jocosque putas.

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi

\* Epigrammata, quasi lusorias pusilli pretii nugas, fastidioso Flaccus despiciebat supercilio; et versus lectu tam faciles facile deduci putabat: neque enim noverat hanc poetæ gallici vocem:

*Des vers aisément faits sont rarement aisés.*

Cui respondet Noster plus fortasse poeticæ dignitatis inesse lepidis istis quam epicis carminibus: quod si confirmatum volueris, lege lib. X, epigr. 4, in quo docet vatem heroicum, in somniorum regione, sæpe relicta natura, vagantem, plus delectationis afferre quam utilitatis, epigrammatographum contra, in vitiis insectandis, et emendandis

moribus totum, et delectationi simul ac utilitati esse legentibus. ED.

1. *Flacce*. Forsan ille idem est Valerius Flaccus, Argonauticorum scriptor, ad quem lib. I epigramma LXXVII. ED.

3. *Prandia sævi Tereos*. Terens, Thraciæ rex, et Prognés maritus, uxoris suæ sororem Philomelam temeraverat, et abscissa lingua in castellum incluserat. Quæ tamen injuriæ suæ imaginem tota expressam ad Procne mittere potuit: illa per Bacchanalium tumultum liberata Philomela, Itym filium patri Tereo comedendum apposuit, et saturi caput abjecit: Tereus in

Tereos; aut cœnam, crude Thyesta, tuam;  
 Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas, 5  
 Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.  
 A nostris procul est omnis vesica libellis :  
 Musa nec insano syrmate nostra tumet.  
 Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant.  
 Confiteor : laudant illa, sed ista legunt. 10

upupam, Procne in hirundinem, Philomela in lusciniam conversa fuit. ED.

4. *Tereos*. Genitivus græcus. — *Crude*. Crudelis. Sic Ovidio: « Non tibi Thermodoon, crudusve rogabitur Atreus. » Vel forsân, quum Atreus, non Thyestes, convivium adparaverit, *crude* intelligerem de stomacho patris infelicis dapes nefandas quasi horrentis, et concoquere nolentis : hanc enim vocis *crudus* significationem vidimus lib. III, epigr. XIII, vs. 4. ED. — *Crude Thyesta, tuam*. Filii sui membra a fratre Atreo apposita epulatus est Thyestes. Videatur, lib. III, epigr. XLV, vs. 1. ED.

5. *Aut puero*, etc. Fabula notissima, sicut et Polyphemi. Similis est enumeratio epicorum argumentorum apud Juven. sat. I, 7 sqq. : « Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus Martis, et Æoliis vicinum rupibus antrum Vulcani : quid agant venti; quas torqueat umbras Æacus; unde alius furtivæ devehat aurum Pelliculæ; quantas jaculetur Monychus ornos; Frontonis platani convulsaque marmora clamant Semper. » Et infra vs. 52 sqq. : « sed quid magis Heracleas, Aut Diomedæas, aut mugitum Labyrinthi, Et mare percussum puero, fabrumque volantem? » ED. —

I.

*Liquidas*. Ex cera factas, ita ut solis ardore liquefierent. — *Dædalon*. Accusativus græcus, ut mox Polyphemon est. ED.

6. *Polyphemon*. Vide Homer. Odys. lib. IX; Virg. Æneid. lib. III; Theocrit. Idyll. II, Ovid. etc.

7. *Vesica*. Tumor, ampullatum dicendi genus et ventosum; gallice *enflore*. ED.

8. *Insano*. Furiosum in morem agitato et jactato. — *Syrmate*. Syrma sic appellatur a σύρω, *traho*; ea pars vestis est quæ oblonga nimis solum verrit, qualem reges et heroes trahebant per theatra in agendis tragœdiis : vid. lib. XII, epigr. xcvi, vs. 4; et Juven. sat. VIII, vs. 228, et sat. XV, vs. 30. Ait metaphorice Poeta se stylo tragico non immoderate turgere.

9. *Illâ tamen*. Flaccus objicit : tamen laudantur poemata tragica et epica.

10. *Sed ista legunt*. Sic innuit ista tumida carmina non legi; facilius enim erat, et nostris diebus est, longa volumina nescio quid soporiferi secum apportantia laudare, ut gallice dicimus, *sur parole*, quam legere; quum autem nullius sit laboris epigrammata brevi et venusto argumento scripta ad recreationem pervolvere. Vid. lib. VIII, epigr. III, etc. ED.

## L.

IN THAIDEM.\*

QUID me, Thai, senem subinde dicis?  
Nemo est, Thai, senex ad irrumandum.

\*Tecte fellatricem appellat Thaidem, quam supra, epigr. XII, eodem vitio notavit.

— In hoc epigrammate nihil variant aut libri impressi, aut manuscripti.

2. *Nemo est*, etc. Namque hic non tanta vi opus est, et ad hoc

genus libidinis pronior est senectus, ut de Tiberio Suetonius, cap. 44, « pronior sane ad id genus libidinis et natura et ætate »; et Juven. sat. X, 208. Vid. et lib. III, epigr. LXXV, versu 5. Hic simul Thaim accusat, quasi diceret: satis, quamvis senex, aptus sum ad usum quem appetis.

## LI.

AD CÆCILIANUM.\*

QUUM tibi non essent sex millia, Cæciliane,  
Ingenti late vectus es hexaphoro.  
Postquam his decies tribuit Dea cæca, sinumque

\* Similem Calæno (lib. I, epigramm. c), et Scævolaë (lib. I, epigr. CIV), reprehendit Cæcilianum, qui, quamdiu mediocribus fuit in rebus, satis laute vixit, deinde factus est simul dives et avarus. ED.

1. *Sex millia*. Sestertium.

2. *Ingenti late vectus hexaphoro* in Juntini anna 1512; *vectus es asse foro* in Beverlandi MS. *laxe vectus es hexaphoro* in aliis. — *Hexaphoro*. Hexaphorum est lectica a sex servis gestata. (ἕξ, *sex*; φέρω,

*fero*.) Sic Juvenal. sat. I: « quum jam sexta cervice feratur Hinc atque inde patens, etc.

3. *Bis decies*, etc. Vicies centena millia HS. — *Dea cæca*, etc. Fortuna quæ, ac si cæca esset, ini-que distribuit munera. — *Sinumque*. Solebant Veteres ea in sinu reponere, quæ secum ferre necesse erat; his verbis pecunia abundasse Cæcilianum significat. Sic Horat. lib. II, sat. 3: « Te talos, Aule, nucesque Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi. »

Ruperunt nummi, factus es ecce pedes.  
 Quid tibi pro meritis, et tantis laudibus optem? 5  
 Di reddant sellam, Cæciliane, tibi.

4. Beverlandi MS. *factus es ipse pedes.*

5. *Et tantis laudibus.* Frugalitatis nempe, per ironiam.

6. *Di reddant.* Hoc est, hexa-

phorum, seu pristinam conditionem reddant, quum fortunæ muneribus male utaris. Sic lib. I, epigr. cv: « Aut vive, aut decies, Scævola, redde deis. »

## LII.

### IN HEDYLUM.\*

GESTARI junctis nisi desinis, Hedyle, capris,  
 Qui modo ficus eras, jam caprificus eris.

\* *In Ædilum* inscriptio est in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Lang. Delph. etc. et in epigr. *Ædile*. Beverlandi MS. *Hedyle*.

1. *Gestari junctis.* Fico laborans *Hedylus* seu *Ædilus*, ut scribunt alii (de quo morbo dictum lib. I, epigr. lxxvi.), capris simul junctis vehebatur, ut lib. I, epigr. cv, de *pardis*, *cervis*, etc. etc. diximus, et de *Heliogabalo* canibus junctis vecto refert *Lampridius*. Illinc colligit Poeta illum mox fore caprificum, habita ratione vocum, non veræ significationis, ex capra enim et ficu fit caprificus. Similis jocus est in voce *Argonautas*, lib. III, epigr. lxxvii. Alii has capras meretrices fuisse putant. Vid. *Horat.* lib. I, epist. 5. *Domitus* contra hæc: *Hedylus* turpi questu lucrabatur, nam *cinædus* fuerat: adeo

ut quum gestaretur lectica, servos superbe appellaret capros. Simul morbus *Hedyli* notatur; qui ex nimio pruritu factus erat ficosus: ait ergo, quum soleat servos appellare capros et ipse ficus sit ob morbum, posse vocari caprificum. *Domit.* — *Brodæus* intelligit hircosos servos, impuros et olentes. Contra capræ junctæ effingerent quoddam genus concubitus, de quo jam *Martial.* et quo tres una serie catenati coibant. Inde jocatur poeta in *Hedylum*, qui quum a pædicatione ficosus evasisset, nunc utitur concubitu olidarum meretricum, unde caprificus inditur nomen. *Domit.*

2. *Caprificus.* Est arbor sterilis in parietinis nascens, et ad summos muros assurgens, assiliensque instar caprarum; folio ficum quasi referens.



## LIII.

AD COSMUM.\*

HUNC, quem sæpe vides inter penetralia nostræ  
 Pallados, et templi limina, Cosme, novi,  
 Cum baculo, peraque senem; cui cana, putrisque  
 Stat coma, et in pectus sordida barba cadit;  
 Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,

\*Epigramma est in fictum quemdam philosophum cynicum, qui solo corporis cultu et maledicentia Cynicum se profitebatur: quum omni prorsus cynica institutione et doctrina esset destitutus.

1. Pulmanni codex, *intra penetralia nostræ*, quod placet Ramiresio. Alii legunt: *inter penetralia vestra*. Sæpius *noster* et *vester* permutantur ob similitudinem *n* et *u*, et quia *vester* nonnunquam legitur *voster* in antiquis membranis. Vide nos ad Catull. LXVII, 7, 18, Tibull. III, 4, 4; et Drakenborchium ad Liv. V, 44, 6. *Inter penetralia Vestæ; Pallados et templa* legit Musambertius. Nam quomodo Cynicus ille inter penetrabile et limen? sive quis inter penetrabile templi et limen locus habitatori Cynico? — *Hunc quem sæpe*, etc. Videretur ordo verborum significare hunc Cynicum stipem erogare in via quæ separat penetralia Pallados a liminibus novi templi; quum autem novum hoc templum videatur Minervæ Flavianæ fanum a Domitiano exstructum (vid. lib. IX, epigr. 11), intelligemus *penetralia nostræ Pallados*, et *limina templi novi* unum tantum

ædificium esse, in cujus porticibus, vel etiam interiori parte stabat Cynicus. Ed.—Quum enim receptacula miserorum essent templa, Cynicorum esse poterant; et Hieronymus de Diogene: « Habitavit autem in portarum vestibulis, et porticibus civitatum. »

3. *Cum baculo*. Hæc est descriptio cultus Cynici. Ausonius, epigr. LII: « Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex Ista fuit Cynici. » — *Peraque*. Pera est sacculi viatorii genus, a collo ad lumbos pendens, quo obsonia feruntur. Lib. XIV, epigr. LXXXI.

4. *Stat coma*. Constat canitie et putredine: sic Virg. Æneid. VI, vs. 300: « Stant lumina flamma », et lib. XII, vs. 407: « Jam pulvere cælum Stare vident. » Sordes scilicet et squalorem affectabat secta illa impudentissima. Ed.

5. *Cerea quem nudum* legit Heraldus, et ineptire eos dicit qui *nudi* legunt. — *Cerea*. Vestis *cerea* dicitur, quum adeo attrita est, ut flavescat; vel quum sebo et sudore quasi incerata videtur. Vide lib. I, epigr. xciii, vs. 7. — *Nudi*, etc. Nullo sindonis et lodicis operi-

Cui dat latratos obvia turba cibos ;  
Esse putas Cynicum , deceptus imagine falsa.<sup>1</sup>  
Non est hic Cynicus , Cosme : quid ergo? canis.

mento vestiti, nisi hac abolla, quæ cum suo domino, velut fida uxor, nec unquam mutata, recubabat in grabato. Vid. lib. XIV, epigramm. cxix. — *Abolla*. Abolla vestis erat duplicis generis, altera militum, altera vero philosophorum propria. — *Grabati*. Vilis lectuli. Lib. I, epigr. xciii, v. 5; lib. XII, epigr. lvii, vs. 5.

6. Sunt qui legant : *Cuique datis latrant obvia turba cibis*, improbante Farnabio. — *Cui dat latratos*. Suis enim latratibus stipem a prætereuntibus extorquebant Cynici. — Si legere vis; *Cuique datis latrant obvia turba cibis*, quod et adoptari potest hoc sensu : cui obvia turba dat cibos latrando, id est, convicia in eum ingerendo, ut eum per derisionem et jocum imitetur. Gallice, *parodier*. ED.

8. *Non est hic*. Sensus est : iste habitum quidem Cynici præ se fert, doctrinam autem non proficitur, sed mere in canem degeneravit. Vid. lib. I, epigr. xciii. Hujus sectæ philosophi fuere a voce *κύων canis, cynici*, vel etiam per jocum *canes*, tum propter impudentiam qua omnia propalam agerent, quæ cæteri homines solent abscondere, tum ob maledicentiam, qua in cæteros omnes veluti adlatrabant. Hinc quum Hecuba, doloris impatiens, probra et maledicta in obvios jaceret, in canem conversa fuisse dicitur a poetis : Plaut. in Menæchm. « Nimis stulte dudum feci. — ME. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis. Omnia mala ingerebat, quemquem adspexerat. Itaque adeo jure cœpta appellari est canis. »

## LIV.

AD COLINUM.\*

O cui Tarpeias licuit contingere quercus,

\* Est epicurea exhortatio ad vivendum genioque indulgendum, quam jam vidimus lib. I, epigr. xvi; lib. II, epigr. lxx et xc, quamque infra relegemus, lib. V, epigr. xx; lib. VII, epigr. xlvi et lxxv; et lib. VIII, epigr. xlii et lxxvii. Vid. et Anthol. lib. II, cap. xlvi.

— Eadem enim causa quæ Christianos a deliciis dehortatur, ad voluptates incitabantur Ethnici, id est, vitæ brevitatis reputatione : quum spes vitæ futuræ prioribus adsit, posterioribus deesset. ED.

1. *O cui Tarpeias*, etc. O Coline! qui in Capitolino quinquenniali cer-

Et meritas prima cingere fronde comas !  
 Si sapis, utaris totis, Coline, diebus,  
 Extremumque tibi semper adesse putes.  
 Lanificas nulli tres exorare puellas  
 Contigit : observant, quem statuere, diem.  
 Divitior Crispo, Thrasea constantior ipso,

5

tamine coronas quernas, Jovi consecratas, a Domitiano accepisti, etc. — *Tarpeias*. Tarpeias vocat has coronas, quia in ludis in honorem Jovis Capitolini a Domitiano institutis donabantur. Sueton. in Domit. cap. 4: « Instituit et quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnium, et aliquanto plurium, quam nunc est, coronatorum. » Vid. supra, epigr. 1; et lib. VIII, epigr. LXXXII, vs. 7. *Capitolium* autem, antequam hoc suum sumeret nomen ex templo Jovi ædificato in cuius fundamentis humanum inventum fuit *caput*, *mons Tarpeius* vocabatur a Tarpeia, quæ Sabinis virginum raptus ulturis arcis aditus aperuerat, moxque perfidiæ dederat pœnas, scutis eorundem obruta. Ed. — *Quercus*. Sic Juven. sat. VI, vs. 387: « Cum farre et vino Janum Vestamque rogabat, An Capitolinam deberet Pollio quercum Sperare, et fidibus promittere. »

2. *Prima*. Hinc intellige Colinum primum omnium fuisse coronatum, vel primam et præstantissimam adeptum fuisse coronam. Vel *prima* hic significat *nobilissima*; et frondem quernam, qua olim constabant civicæ coronæ, ait poeta *nobilissimam*, aut quia Jovi sacra erat, aut quia ab Imperatore data. Conf.

Lib. XI, epigr. IX: « Clarus fronde Jovis. »

3. *Utaris totis, Coline, diebus*. Sic Horat. lib. I, od. 1: « Est qui nec veteris pocula Massici, Nec partem solido demere de die Spernit. »

4. *Extremumque diem*, etc. Sic idem Horatius, lib. I, epist. 4: « Inter spem curamque, timores inter et iras, Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. »

5. Beverlandi MS. *exorare sorores*. — *Lanificas nulli*, etc. Sic et Horat. lib. II, epist. 2: « Si metit Orcus Grandia cum parvis, non exorabilis auro? » — *Exorare*. Exorare est orando aliquid obtinere. — *Lanificas puellas*. *Parcas*; *Clotho*, *Lachesim* et *Atropon*, quæ dicuntur metiri vitam hominum ex fusis et staminibus, quæ ex sua coluunt et deducunt. Earum vero officia sic distinguuntur a poetis, ut velint unam esse quæ teneat colum, altera fusum deducat, tertia filum rescindat. Gallice, *les sœurs filandières*.

6. *Observant*, etc. Diem mortis nostræ, ubi decrevere, non prætereunt: Seneca in Hercule furente, choro primo: « Duræ peragunt pensa sorores, Nec sua retro fila revolvunt. »

7. *Divitior Cræso* in quibusdam. *Criso* legit Beverlandus. — *Crispo*. Fuit is vitricus Neronis; dicitur

Lautior et nitido sis Meliore licet;  
 Nil adicit penso Lachesis, fusosque sororum  
 Explicat, et semper de tribus una secat.

10

habuisse in censu bis millies sestertium. Suetonius, in Nerone, cap. 6: « Sed et Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est. » ( Nero scilicet ). Sed contra sic Gronovius: « Iste non est Crispus Passienus, Neronis vitricus, ut notat Farnabius; sed Vibius Crispus de quo Tacit. Hist. II. *Vibius Crispus, pecunia, potentia, ingenio, inter claros magis, quam inter bonos.* Et auctor dialogi de causis corruptæ eloquent. quum Marcellum Eprium et Crispum Vibium nominasset: « Nec hoc illis alterive ter millies sestertium præstat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio venisse. » Gronovius. De Crispo Neronis vitrico, bis consule et oratore scribunt Seneca, de Benef. lib. I extr. et Natur. Quæst. lib. IV; Tacitus, Annal. lib. XII, ubi copiosissime Lipsius. Suet. Neron. cap. 6, Crispi dictum refert de Caio principe: « nec meliorem servum, nec deteriore dominum fuisse quemquam Caio. » Totam hujus Passieni vitam habes apud Juvenalis interpretem et Lipsium loco Taciti citato. Vid. Sueton. cap. 3. Quintil. Institut. lib. III: « Vibius Crispus compositus et jucundus, delectationi natus, privatis tamen causis quam publicis melior. » Idem de Passieno oratore, lib. VI, cap. 2. Rader. — *Thrasea constantior.* De Thrasea vide lib. I, epigr. IX.

8. *Nitido sis Meliore.* Nobilis hic Melior Statii carminibus, scilicet epistola libri secundi Silvarum, et poematiis de arbore, Psittaco et Glaucia. Vide et Nostrum, lib. II, epigr. LXIX, vs. 7; et lib. VI, epigr. XXVIII et XXIX. *Nitidus* vocatur et a Martiale, et a Statio, Silv. II, quia fuit lautus et splendidus.

9. *Nil adicit, etc.* Lachesis nunquam quidquam addit ad lanam qua colum instruit, sed ea demum tota tracta, quantulacumque sit, exhaustaque, pereundum est. — *Penso.* Est pensum lana vel cannabis in oblongum glomum convoluta, et circa colum summam illigata, unde fusus trahitur. — *Fusosque sororum Explicat.* Hoc intelligerem de Lachesi, quæ colum tenens lanam metitur devolvendam, et fuis sororum ministrat explicandis. Ed. — Alii tamen hoc referendum putant ad versum sequentem hoc sensu: Parca de tribus, quæ filum secat, ea fusos explicat, id est, jubet quiescere absoluto penso; vel evolvit ac recognoscit quantum fili tractum fuerit.

10. Pro *secat*, alii legunt *necat*. — *Una secat.* Sensus: etiamsi duæ exorari possint, tertia tamen inexorabilis permaneret. — *Una.* Atropos. Nomina tamen Parcarum sæpe confunduntur a poetis. Compara exempli gratia, lib. I, epigr. LXXXIX, vs. 9, cum lib. IX, epigr. LVII, vs. 8. Ed.

## LV.

AD LUCIUM.\*

LUCI, gloria temporum tuorum,  
 Qui Graium veterem Tagumque nostrum  
 Arpis cedere non sinis disertis;

\* Pulchro in patriam amori potius quam molliori carminis numero consulens, Lucium poetam Hispanum ad celebranda Celtiberiæ loca Martialis exhortatur et exemplo docet; duriora enim illa nomina et quasi rebellantia in versus suos venire cogit simili labore, quo Bolæus noster in epist. IV :

Et qui peut sans frémir aborder Woerden?  
 Quel vers ne tomberait au seul nom de  
 Heusden?

Quelle muse à rimer en tous lieux disposée  
 Oserait approcher des bords du Zuiderzée?  
 Comment en vers heureux assiéger Doësbourg,  
 Zutphen, Wageninghen, Harderwic, Knot-  
 zembourg? ED.

1. Cod. Bodl. *temporum novorum*. Gruterus ex Palat. legit *temporum duorum*; præteriti sc. et præsentis. — *Luci, gloria*, etc. O Luci, nobilis poeta, qui non pateris Hispaniam, quæ te genuit, Apuliæ cedere, quæ genuit Horatium, etc. Alii intelligunt qui Hispaniæ loca tam diserte celebras, quam suam Horatius Apuliam; qui minus mihi placet sensus; quum ad hæc loca celebranda hunc hortetur Noster. ED. — *Luci*. Fuit iste Lucius Hispanus poeta lyricus, qui Horatium est imitatus; sub Domitiano floruit.

2. *Qui Gaurum* Ald. Junt. Colin.

Gryph. quod falso attribuunt Junio: quæ lectio rejicienda videtur, quum Gaurus sit mons Campaniæ, et de Hispania loquatur Poeta. Forsan tamen ejusdem nominis mons fuit in Hispania. — *Graium veterem*. Est Graius fluvius Hispaniæ; veterem vocat, quia a veteribus dictus erat *Graius*, a recentioribus *Gravius* fuerat nuncupatus; non longe ab hoc fluvio, ut apparet, natus fuerat Lucius, et erat e natione Graviorum qui sunt populi citerioris Hispaniæ, teste Plinio, lib. IV, cap. 20. — *Tagum*. Tagus, nunc *Tajo*, fluvius Hispaniæ nobilis, in Castella nova oriens, quam totam alluit; cum Lusitaniæ parte, et duabus leucis infra Ulisiponem in Atlanticum mare devolvitur. ED.

3. *Arpis cedere non sinis disertis*. Non sinis cedere Horatio diserto. Arpi, Arporum (quos non confundere oportet cum Arpino), urbs Apuliæ Dauniæ, nunc diruta. Appulus autem erat, natus Venusii, Horatius, vel forsan tamen Lucanus, sic ut ipse lepide ait, sat. I, lib. II: « Lucanus an Appulus, anceps: Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus, Missus ad hoc pulsus, vetus est ut fama, Sa-

Argivas generatus inter urbes,  
 Thebas carmine cantet, aut Mycenas, 5  
 Aut claram Rhodon, aut libidinosæ  
 Ledæas Lacedæmonis palæstras.  
 Nos, Celtis genitos et ex Iberis,  
 Nostræ nomina duriora terræ  
 Grato non pudeat referre versu : 10  
 Sævo Bilbilin optimam metallo,

bellis, Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis; Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum Incuteret violenta. » ED.

4. *Argivas generatus.* Hoc est: Poetæ Græci celebrent suas urbes, nos Hispani nostras commendemus. Idem Horat. I, od. 7: «Laudabunt alii claram Rhodon», etc.

5. *Thebas.* Thebæ, urbs Bæotiæ, patria Pindari, hodie *Stives*. — *Mycenas.* Mycenæ, urbs in Peloponneso; nunc *Agios Adrianos*.

6. *Rhodon.* Rhodus, *Rhodes*, insula maris Mediterranei e regione Ciliciæ, olim Soli sacra. De Rhodio colosso vid. lib. I, epigr. LXXI, vs. 8. — *Libidinosæ.* Vel propter gymnicum puellarum certamen, quod parum honestum erat; vel quod præcipue ibi Venus colebatur (vid. supr. epigr. XLIV, vs. 5); vel propter Helenam.

7. *Ledæas Lacedæmonis palæstras.* Palæstras cognominat *Ledæas*, vel propter Castora Pollucemque, qui athleticis certaminibus præcipue gaudebant; vel etiam quia luctæ puellarum nudarum in arena institutæ fuerant in honorem Ledæ quæ, quum Jovi placuit, nuda erat in balneo. In cujus rei memoriam descendebant ad palæstram

cum viris virgines. Propert. lib. III, eleg. 12: «Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ, Sed mage virginei tot bona gymnasii: Quod non infames exercet corpore ludos, Inter luctantes nuda puella viros.» Et Ovid. epist. 15: «More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra Ludis, et es nudis mixta puella viris.» Vid. et Xenoph. de Republ. Lacæd. Euripid. in Androm. Plutarch. in Lycurgo existimat id institutum fuisse, ut juvenes puellarum pulchritudine capti facilius earum nuptias appeterent.

8. *Nos Celtis genitos*, etc. Hic Hispaniæ tractus, ubi erat Bilbilis, fuerat olim occupatus a Celtis, id est, Gallis circa Garumnam positus; qui quum venissent ad Iberum Hispaniæ flumen, ibique consedisent, addiderunt suo nomini nomen hujus fluminis, et Celtiberi sunt vocati. Nunc magna est pars Arragoniæ et Castellæ.

9. *Nomina duriora.* Vide infr. *Rixamarum*, *Carduarum*, *Peteron*, *Vetonissæ*, *Baradonis*, etc. ED.

10. *Grato.* Vel patriæ jucundo quam celebrabit; vel patriæ quæ nos genuit, gratias referente, eam illustrando. ED.

11. *Sævo*, etc. *Sævum metallum*

Quæ vincit Chalybasque, Noricosque,  
 Et ferro Plateam suo sonantem,  
 Quam fluctu tenui, sed inquieto,  
 Armorum Salo temperator ambit :  
 Tutelamque, chorosque Rixamarum,  
 Et convivia festa Carduarum,  
 Et textis Peteron rosis rubentem,  
 Atque antiqua patrum theatra Rigas,

15

appellat ferrum, quod optime Bilbili cudebatur ad arma fabricanda. Lib. I, epigr. L, vs. 3 : « Videbis altam, Liciniane, Bilbilim, Aquis et armis nobilem. » Quamvis aurum etiam haberet; lib. XII, epigr. XVIII, vs. 9, « Auro Bilbilis et superba ferro. » — *Bilbilin*. Martialis patriam, de qua vide quod annotavimus lib. I, epigramm. L, vs. 3. Ed.

12. *Chalybasque*. Chalybes, descripti a Mela, lib. I, cap. 12, et poetarum carminibus celebrati, sunt populi Asiæ minoris ad Pontum Euxinum, circa Bithyniam, apud quos ferrum optimum terræ visceribus eruitur. — *Noricosque*. Germaniæ populos (hodie *la Bavière* et *la Souabe*), Grisonibus seu Rhætis finitimos, Danubii que accolat. Hic ferrum præstans et armorum affabre cudendorum industria celebrata. Horat. lib. I, od. 16 : « Quas neque Noricus Deterret ensis. » Ed.

13. *Et ferro Plateam*, etc. Et Plateam cujus in officinis sonantibus ferrum elaboratur; quam cingit et complectitur fluvius Salo, qui ad laminas ensium tingendas et temperandas plurimum valet. — *Plateam*. Hispaniæ oppidum, ferrariis officinis nobile. Lib. XII, epi-

gr. XVIII, vs. 10 : « Hic pigri colimus labore dulci Boterdum Plateamque. »

15. *Salo*. Fluvius Celtiberiæ, de quo vid. lib. I, epigr. L, vers. 4, 11, et 12.

16. *Tutelamque* legunt alii. *Rixamarum* edd. vett. *Rixamorum* in aliis. — *Tutelamque*. Forsitan hodie est *Tudela* ad Iberum. Subsequuntur multa nomina oppidorum, quæ propter ignobilitatem prætermisere veteres scriptores, et quæ nunc diruta vel immutata sunt, ita ut de illis nihil nisi tacere possimus. — *Chorosque Rixamarum*. Rixamas choreis gaudentes.

17. *Et convivia*, etc. Et gaudentes conviviis Carduanos seu *Carduas*. Ed.

18. *Peteron* in quibusdam : in aliis *Peterem*, vel *Paterem*. — *Textis*. In coronas.

19. In edd. vett. *ripas*, pro *Rigas*; quod prisci juxta ripas ederent spectacula et aurigationes. — *Atque antiqua*, etc. Et Rigas, ubi majores nostri solebant edere spectacula, propter nobile illius urbis theatrum; vel forte propter convallem quemdam, qui theatrum naturale efficiebat rudibus istis hominibus acceptissimum. Vide lib. Spect. epigr. XXI vs. 1.

Et certos jaculo levi Silaos, 20  
 Turgentisque lacus, Petusiæque,  
 Et parvæ vada pura Vetonissæ,  
 Et sanctum Baradonis ilicetum,  
 Per quod vel piger ambulat viator;  
 Et quæ fortibus excolit juvencis 25  
 Curvæ Manlius arva Matinessæ.  
 Hæc tam rustica, delicate lector,  
 Rides nomina? rideas licebit.  
 Hæc tam rustica malo, quam Bituntum.

20. *Suevos* in Ald. Junt. et Colin. *Suellos* legit Raderus; alii *Suebos*, vel *Silebos*. Raderus dicit *Suellum* seu *Suelum* oppidum esse Hispaniæ, hodie *Molena*. — *Certos jaculo*. Qui a scopo non aberrant, quum emittunt jaculum.

21. *Tiruntique lacus* codex Bodl. *Turasiæque lacus* in Palat. *Turentique lacus* Beverlandi MS. *Turisiæque lacus*, vel *Petusiæque lacus* in aliis.

22. *Tovenissæ* in Ald. Junt. et Colin. *Teutonissæ* in aliis; *Vetonissæ* in Pulmanni codice.

23. *Duratonis* in edd. vett. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. alii legunt *Buradonis*, vel *Purateonis*. — *Sanctum*. Quia numini alicui consecratum, aut quia incæduum et inviolatum ferro. Sic apud antiquos sæpius *sacer lucus*, *sacrum nemus*. ED. — *Ilicetum*. Locus est in quo consitæ sunt multæ ilices.

24. *Et quod* Ald. Junt. et Colin. *Et quæ* in aliis. — *Ambulat viator*. Cujus amœnitate captus viator, etsi fessus et languidus, locum non sine molli voluptate perambulat. An quia locus hic declivis et pronus erat, ut vult Brodæus?

25 *Et quod* in editionibus vett.

26. *Curvæ Manilius* in Junt. *Martinense* Beverlandi MS. *Vatinessæ*, vel *Vativessæ* in aliis. — *Curvæ*. In clivo positæ. ED. — *Manlius*. Nomen populi ad urbem Matinessam; aut unius ex amicis Martialis.

28. Beverlandi MS. *ridebis*.

29. *Bitunnos* in codice Vatican. *Musambertius* legendum censet, *Britannos*, quod habent Ald. Junt. et Colin. ut sit contentio inter provincias Hispaniarum et Britannorum. Alii legunt *Butuntos*; alii, *Bitundos*; alii, *Bituntos*. — *Bituntum*. Est vilissimum Apuliæ oppidum, quod nominis sui rusticitate, atque agri tenuitate videtur omnibus Hispaniæ oppidis, quæ hic adnumerantur, infelicius. Sic illud adduxit per contemptum, lib. II, epigr. XLVIII, vs. 7: « Hoc præstes mihi, Rufe, vel Bitunti. » Hodie *Bitonto*. Sensus est: Delicate lector Itale, si aspera illa nomina Hispana derides, quanto magis deridere debes insulsum nomen illud, *Bituntum*? Vel sensus hic est: Hæc nomina licet rustica, quum dulcem mihi patriæ subjiciant memoriam, antepono rusticis Italicis nominibus, quorum asperitas nullo simili lenocinio compensatur. ED.



## LVI.

## IN GARGILIANUM.\*

MUNERA quod senibus, viduisque ingentia mittis,  
 Vis te munificum, Gargiliane, vocem?  
 Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,  
 Qui potes insidias dona vocare tuas.  
 Sic avidis fallax indulget piscibus hamus;  
 Callida sic stultas decipit esca feras.  
 Quid sit largiri, quid sit donare, docebo,  
 Si nescis : dona, Gargiliane, mihi.

\* Gargilianum iis quorum captabat hæreditatem munera mittentem ait Poeta, eodem modo esse munificum quam piscatorem, qui hamatos cibos piscibus, quam aucupem, qui viscatas escas avibus largitur; vere enim liberalis est qui nullum sibi præponit liberalitatis suæ præmium. ED.

1. Pulmanni codex, *vetulisque ingentia mittis*, improbante Rami- resio. — *Munera*, etc. Senecæ epist. 8 : « Munera ista fortunæ putatis? Insidiæ sunt. » Quod quarto versu similiter dixit Martialis. ED. — *Viduisque*. Quum divitibus viduis omnes captandæ hæreditatis causa adularentur, hinc illis fastus et arrogantia. Lib. I, epigr. L, vs. 34 : « Imperia viduarum procul », et lib. II, epigr. XXXII, vs. 5 : « Abnegat et retinet nostrum Laronia servum; Respondes : Orba est, dives, anus, vidua. »

4. *Qui potes insidias*, etc. Vide Senecam, loco supra citato.

5. *Indulget*. Se offert blande, ac

permittit fruendum, ita ut eos lactet, fallatque incautos.

8. *Dona, Gargiliane, mihi*. Munificum te agnoscam et confitebor, si mihi poetæ et cæteris a quibus mutuam vicem sperare non potes, largiris : sic se vitio poetarum, id est, rei familiaris exiguitate, laborare fatetur Noster; nec quidem hoc tantummodo loco. Vide enim lib. II, epigr. XVI, versu ultimo : « Vis fieri sanus? Stragula sume mea; » et lib. I, epigr. CXVIII, vs. 7, etc. ED. — *Gargiliane*. Quum huic Gargiliano similes hæredipetas multos numerare esset in Urbe, argumentum quod hoc epigrammate tractavit Noster, ab auctoribus hujus ætatis sæpe fuit usurpatum. Inter quos Petronius, sub ficto Crotonæ nomine : « Quoscumque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos : nam aut captantur, aut captant »; et vide ipsum Martialem, lib. V, epigr. XVIII, vs. 6 : « Odi dolosas munerum et malas artes. Imitantur

hamos dona; namque quis nescit  
 Avidum vorata decipi scarum mu-  
 sca? Quoties amico diviti nihil do-  
 nat, O Quintiane, liberalis est pau-  
 per. » Lib. VI, epigr. LXIII, v. 5:  
 « Munera magna quidem misit, sed  
 misit in hamo: Et piscatorem pi-  
 scis amare potest? » Et similia in-  
 venies lib. II, epigr. LXXVI; lib.  
 VI, epigr. LXII; lib. VIII, epigr.  
 XXVII; lib. XI, epigr. LVI; lib. XII,  
 epigr. XCII. ED.

## LVII.

AD FAUSTINUM.\*

DUM nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini,  
 Et quæ pumiceis fontibus antra calent;  
 Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni,  
 Quo te bis decimus ducit ab Urbe lapis.

\* Quum violentissimo calore  
 æstuet mensis Julius, Baias duplici  
 aeris et thermarum ardore inju-  
 cundas valere jubet Noster, in Ti-  
 bur gelidum migraturus apud Fau-  
 stinum amicum; nempe qui æstivas  
 hibernasque sedes melius callebat  
 eligere. ED.

1. *Lascivi*. Ob delicias lacus il-  
 lius, et hominum lascivientium  
 frequentiam, tum quia illa balnea,  
 Seneca teste, epist. LII: « Diver-  
 sorium vitiorum esse cœperant. »  
 Vide lib. I, epigr. LXIII. — *Lucrini*.  
 Lacus Lucrinus inter Puteolos et  
 Baias, olim celebris; sed terræ  
 motu, anno 1538, absorptus est;  
 restat tantum lutosa palus, et vo-  
 catur *Mare morto*.

2. *Et quæ pumiceis fontibus arva  
 rigant* in Beverlandi MS. — *Et  
 quæ pumiceis*, etc. Et Baianæ aquæ,  
 quæ quidem calidæ sunt, scatu-  
 rientes e pumicibus sive tophis,  
 hoc est, exesis et spongiosis lapidi-  
 bus ac speluncis. Baiæ ad radices

montis, in littore Campano sitæ,  
 inter Puteolos et Misenum montem;  
 hodie *Baia*, locus amœnissimus.

3. *Argæi codex Pulmanni*. *Argoi*  
 Thuan. *Argolici codex Vat.* — *Ar-  
 givi regnum..... coloni*. Sic Horatius,  
 lib. I, od. 6: « Tibur Argeo po-  
 situm colono. » In Tibure enim a  
 se condito regnavit Catillus e Græ-  
 cia veniens: fuit ille Amphiarai  
 filius, tresque filios in Italia susce-  
 pit, Tiburtum, a quo nomen Ti-  
 burtinæ urbi fecit, Coram seu Co-  
 racem, et Catillum. Vid. Stat. Silv.  
 lib. I, in Tiburtino Manlii. Tibur  
 nunc est *Tivoli*. — *Coloni*. Non  
 hic sumitur *colonus* pro *agricola*;  
 sed hominem significat, qui ex lon-  
 ginq̄ua regione venit ad locum ali-  
 quem incolendum, et gallico ser-  
 mone, *colon*. ED.

4. *Quo te bis decimus*, etc. Quæ  
 tua villa Tiburtina distat ab urbe  
 viginti millibus passuum. Hoc spa-  
 tium est leucarum gallicarum ad-  
 modum octo.

Horrida sed fervent Nemeæi pectora monstri; 5  
 Nec satis est, Baias igne calere suo.  
 Ergo, sacri fontes et litora grata, valete,  
 Nympharum pariter Nereidumque domus.  
 Herculeos colles gelida vos vincite bruma;  
 Nunc Tiburtinis cedite frigoribus. 10

5. *Nemeæi pectora*. Hoc est, leonis in silva Nemeæa ab Hercule interfecti, et relati inter astra. Sol autem mense Augusto ingressus Leonem ardores auget. *Pectora* dixit, quod in Leonis pectore, inquit Ramiresius, astrum est fulgentissimum, ab astrologis dictum cor Leonis.

6. *Nec satis est*, etc. Aquarum enim vel situs ardori solis ardor additur, qui hoc mense maxime vividus. ED.

7. Salmasius legit, *littora Graia*; et alii *littora sacra*. Lectionem nostram e veteribus codicibus dedit Gruterus. Vide varior. notas, ubi *Graia* perperam Grutero ascribitur. — *Sacri fontes*, etc. Baiani, Nymphis sacri, lib. III, epigr. III, vs. 3; fontibus enim et fluviis divinitatem nescio quam adsignavit rudis illa antiquitas. — *Litora grata*. Aliis scilicet annis aut tempestatibus. Vel etiam hac tempestate, quia « omnium non modo Italiæ, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est », ut Florus scribit. Nec miretur Ramiresius, *grata* dici, quo tempore æstus illarum fugiebatur. Loquitur enim de illis, ut natura sua sunt, nimio æstu etsi nunc ex accidenti, et certatim prædicaverant multi poetæ

latini, fiat, ut ea, quamvis grata, Tibure mutare malit. *Gronov.*

8. *Nympharum pariter*, etc. Nymphæ in fontibus, Nereides, filiæ Nerei, in mari, cujus ad littus sunt Baiæ. ED.

9. *Herculeos colles*. Tibure enim Hercules colebatur. Lib. I, epigr. XIII: « Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces. »

10. *Nunc Tiburtinis*, etc. Vos, o Baiæ, calore vestro melius solvetis brumæ frigus quam Tibur, quod Statius vocat glaciale, in Tiburtino Manlii: « Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci. » *Rader.* — Jam autem per æstatis fervorem magis placet Tibur, frigori et ventis expositum, utpote quod in colle situm. Dictum est Tibur a Tiburto conditore, qui et Catillus. Solinus: « Tibur, sicut Cato facit testimonium, a Catillo Arcade, præfecto classis Evandri, sicut Sextius ab Argiva juventute. Catillus enim, Amphiarai filius, post prodigialem patris sui apud Thebas interitum, OEclei avi jussu cum omni fœtu vel sacro missus, tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido Sicilia veteribus Sicanis, a nomine Tiburti, fratris natu maximi, urbem vocarunt. »

## LVIII.

IN GALLAM.

IN tenebris luges amissum, Galla, maritum :  
Nam plorare pudet te, puto, Galla, virum.

1. *In tenebris*, etc. Galla vivente viro tam impudica fuerat, ut eum mortuum palam deflere merito illam puderet; vel flebat, quod illam utpote infamem mortuo marito uxorem nullus esset ducturus. — Fateor tamen alium mihi magis placere sensum: scilicet per ironiam Gallam ait Poeta pudere plorare virum, quasi hoc sit imbellis animi et vere muliebris, ut innuat eam tenebras ideo tantum sectari quod non ploret, sed contra forte consolationem admittat, ut matrona illa Ephesia Petronii. Vide infra finem notæ alterius. Ed. — *Tenebris*. Signum doloris, solitudinem captare et silentium. Seneca ad Marciam, cap. 11, de Octavia lugente Marcellum: « Tenebris et

solitudini familiarissima. » Taciti Annal. IV: « Vix propinquorum alloquia, vix diem adspici a plerisque lugentium. »

2. *Jam plorare pudet* Beverlandi MS. *Non plorare pudet* Gruterus. *Num plorare pudet* in editionibus vett. *Nam plorare pudet* codd. Pulmanni et Scriverii. Vide var. not. — *Nam plorare pudet*. Lib. vero I, epigr. xxxiv, secretas lacrymas laudat noster poeta: « Ille dolet vere, qui sine teste dolet. » Sensus pendet ex discrimine vocum *maritum* et *virum*. Galla deflebat, aut simulabat deflere maritum, at non virum; quæ nempe consuescebat cum multis aliis, nec merebat unius inter multos concubinos interitum dolere. Ed.

## LIX.

DE VIPERA ELECTRO INCLUSA.\*

FLENTIBUS Heliadum ramis dum vipera serpit,

\* Est hoc epigramma ejusdem argumenti quam epigr. xxxii sup. et lib. VI, epigr. xv. Est enim de vipera, quæ electro inclusa pellucido videbatur. Ed.

1. Pulman Lang. Junian. Delph. etc. *dum vipera serpit*; Gruterus præfert *dum vipera repit*. — *Fleantibus Heliadum*, etc. Dum e populi ramis viscosus humor defluit, ser-

Fluxit in obstantem succina gemma feram ;  
 Quæ dum miratur pingui se rore teneri ,  
 Concreto riguit vincta repente gelu.  
 Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulcro ;  
 Vipera si tumulo nobiliore jacet.

5

pebat vipera per ramos madentes. — *Heliadam*. Sorores Phaethontis Heliades vocabantur, quia erant filiæ Solis qui a Græcis Ἡλιος dicitur. Fratris casum deflentes ad Padi ripas, in populos conversæ fuere, quarum e ramis defluit electrum, quod earum lacrymas esse fingunt poetæ. Vide supr. epigr. xxv, vs. 2, et epigr. xxxii, vs. 1. — *Serpit*. Serpere dicuntur animalia quæ pedibus carent, repere quæ pedes habent brevissimis cruribus, ut lacertæ. Nostram igitur cum Rami-resio prætulimus lectionem. Ed.

2. In quibusdam, *gutta feram*, ut lib. VI, epigr. xv, vs. 2. — *Fluxit in obstantem*. Forte erat opus arte factum, quod ad casum refert Poeta; quamvis tamen animalia multa, sed vipera minora, includi solere in electro dixerimus epigr. xxxii supr. ubi vide quæ adnotavimus. Ed. — *Obstantem*. Ex adversa parte ita occurrentem, ut electrum nisi in ipsam fluere nequiret. Ed. — *Succina gemma*. De succino copiose diximus, lib. III, epigr. lxv, vs. 5. Ed. — *Gemma*. Quidquid, instar vitri, pellucet, gemmam vocari diximus quoque epigr. xxii supr. vs. 6. Ed.

4. Codex Pulmanni, *victa repente gelu*. Verba *victa* et *vincta* sæpe permutantur a librariis. Vide nos ad Tibull. I, 2, 2. — *Gelu*. Ele-

ctri viscoso humore qui, dum ex arbore defluit, est liquidus, mox vero induratur tanquam gelu.

5. *Cleopatra*. Quæ Ægypti regina et M. Antonii uxor, e prælio Actiaco fugiens sese inclusit sepulcro magnifico, quod ipsa inchoaverat, unde extracta aspidis morsu periisse putatur. Quod Poeta respicere videtur, quum viperæ tumulum conferat tumulo illius, quæ aspidis morsu interiit. — *Sepulcro*. Refert Plutarchus in Antonio, Cleopatrarum corpus ab Augusto regali apparatu conditum esse cum Antonio. Et Suetonius in Augusto, cap. 17: «Cleopatrarum, quam servatam triumpho magnopere cupiebat, etiam psyllus admovit, qui venenum ac virus exsugerent, quod periisse morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit.» Credibile autem est tumulum inchoatum a tam fastuosa regina, absolutum a tanto Imperatore, fuisse splendidum: sed hoc viperæ mausoleum splendidius multo. De aspide varie disputat Plutarchus, ut et Dio in Augusto, qui acu crinali veneno imbuta punctam ait. *Rader*.

6. *Nobiliore*. Electrum enim magno apud Romanos erat pretio. Vide lib. III, epigr. lxv, vs. 5, quæ adnotavimus. Ed.

## LX.

DE CURIATIO:\*

ARDEA solstitio, Castranaque rura petantur,  
 Quique Cleonæo sidere fervet ager;  
 Quum Tiburtinas damnet Curiatius auras,

\* Sub omni cælo seu salubri, seu pestilenti, grassari mortem docet Martialis, exemplo Curiatii cujusdam; qui, dum valetudinis causa Tibure, salutari loco, æstivi solstitii fugeret ardorem, ibi tamen fatum excludere non potuit. ED.

1. *Pestannaque rura* in Junt. *Pæstannaque rura* in aliis vett. — *Ardea solstitio*, etc. Est indignantis iratiquæ Poetæ exclamatio, quasi dicat: Quid! nihil prodest saluberrima loca quærere! ergo pestilentissima quæramus, quoniam mors in omnia pariter irrumpit. ED. — *Ardea*..... *Castranaque rura*..... *Quique Cleonæo*..... etc. Tria oppida solis fervore maxime æstuantia, et salubria parum enumerat: Ardeam, Castrum Inui, et Baias. — *Ardea*. Ardea urbs est antiqua Latii, vel ab *ardore*, vel ab *ardea* avi dicta, Turni patria, calidissimo positu, de qua Livius, lib. I: « Dum Tarchinius obsidet Ardeam, exactus est regno. » Latium est hodie *Campagna di Roma*. — *Solstitio*. Quum vox illa *solstitium* sola ponitur, significat solstitium æstivum. Sic appellatur tempus illud, quo *sol stare* videtur; nempe mense junio, quum attigit tropicum Cancrî; et mense decembri, quum est in tropico Ca-

pricorni: tunc enim dies ita lente crescunt, aut decrescunt, ut vix sentias. Æstivo solstitio calor gravissimus, sole verticibus propèmodum imminente. — *Castranaque rura*. Castrum, *Castro*. Urbs Italiæ non una fuit eodem nomine appellata. Sunt qui putent hic agi de Castro Inui, quod erat oppidulum Latii, non procul *Ardea*. Hanc lectionem *Castranaque rura* restituit Petr. Scriverius ex optimi libri fide, loco lectionis *Pæstannaque*, tum quia secessus amœnior, tum quia Ardeæ propius Castrum Inui. Cui adstipulatur Ph. Cluverius, lib. III, cap. V, Ital. — Alii legunt *Pæstana*: Pæstum, *Pesto*, est urbs Lucaniæ, prope Pæstanum sinum, qui hodie *Golfo di Salerno*.

2. *Quique Cleonæo*. Id est ager Baianus; Baias enim aquis et pectore Leonis fervere dixit supr. epigr. LVII, vs. 5 et 6. — *Cleonæo*. Intellege leonem, in cælum relatum, quem Hercules interfecit in Nemeæa Peloponnesi silva, juxta Cleonam urbem. Augusto mense vehementissimis caloribus terram accendit Leo, inter duodecim Zodiaci signa, signum quintum.

3. *Quum Tiburtinas damnet*, etc. Quum antiquam illam famam, qua

Inter laudatas ad Styga missus aquas.  
 Nullo fata loco possis excludere; quum mors  
 Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Tibur (*Tivoli*) velut saluberrimum prædicabatur, immeritam mendacemque confirmet esse mors Curiatii. ED. — *Tiburinas*. Ditiores prædia et villas circa Tibur, aut in ipsa urbe habebant, quo æstatè secederent; prædia illa *Tiburtina* appellabantur, quemadmodum *Tusculana* quæ prope Tusculum: unde *Tusculanum*, villa Ciceronis. Vide, supra, epigr. LVII, vs. 3, 4. — *Laudatas aquas*. Aquam Martiam, quæ se in Tiburtinam aperit. Plin. Hist. Nat. lib. XIII, cap. 3. Hæc aqua per novem millia passuum solim Romam deducta est. De aliis aquis huc deductis sumi potest. *Rader*.

4. *Ad Styga*. Fons est Arcadiæ, cujus aqua frigidissima omni-

bus animalibus est exitiosa. Poetæ fabulantur paludem esse apud inferos.

5. *Quum mors Venerit*, etc. Ubi fatalis hora venerit, saluberrimus locus, qualis est Tibur, vitam non magis conservat, quam Sardinia insula, cæli intemperie et gravitate pestilentissima, ob salinas, graves Austros, solpugas, venenatæ formicæ genus, seu batrachium; hodie *la Sardegna*. Tacitus, lib. 2 Annalium, ad finem, narrat sub Tiberio senatusconsultum fuisse factum, « ut Judæorum et Ægyptiorum quatuor millia in insulam Sardiniam veherentur, qui si interiissent ob gravitatem cæli, facilem jacturam, et vile damnum futurum ».

## LXI.

IN MANCINUM.\*

DONASSE amicum tibi ducenta, Mancine,  
 Nuper superbo lætus ore jactasti.  
 Quartus dies est, in schola Poetarum.

\* Inducit Mancinum quemdam qui, non aliter quam Afer ille assiduus suarum fortunarum ostentator (supra, epigr. xxxvii), quidquid sibi munerum, quidquid sibi hæreditatum obtigisset, ita narrabat, ut pauperiores amicos odiosa suæ cum ipsorum sortis comparatione enecaret. ED.

1. *Ducenta*. Millia sestertium.

3. *Quartus dies est*. Quarto die ante hodiernam diem, mihi in schola, etc. ED. — *In schola Poetarum*. Locus erat in quem ad recitandum poetæ conveniebant, aut ad legenda et emendanda carmina. Vide lib. III, epigr. xx, vs. 8. — Ibi, dum homines convenirent,

Dum fabulamur, millibus decem dixti  
 Emptas lacernas munus esse Pompillæ;  
 Sardonycha verum, lineisque ter cinctum,

atque recitatio expectaretur, locus erat confabulationibus opportunissimus. Sequentibus temporibus vox *schola* sumpta est pro omni collegio. Erant scholæ jurisconsultorum, id est, collegia; unde advocati eorum collegiorum scholastici vocabantur: quo nomine primum nuncupati sunt rhetores, ut in dialogo de oratoribus scribit vel Tacitus, vel Quintilianus et etiam declamatores litium fictarum. Unde translatum nomen ad verarum litium actores. Plin. epist. lib. II, 3, 5: « Adhuc scholasticus tantum est: quo genere hominum nihil aut sincerius aut melius. Nos enim qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus. Schola et auditorium, ut ficta causa, ita res inermis innoxia est. » Hac acceptione utitur eo nomine Constantinus imperator in *L. Præter solemnes*, 2 Cod. de Lucr. advocat. lib. XII: « Præter solemnes et canonicas pensitationes, multa a provincialibus indignissima postulantur ab officialibus et scholasticis. » Et lex in Cod. Theodosiano: « Non latet scholasticos, ultra modum acceptis honorariis, in defensionem causarum annonas et sumptus accipere consuesse: et aliis multis in locis. Hinc celebris scriptor Agathias historicus, et poeta græcus, scholasticus appellatur, qui advocatus erat, ut ipse testatur lib. III in init. et epist. ad Silentiarum. *Ramir*. Ed.

4. *Millibus decem*, etc. Dixisti

lacernas tuas, quæ emptæ essent decem sestertiis majoribus, id est decem millibus minorum sestertiorum, tibi esse muneri datas a Pompilla quadam.

5. *Emptas lacernas*. Lacerna togæ superinduebatur ad arcendum frigus, inquit Bayfius; vide etiam quid de lacernis dixerimus, epigr. II hujus libri, et multis aliis locis. Ed. — *Pompillæ*. Clientæ Mancini; vel viduæ divitis.

6. *Sardonychas auro linteisque ter cinctum* in Ald. Junt. Colin. etc. *Sardonychas auro linteisque ter victos* in aliis. *Sardonychis veris* citat Pulmannus, et *Sardonycha verum* legi jussit. Codex Palatinus habet: *Lychenitisque cerytum*; unde Rutgerius conj. *Lychnin atque ceritin*, quæ nomina gemmarum; *lychnidemque et ceritem* tamen ex Palat. citat Beverlandus. — *Sardonycha verum*. Sic lib. IX, epigr. LX, vs. 19: « Sardonychas veros mensa quæsit in omni », id est, non adulterinos. Sunt enim et falsi; qui difficile a veris discernuntur. Plinius XXXVII, cap. 12: « Sardonyches e Cerauniis glutinantur gemmis, ita ut ars deprehendi non possit, aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio sumptis ». — Est sardonyx, *sardoine*, gemma subrubra et subcandida, colorem habens Sardii lapilli qui rubens; et onychis, qui fere albus est. Vide lib. II, epigr. xxix, vs. 2; lib. IV, epigr. xxviii, vs. 4. — *Lineisque ter cinctum*. Plinius, loco supra ci-



Duasque similes fluctibus maris gemmas  
 Dedissem Bassam Cæliamque jurasti.  
 Here, de theatro, Pollione cantante,  
 Quum subito abires, dum fugis, loquebaris,  
 Hæreditatis tibi trecenta venisse;  
 Et mane centum, et post meridiem centum.  
 Quid tibi sodales fecimus mali tantum?  
 Miserere jam, crudelis, et sile tandem.  
 Aut, si tacere lingua non potest ista,  
 Aliquando narra, quod velimus audire.

tato, scribit hanc gemmam lineolis tribus, nigra, candida, et miniata distinguunt.

7. *Duasque similes*, etc. Demetrius intelligit smaragdos, *émeraudes*; alii callaides, quas Plinius litoroso mari similes dicit; alii beryllos, *beril*, quæ maximam laudem habent, si mari concolores; alii cyanos, *turquoises*; alii caristos, de quibus Statius: « Et gaudent fluctus spectare caristos »; et alibi: « et concolor alto Vena mari ». Sinit Ramiresius lectorem eligere, quam maluerit gemmam, eique suadet ut Franciscum *Ruei* legat, qui diligenter scripsit de gemmis.— Eligat igitur lector, vel potius adeat recentiora opera viri illustrissimi *Haüy*, cujus nuperrime exitum deflevit Gallia. Ed.

8. *Bassam Cæliamque*. Nomina mulierum ficta.

9. *Here*. Heri; antique. — *Pollione cantante*. Citharædo nobili, de quo Juvenal. Sat. vi, vs. 388. Edition. nostræ, T. I, pag. 365.

10. *Dum fugis*. Dum propere abires, et quasi evolare, ut levis-

simi ingenii homines, isti Mancino similes.

11. *Trecenta*. Millia HS. Gallicæ monetæ triginta francorum millia. Vid. Tabul. huic operi subjunctam.

13. *Quid tibi*, etc. Ut pauperes nos longis narrationibus divitiarum tuarum in dies enecare velis. Vide lib. I, epigr. xix, vs. 3 et 4. Ed.

14. *Crudelis*. Est enim odiosa importunaque improbitas divitias coram paupere, splendidam cænam coram esuriente ita explicare, ut imago quædam fiat Tantali supplicii. Ed.

16. *Quod Mancino velimus*. In edd. vett. *quod velimus audire*. Cod. Pulmanni. — *Quod velimus audire*. Te muneris aliquid nobis e tot muneribus largiturum, hoc non tam segni aure accipiemus; nam tanta honorum enumeratio non potest audiri gratis (vid. supra, epigrammate xxxvii, vs. ult.) Ed. — Vel narra te aliquam fecisse jacturam, aut aliquid expertum fuisse infortunii; quod in pœnam tuæ avaritiæ tibi accidisse libentissime audiemus. Ed.

## LXII.

DE LYCORI. \*

TIBUR in Herculeum migravit nigra Lycoris,  
Omnia dum fieri candida credit ibi.

\* Lycoris, deformis et fusca mulier, quæ nigrior cadente moro, *cerussata sibi placebat* (ut ait Poeta lib. I, epigr. LXXIII), quum Romæ non magno in pretio esset, et audiisset omnia Tibure candida fieri, Tibur migravit. Quis autem fuerit itineris successus, vis scire, lector? adi lib. VII, epigr. XIII: « Dum Tiburtinis albescere solibus audit Antiqui dentis fusca Lycoris ebur, Venit in Herculeos colles. Quid Tiburis alti Aura valet? Parvo tempore nigra redit. » Hic autem non dentes tantum sed *omnia* albescere sperabat. Vid. et lib. I, epigr. CIII.

1. Beverlandi MS. exhibet, *migravit fusca Lycoris*, ut infra. — *Herculeum*. Ita vocatur ob insigne fanum Herculis ibi exstructum. Vid. lib. I, epigr. XIII, vs. 1.

2. *Omnia dum fieri candida*, etc. Ebur a frigidissima Tiburis aura candorem vel semper retinere, vel etiam augere dicebatur; ut testatur Plinius, et Silius Italicus, dum canit: « semperque novum quod Tiburis aura Pascit ebur », ubi *pascit* dicit, pro sustentat et conservat: et Propert. lib. IV, eleg. 7: « Herculeo nunquam numine pallet ebur. »

## LXIII.

DE CÆRELLIA. \*

DUM petit a Baulis mater Cærellia Baias,

\* Deflet Cærelliæ cujusdam matris casum, quæ quum a Baulis peteret Baias, naufragio periit in eo freto.

1. *Cærelia* in edd. vet. *Cerellia* Heins: ad Ov. Art. Amandi I, 255. — *Baulis*. Vocabatur olim *Boaulia*, deinde corrupta voce *Bauli* dicta, ut Symmachus ejus postea

villæ dominus scribit: « Huc deus Alcides stabulanda armenta coegit Eruta Gorgonis de lare tergemini. Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos Nuncupat occulto nominis indicio. Ab divo ad proceres dominos Fortuna cucurrit, Fama loci obscuros ne pateretur heros. Hanc celebravit opum felix Hortensius

Occidit insani crimine mersa freti.

Gloria quanta perit vobis! hæc monstra Neroni

Nec quondam jussæ præstiteratis aquæ.

aulam, Contra Arpinatem qui stetit eloquio. » Fuerunt ergo Bauli primum Herculis, deinde procerum romanorum, e quibus Hortensius, tum imperatorum et Antonia Drusi. Villa in litore Campano, » quæ promontorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari alluitur », ut ait Tacitus Annal. initio libri XIV : quæ hodie *Bauli*, vel *Bagola*. — *Mater*. Vel matrona; vel ut a filia ejusdem nominis distinguatur. Ad id *mater* dixit Martialis, ut sequens comparatio Cærelliæ cum Agrippina magis congrueret, et augetur undarum scelus; majus enim videtur matrem immergentium. ED. — *Baias*. Vide lib. I, epigr. LX, vs. 1. ED.

2. *Insani*. Vel tempestate commoti; vel quod in eo qui scelus admittit quædam insania videtur. ED. — *Crimine*. De more habet Noster, crimina rebus inanimatis tribuere. Lib. IX, epigr. xxxi, vs. 1 : « Cappadocum sævis Antistius occidit oris Rusticus : o tristi crimine terra nocens ! » lib. I, epigr. xiii, vs. 6 : « Heu quam pæne novum porticus ausa nefas ! » et eodem libro, epigr. lxxxiii, vs. ult. : « Propter quem fuit innocens ruina », etc.

3. *Gloria quanta perit vobis!* Habebatis, undæ, quamdam innocentia famam laudabilem; quum enim Agrippinam, mulierem sceleratam,

licet a Nerone jussæ non mersistis, magnam comparastis gloriam; quam cur nunc perditis, feminam prohibitatis spectatæ mergentes immerentem, et quidem injussæ? ED. — *Hæc monstra*. Hæc naufragia, hæc scelera. — *Neroni*. Olim Nero matrem suam Agrippinam jusserat mergi, excogitato solutili et machinoso navigio quod repente laxatum in mediis fluctibus eam destitueret. Sueton. in Nerone, cap. 34; Tacit. Annal. lib. XIV; Dio, etc.

4. *Præstiteratis*. Præstare aliquid alicui interdum est aliquid in ejus gratiam facere, eum aliquo munere devincire. — *Aquæ*. Agrippinam, veluti in gratiam rediturus, elucuerat Nero, ut Quinquatruum festos dies apud Baias frequentaret; veniens igitur Agrippina obvium habuit Neronem, qui eam duxit Baulos; hinc terrestri via ivit ad Baias. Tacit. Annalium lib. XIV: « Satis constitit, exstitisse proditorum, et Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguum, gestamine sellæ Baias pervectam. » Deinde tamen blanditiis Neronis sublevato metu, navem perfidam, nocte adventante, conscendit Baulos repetitura; igitur parum abfuit quin periret, quum a Baiis ad Baulos iter faceret: periit autem Cærellia, quum iter faceret a Baulis ad Baias. ED.

## LXIV.

DE HORTIS JULII MARTIALIS.\*

JULI jugera pauca Martialis,  
 Hortis Hesperidum beatiora,  
 Longo Janiculi jugo recumbunt :  
 Lati collibus imminent recessus ;  
 Et planus modico tumore vertex

5

\* Laudat hortos Julii Martialis a situ, a cælo, a subjectis amœnis regionibus, a benignitate et hospitalitate domini, eosque Tiburtino, Prænestino, Setinoque ruri præfert. *Ramires.*

— *De hortis Martialis* in edd. veteribus, Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. etc.

1. *Tulli* in iisdem. *Juli* codices Pulmanni, Junii, Gruteri et Palat. — *Juli..... Martialis.* Julius ille Martialis erat amicus nostri M. Val. Martialis, qui illi misit sextum librum epigrammatum, ut apparet ex primo epigramm. ejusdem libri; ejusque bibliothecam septem e suis libellis munivit, ut videmus lib. VII, epigr. xvii. Tacitus, lib. XVII, de Julio quodam Martiale bis mentionem facit; qui forte idem est ac ille Nostri amicus. Ed.

2. *Hesperidum.* Atlantis filiæ, quibus hortos tribuunt Poetæ aureis pomis, id est, citreis pretiosos. Vide lib. Spect. epigr. xxi, vs. 4.

3. *Longo Janiculi.* Longo jugo dixit quod, ut Baronius cardinalis, Annal. vol. I, probat, Janiculus erat Veteribus locus ille qui complectebatur seriem collium, qui,

modicarum vallium interjectu conjuncti, ab eo termino qui est proximus Aventino atque Vaticano continuantur, et super Mutia porta porriguntur, ac propter pontem Milicium terminantur. — *Janiculi.* Mons Janiculus, trans Tiberim situs, nunc *Montorio*, ad pontem usque Milvium seu Mulvium, seu Milicium extra Romam porrigitur. Nomen a Jano habuit. Hunc Urbi adjecit arcem nascenti Ancus rex. Liv. lib. I, 33: «Janiculum quoque adjectum, non inopia loci, sed ne quando ea arx hostium esset; id non muro solum, sed etiam ob commoditatem itineris, ponte sublicio, tum primum in Tiberim facto, conjungi Urbi placuit.» Ed.

4. Ald. Junt. Colin. Gryph. *eminent*; et sic Beverlandi MS. — *Lati collibus*, etc. In colle summo spatia campi lata et solitaria eminent, ubi est villa Julii Martialis cælo vicinior.

5. *Et planus*, etc. In vertice Janiculi planities est, quæ colles superat, serena et suda, non nebulis, ut valles, tecta. Hic horti Martialis, etc. — *Puris astris.* Pura vocat astra, quæ nullis nebulis aspectui subtra-

Cælo perfruitur sereniore ;  
 Et curvas nebula tegente valles  
 Solus luce nitet peculiari :  
 Puris leniter admoventur astris  
 Celsæ culmina delicata villæ. 10  
 Hinc septem dominos videre montes ,  
 Et totam licet æstimare Romam ,  
 Albanos quoque, Tusculosque colles ,  
 Et quodcumque jacet sub urbe frigus ,  
 Fidenas veteres, brevesque Rubras, 15  
 Et quod virgineo cruore gaudet ,

huntur. Eadem eleganti metaphora infr. lib. VIII, epigr. XIV, vs. 3 et 4 : « Hibernis objecta Notis specularia puros Admittunt soles, et sine fæce diem. »

11. Pulmanni codex *domino*, id est, Julio Martiali. — *Septem dominos*. Septem colles, Palatinum, Capitolinum, Quirinalem, Cælium, Esquilinum, Viminalem, Aventinum, quibus imposita Roma rerum domina.

12. *Æstimare Romam*. Id est, oculis lustrare, et quanta sit, quam late pateat, æstimare. Sic lib. VII, ep. xvii : « Ruris bibliotheca delicati, Vicinam videt unde lector urbem. »

13. *Albanos quoque*. Ex eodem loco licet prospectare Albanos colles, sic appellatos ab Alba Longa ibi quondam exstructa ab Ascanio, Æneæ filio. — *Tusculosque*. Tusculum, urbs Latii fuit, ubi villam, habuit Cicero; vid. supra, epigr. lx, vs. 3. ED.

14. *Et quodcumque jacet*, etc. Et quæcumque loca suburbana sunt minus opacata, aërique ideo magis exposita, quo se conferunt Roma-

ni, frigidiores auras captaturi. ED.

15. Beverlandi MS. *brevesque Rubras*. *Rufarum* meminit Livius. Sic Virgilii codex Florentinus *Rufas*. — *Fidenas veteres*. Fidenæ, urbs Roma antiquior in Latio, nunc vicus, *Castel Giubileo* dictus. — *Brevesque Rubras*. Rubræ, vel saxa Rubra, locus Etruriæ in agro Veientino, nunc *Grotta rossa*. — *Rubras* parvum oppidum circa Tibur fuisse existimat Ortelius. Forte *Ulubras*.

16. *Et quod virgineo canore gaudet* Heins. ad Ovid. Fast. III, 675 : « Nec interpp. inquit, quid sibi velit cruor iste virgineus assequuntur. Si quis apud Martialem malit *virgineo rubore gaudet*, ut ad obscœna carmina respiciatur, nil repugno. » Vide lib. VI, epigr. XLVII. — *Et quod virgineo cruore gaudet Annæ pomiferum nemus Perannæ*. Et nemus Aricinum (id est Dianæ Aricinæ), fructibus ferax, et Annæ Perannæ sacrum, quod olim madebat cruore virginum : in hoc loco enim, non secus ac in Tauride, in honorem Dianæ, victimas humanas fuisse immolatas nos docet Strabo, lib.

Annæ pomiferum nemus Perannæ.  
 Illic Flaminiae Salariaeque  
 Gestator patet, essedo tacente,

V. ED. — Hic sensus, quem ut verisimilem maxime, adoptare non dubitamus, displicet tamen Ramiresio, qui putat *cruorem* per metonymiam dici pro *mortem*, et intelligit *cruore virgineo* de morte Annæ ipsius, in aquis suffocatæ. ED. — Nec arridet nobis Domitii interpretatio, qui hunc locum intelligit de flagellis quibus cædebantur pueri, ut Lacedæmone ex ritu Thoantio; nec aliorum opinio qui virgineum cruorem aiunt esse *cruorem ferarum a virgine Diana fusum*. ED.

17. EDD. Ald. Juntin. Colinian. Gryph. etc. *Perennæ*; et sic legit ad Ovidii locum modo citatum. — *Annæ Perannæ*. Anna Peranna, vel Perenna, Didonis soror, in Italiam apud Æneam exsulavit, postea autem Laviniae odio vexata, in anem Numicum, insidias ejus vitatura, se præcipitem dedit, mox pro dea culta fuit. Totam hanc narrationem complectitur Ovidius, *Fast.* III, 675: « Ipsa loqui visa est: Placidi sum nympha Numici, Anne perenne latens, Anna Perenna vocor », etc. Aliam tamen quam Ovidius ejus nominis originem refert Macrobius, *Saturn.* lib. I, cap. 12; et hinc Perannam dici ait quod idib. Martii, « et publice et privatim ad Annam Perennam sacrificatum itur; ut *annare*, *perennareque* commode liceat », id est, per annos durare. — Alii historici Annam Perennam affirmant animum fuisse ortam Bovillis prope Romam, quæ populo in montem per seditionem digresso victum tulerit, se-

que postea ex alta fenestra præcipitaverit: in cujus memoriam hæc celebritas tandem instituta est. Hæc est Raderisententia. Vid. Tiraquell. ad lib. III Alexand.

18. *Illic Flaminiae*, etc. Hic incipit Poeta domus situm laudare, tam feliciter electum, ut omnia circum a domino videri possint, nihil autem audiri; et oculi spectaculo, aures silentio fruuntur. ED. — *Flaminiae Salariaeque Gestator patet, essedo tacente*. Procul apparent in viis Flaminia Salariaque currus, gestatores, etc.; sed molesto rotarum stridore non somnus interpellatur, aut aures obtunduntur. ED. — *Flaminiae*. Ab Urbe per Tusciam, Umbriam, Ariminum usque hæc via pertinebat et strata fuerat a C. Flaminio consule, qui ad lacum Trasimenum ab Annibale interfectus est. — *Salariaeque*. Salaria via ducebat in Sabinos, atque a sale nomen sortita est, quia per eam Sabini sal a mari Romam deferre solebant.

19. *Gestator tacet* Beverlandi MS. *Gestator jacet* codex Pulman. — *Gestator*. Gestator est qui vel onera, vel homines gestat seu ducit essedo rotis suspenso, ut apparet ex verbis sequentibus: propter quæ non servos intelligerem lecticas gestantes. ED. — *Patet*. Totus adspicitur. — *Essedo*. Esseda sunt currus Britannici aut etiam Gallici. Vid. lib. I, epigramm. 105, vs. 8. Quasi apud nos *fourgons*, *charrettes*. — *Tacente*. Non revera tacente, sed non audito. ED.

Ne blando rota sit molesta somno; 21  
 Quem nec rumpere nauticum celeusma,  
 Nec clamor valet helciariorum;  
 Quum sit tam prope Mulvius, sacrumque  
 Lapsæ per Tiberim volent carinæ.  
 Hoc rus (seu potius domus vocanda est) 25  
 Commendat dominus; tuam putabis;  
 Tam non invida, tamque liberalis,  
 Tam comi patet hospitalitate.  
 Credas Alcinoi pios penates,  
 Aut facti modo divitis Molorchi. 30

21. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Lang. Delph. etc. *nauticum celeuma*. — *Nauticum celeusma*. Celeusma, vox græca (ἡλεῦσω, *jubeo*), latine *cohortatio*, est nautarum clamor, quo sese accingunt ad remigandum. Vid. lib. III, epigr. LXVII, vs. 4.

22. *Helciariorum*. Helciarii (ab ἔλωω aut ἔλωω, *traho*) sunt ii qui navem adverso flumine deducunt aut remulco agunt, aut anchoram uno connixu et mutuo hortatu molliuntur, et generatim onus aliquod junctis viribus trahunt *helciis*, id est, funibus aut vectibus.

23. *Quum sit tam prope*, etc. Id est, quamvis sit tam prope pons Mulvius et Tiberis, is est situs villæ, ut omnia visu, nihil auditu excipias. — *Mulvius*. Sive *Milvius*, pons, hodie *Ponte Molo*, ultra primum ab urbe lapidem, Tiberi impositus, in via Flaminia. Vid. lib. III, epigr. XIV, vs. 4. — *Sacrum*. Quia pro deo colebatur Tiberis, uti alia flumina. Vid. Virg. *Æn.* lib. VIII. Cæterum cuncta flumina et fontes, quæ tuebantur dei aut nymphæ, erant sacra. Ed.

25. *Domus vocanda*. Quia ornatissima et simillima urbanæ domui.

26. *Commendat dominus*. Facit honestiorem gratioremque Julius Martialis, qui in eam omnes hospites admittit, sic ut *suam* quisque esse putet.

28. *Tam comi pater* Beverlandi MS.

29. *Alcinoi*, etc. Fuit ille rex Phæacum in insula Corcyra, *Corfou*, ubi hortos habebat præstantes. — *Penates* erant dii domestici; pro ipsa domo ponuntur, quam *piam* appellat hoc in loco vates, quia Ulyssem naufragio ejectum benigne excepit Alcinous, ut narrat Homerus, *Odyss.* Z.

30. *Divitis Molorchi*. Molorchus pastor venientem ad leonem Nemeæum opprimendum humanissime excepit, licet pauper, Hercules: factus vero dives dicitur, quia Domitianus fanum Herculi magnifico luxu in via Latia extruxerat, lib. IX, epigr. LXV, juxta quod Molorcho sacellum ædificavit multis donis locupletatum, de quo dicit Statius, *Silv.* III: « Nec pauperis arva Molorchi. »

Vos nunc omnia parva qui putatis,  
 Centeno gelidum ligone Tibur,  
 Vel Præneste domate, pendulamque  
 Uni dedite Setiam colono;  
 Dum, me iudice, præferantur istis  
 Juli jugera pauca Martialis.

35

31. In Beverlandi MS. *quæ putatis*. — Ite nunc vos, o lauti homines, quibus omnes villæ sordent, tanquam exiguæ, præ vestris ingentibus latifundiis; arate et colite, per me licet, centum aratris et centum ligonibus Tiburtina vestra prædia et Prænestina; imo totum agrum Setinum obtinete, et uni e vestris villicis tradite: ego istis omnibus parvam Julii Martialis villam antepono.

32. *Centeno..... ligone*. Centum servis ligone utentibus. ED. — *Gelidum..... Tibur*. Vid. supr. epigr. LVII, vs. 3; et epigr. LX, etc. etc.

33. *Præneste*. Præneste est urbs Latii, nunc *Palestrina*, in clivo sita, octo leucis Roma distans, pulchris templi Fortunæ reliquiis conspicua. ED.

34. *Uni deditis ediam* in Beverlandi MS. — *Uni dedite*. Uni colono Setinum agrum locandum date, qui eum colat cum familia sua. — Unum colonum dicit, ut ostendat fastus divitum, quos alloquitur, quique uni tantum ex villicis, quos innumeros habent, Setiam dent colendam. ED. — *Setia* civitas est in extrema Latii parte supra Forum Appii, unde et Setinum vinum. Lib. XIII, epigrammate cxii: « Pendula Pontinos qua spectat Setia campos. » Pendulam dicit, quia in monte sita est, unde videtur pendere urbs illa decem et octo leucis distans a Roma, hodie *Sezza*; hic templi Saturni rudera videntur. ED.

36. *Tulli* edd. vett. ut supra, versu 1.

## LXV.

DE PHILÆNI. \*

OCULO Philænis semper altero plorat.  
 Quo fiat istud, quæritis, modo? lusca est.

\* In hoc epigrammate exhibendo non variant libri excusi aut manu exarati.

2. *Lusca est*. Miserum naturæ

vitium in illa muliere irridet Poeta, quæ oculo altero plorabat, quod alter deesset; et plorasset utroque, si utrumque habuisset. ED.



## LXVI.

AD LINUM.\*

EGISTI vitam semper, Line, municipalem ;  
 Qua nihil omnino vilius esse potest.  
 Idibus, et raris togula est excussa Kalendis ;

\* Linus quidam, frugalis municipii incola, vitam actitando tenuissimam, patrimonium ingens non aliter decoxerat, ac perditus Romæ nepos delicias quæritando luxuriosissimas. Miratur Noster eum artem excogitavisse, qua fieret pauper, quum nulla arte pauper fieri posse videretur; et rem imminuisse eodem vitæ cultu, quo res augeri aut saltem servari deberet. Ed.

1. *Municipalem.* Sobriam, utpote rusticam, qualis degitur in municipiis, quæ sunt oppida donata jure civitatis; quorum proinde incolis eadem licebat capere munia et magistratus gerere, qui Romæ gerebantur.

2. In edd. vett. *dulcius esse potest.* Ramiresius legit, *durius esse potest*; dure nimis, inquit Farnabius. Gruterus, ex trium codicum fide correxit, *vilius esse potest*, ut lib. VII, epigr. xxvii, *vilius esurio*, id est, minori sumptu. — *Vilium.* Parcius, angustius, minus sumptuosum. Sic lib. VII, epigr. xxvii, v. 10; « vilium esurio, » id est, minori sumptu. Ramiresius habita ratione literarum ductus præfert *durius*, quod similis est lectioni antiquorum codicum *dulcius*; et confirmat his Terentii versibus de

Andria, act. I, sc. 1: « Primum hæc pudice vitam, parce ac duriter Agebat, lana ac tela vitam quæritans. » Ed.

3. Heraldus e vet. codice legit, *togula est tibi sumpta*, quod interpretamentum esse alicujus grammatistæ existimat Ramiresius; ita tamen codex Pulmanni. — *Idibus, et raris togula est excussa kalendis.* Togulam tantum sumis festis kalendarum et iduum diebus, qui sunt rari, et duo tantum in mense; igitur non eam teris, nec pecuniam in nova emenda profundis. Ed. — *Idibus et.... kalendis.* Idus in medium fere mensem incidebant, eumque in duas partes quia dividebant, dictæ sunt *idus* ab Etrusca voce *iduarè*, hoc est, dividere. Kalendæ autem prima dies mensis erant, ita dictæ a verbo *καλῶ*, *voco*, quod pontifex, ubi nascentem primum lunam observasset (utebantur enim prisci Romani lunari mense, licet imperfecto), *vocaret* plebem in Capitolium, eique denuntiaret quot dies ad nonas usque superessent, quinque an septem. — *Togula.* Non lauta et magni pretii; sed paucis nummis tibi constans. Ed. — *Togula est excussa.* In recessu vestibus utentes vilioribus,

Duxit et æstates synthesis una decem.  
 Saltus aprum, campus leporem tibi misit inemptum; 5  
 Sylva graves turdos exagitata dedit.  
 Raptus flumineo venit de gurgite piscis;  
 Vina rubens fudit non peregrina cadus.  
 Nec tener Argolica missus de gente minister,  
 Sed stetit inculti rustica turba foci. 10  
 Villica vel duri compressa est nupta coloni,

Romani repositam habebant togam quam sumebant rarissime solennibus in festis; quum kalendæ autem Junoni, idus Jovi sacræ essent, ut ait Ovidius, Fast. I, « Vindicat Ausonias Junonis cura kalendas; Idibus alba Jovi grandior agna cadit »; ad sacra quædam publica populus conveniebat togatus: in municipiis autem rarior togæ usus. Juven. sat. III, vs. 171: « Pars magna Italiæ, si verum admittimus, in qua Nemo togam sumit nisi mortuus. » Vid. et Plin. lib. VII, epist. 8. — *Excussa*. Quum educuntur vestes ex arculis ubi servantur, solent excuti ad pulverem purgandum; et quo rarius educebatur Lini toga, eo pulverea magis. Ed.

4. *Synthesis*. Vestis cœnatoria, de qua jam multa mentio. Vide supra epigr. XLVI, vs. 15. Quum synthesim non mutaret Linus, ut Zoilus, lib. V, epigr. LXXIX, nec quotidie apud amicos cœnaret, diu eadem synthesisi utebatur. Ed.

5. *Saltus aprum*. Hoc est, venaris, piscaris, et vindemias colligis in tuis prædiis; inde pecuniæ tuæ parceus, quum esculenta et poculenta omnia habeas tua, nullo pretio comparata. — *Inemptum*. Labore

ventionis tantum, non pretio quæsitum. « Dapibus mensas onerabat inemptis », Virg. Georg. IV.

6. *Sylva*. Hic notari potest vocum *sylva* et *saltus* discrimen: Nostro hic ferarum, illa volucrum est domus. Ed. — *Graves*. Pingues. — *Exagitata*. Tui venantis indagatiōne, et canum clamoribus. Ed.

8. *Rubens*. Et a vini colore, et a colore testæ igne coctæ; ex argilla enim fiebant vulgo dolia. — *Non peregrina*. Inempta quoque, nata in vineis tuis. Ed.

9. *Nec tener ed.* Juntina anno 1512. — *Nec tener Argolica*. Græci pueri delicati ingenti pretio vendebantur, in quo plerique insaniebant, ita ut effunderent in puerorum pretia ingentes opes. Sic lib. I, epigr. LIX: « Millia pro puero centum me mango poposcit; Risi ego, sed Phœbus protinus illa dedit »; et lib. XII, epigr. XXXIII: « Ut pueros emeret Labienus vendidit hortos. » At nulla inde Lino paupertatis occasio.

10. *Stetit*. A pedibus. Vid. lib. III, epigr. XXIII; vel non tibi rectus adstitit minister et pincerna formosus, sed, etc. Ed. — *Rustica turba foci*. Villici pueri vernæ. Vid. lib. I, epigr. I, vs. 27 et 28.

Incaluit quoties saucia vena mero.  
 Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris;  
 Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis.  
 Supposita est blando nunquam tibi tessera talo; 15  
 Alea sed parca sola fuere nuces.

12. *Saucia*.... mero. Ebria. Lib. III, epigr. LXVIII, vs. 6. — *Vena*. Libidinis instrumentum. Vid. lib. VI, epigr. XLIX, vs. 2; lib. XI, epigr. XVI, vs. 5; Horat. lib. I, sat. II.

13. *Nec nocuit*, etc. Proponit nunc per negationem causas paupertatis, quarum nulla contigit Lino; tectorum conflagrationem, agrorum ardorem, navium jacturam. *Ramiresius*. — *Sirius*. Signum caeleste aliter dictum Canicula, astrum nocentissimum segetibus et arboribus, e cujus nimio ardore exusti solent perire fundi.

14. *Nec merces pelago perdidit ulla ratis*, vel *Nec merces pelago prodidit ulla ratis* conjicit Ant. de Rooy. Cf. lib. V, epigr. XLIII. Haud ineleganter, inquit, navis merces pelago prodere dicitur pro *effundere*, atque adeo possessorem spe fraudare. Vide quæ de hac verbi hujus notione dat Gronov. Obs. lib. III, cap. 20. Deinde dubitat scripseritne Martialis: « Nec mersas pelago obruit unda rates, » vel: « Nec mersas pelagi obruit unda rates. » Cf. Virg. *Æn.* I, 73. Nostr. infr. IX, 41; Lucan. III, 195; Ovid. *Amor.* II, 11, 1; *Pont.* I, 5, 39; *Trist.* II, 196. Nec est, quod hiatum moremur. Sæpius hunc vel primi ordinis vates neglexisse, noverunt illi, qui Veterum monumenta versarunt. Vide Cannegiet.

ad Avian. fab. XXVIII, 12. Vonk. lect. lat. II, 6; *Miscell. Obs.* vol. X, pag. 190; Barth. ad Calpurn. ecl. V, 12; Wasii Senar. c. 4, et Voss. *Art. Gramm.* lib. II, cap. 14. *nec fuit ulla ratis* Beverlandi MS. — *Fluit*. Nulla ratis quæ tua sit, per mare versatur, et in periculum naufragii venit. Ed.

15. *Supposita est blando*, etc. Nunquam talis relictis, in eorum locum tesseres lusisti, cum majori pecuniæ jactura; hoc est, non decoxisti patrimonium tesseres: lusores autem solebant a minori ludo, a talis nempe, incipere, mox animis incalescentibus, depositis talis, supponebantur tesserae, in quibus major erat alea. Lib. XIV, epigr. xv: « Non sim talorum numero par tessera, dum sit Major, quam talis, alea sæpe mihi. » — *Tessera talo*. Talus, *osselet*, quatuor tantum facies habet, sic dictus quia speciem habet ac formam ossiculi quod in talo est. Talis potissimum ludebant animi causa; lucri autem causa tesseres. Tessera est cubus, seu ebur ab omni parte quadratum, et certis notatum punctis numero variis; gallico sermone *un dé*.

16. *Alea sed parca*. Hoc est, sed victoriæ præmium erant nuces, quibuscum vel pueri ludunt. Vid. lib. XIV, epigr. XVIII. — Ant. de Rooy conjicit, *tota fuere nuces*. Cf. Ovid. *Nuc.* 75.

Dic ubi sit decies, mater quod avara reliquit?  
Nusquam est : fecisti rem, Line, difficilem.

17. *Dic ubi, etc.* Quum itaque frugaliter vixeris, vestitu, victu, ministerio et venere; quum nec igni, nec cæli inclementia, nec naufragio neque alea jacturam feceris, demiror quomodo eodem vitæ cultu, quo alius quis e paupere dives fieri poterat, tu ex ditissimo factus sis pauperrimus. — *Ubi sit decies.* Post adverbia *decies, tricies, etc.* intellige semper centena millia sestertium.

18. *Fecisti rem, Line, difficilem.* Ludit in ambiguitate verbi Marcialis quasi dicens: dum rem tuam familiarem fecisti difficilem, id est, pauperem (quemadmodum opes dicuntur *facultates*), rem fecisti difficilem, in qua excogitanda multum tibi fuit laborandum: difficilius enim erat patrimonium tuum exhaurire quam servare; quum simplici et admodum parco vitæ genere hactenus usus fueris. Ed.

## LXVII.

IN PRÆTOREM.\*

PRÆTOREM pauper centum sestertia Gaurus  
Orabat cana notus amicitia;

\* Quibus parum deerat ad explendum censum equestrem, ii a ditioribus amicis petebant, unde explerent. Plin. lib. I, epist. 19. Inducit igitur prætorem quemdam Noster, qui centum sestertia Gauro amico ad hanc causam petenti negat, quia ingens munus daturus esset duobus equorum agitatoribus, unde isti sibi statuam ponerent equestrem; indignaturque Poeta\* equo æneo potius quam equi vivo pecuniam suam largiri amicum illum inhumanum. Vid. lib. V, epigramm. xxv. Ed. — *Prætorem.* Hoc mihi videtur nomen proprium. Ed. Alii tamen intelligunt magistratum. Quum consules sæpe ab Urbe ab-

esse coacti, non possent jus semper dicere civibus, prætor unus creatus est anno ab urbe condita 387, qui litigantibus juris formulas daret, et juris quæstione, non autem facti, dijudicata, eos coram iudicibus pedaneis remitteret; sic illud munus obibat, quod nunc apud Anglos, *le chancelier de l'échiquier*. Anno autem ab urbe condita 510, alter prætor additus, qui peregrinis jus diceret. Crevit deinde prætorum numerus usque ad 14; nec eorum munus idem omnino permansit. Ed.

2. *Orabat cara* in edd. vett. ut lib. I, epigr. xxvi; *nota carus amicitia* in Beverlandi MS. — *Orabat.*

Dicebatque suis hæc tantum deesse trecentis,  
 Ut posset Domino plaudere justus eques.  
 Prætor ait : Scis me Scorpo, Thalloque daturum;  
 Atque utinam centum millia sola darem.  
 Ah pudet ingratae, pudet ah male divitis arcæ!  
 Quod non vis equiti, vis dare, Prætor, equo?

Ut sibi daret precabatur, sed frustra. Ed. — *Cana Veteri*, ad canitiem producta. Vide lib. I, ep. xvi, v. 2.

3. *Hæc tantum deesse trecentis*. Census equestris erat quadringentorum sestertium : trecenta autem tantum habebat Gaurus ; centum igitur a Prætoris postulabat. Potuisset tamen sine ulla petitione inter quatuordecim ordines sedere, si nomen equitis honorarium accepisset a Principe, ut diximus de Martiale, lib. III, epigrammate xcvi, versu 10. Ed.

4. In Beverlandi MS. *jussus eques*; et sic Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Lang. etc. Conf. lib. I, epigr. civ. Verba *jussus* et *justus* passim permutantur. — *Domino*. De superbia Domitiani regem dominumque se vocari jubentis, vide quæ adnotavimus supra, epigr. xxx, vs. 4, et multis aliis in locis. Ed. — *Plaudere justus eques*. Moris erat plausu læto excipere viros nobiles in theatrum prodeuntes. Sic adveniienti Cæsari plauderat populus. Lib. VI, epigramm. xxxiv, vs. 5 : « Quæque sonant pleno vocesque manusque theatro Quum populus subiti Cæsaris ora videt. » Volebat autem Gaurus Cæsari plaudere inter quatuordecim ordines sedens, non in infimis theatri subselliis. — *Justus eques*. Integris equestribus facultatibus ex lege Roscia.

5. *Strope Beverlandi MS. Thalloque daturum* in edd. vett. *Thalloque* debetur Lipsio, Epist. Quæst. I, 5. — *Scorpo*. Scorpus nobilis equorum agitator, Domitiani tempore, idem erat quem deflet Poeta innotuum, lib. X, epigr. 1; cujus epitaphium scribit eod. lib. epigr. LIII, cujus et ingentes quæstus enumerat epigr. LXXIV, vs. 5 : « Quum Scorpus una quindecim graves hora Ferventis auri victor afferat saccos. » Cujus et meminit lib. V, epigr. xxv, vs. 10; et lib. XI, epigr. I, vs. 16. — *Thallo*. Equorum quoque agitatore. De Thallo nihil legisse meminit Ramiresius, præter nomen ejus in Tabella, quam adducit Onuphrius Panvinus, de lud. Circens. cap. 13. — Alii legunt *Thalloque*. Sed legendum *Thallo*, inquit Raderus, adducta veteri inscriptione ubi fit mentio *Thalli*.

6. *Atque utinam*, etc. Sed multa mihi danda esse video.

7. *Ah pudet ingratae*, etc. Pudet me tui, o Prætor, ait Martialis, qui tam sis ingratus erga veterem amicum, et usum divitiarum nescis. — *Male divitis arcæ*. Quia Prætor abutebatur suis opibus, nec illas cum amicis communicabat. — De arca vide lib. I, epigramm. LXXVII, versu 5.

8. *Quod non das equiti*, sic Ald.

Junt. Colin. Gryph. et Pulmann. Junian. Lang. Delph. cæterique. — *Equo*. Statuæ equestres, inter alia victoriæ præmia, agitatoribus excitabantur ab iis qui fautores illorum se profitebantur. — *Dare equo*. Est igitur dare statuæ equestri erigendæ; in qua majoris pretii erat æneus equus cum basi, quam statua ipsa. — Vel intellige *dare equo*, dare homini qui nihil novit nisi equos agitare, et est ipse quasi *caballus* (vid. lib. I, epigr. XLII,

vs. ultimo.) — Vel denique intellige dare Scorpo, ut equos alat, celeresque ac nitentes habeat. — *Dat equo*, id est, dat homini qui tantum valet ob equi pernicitatem. Noster epigr. VI, 25: « Quam non censuro dare quadraginta caballo Aureus ut Scorpi nasus ubique micet »; ubi multi viri docti reponunt *æreus*, pro *aureus* quia statuæ æneæ equestres agitatoribus erigebantur, quum palmis multis in Circo inclaruissent. ED.

## LXVIII.

AD SEXTUM. \*

INVITAS centum quadrantibus, et bene cœnas.  
Ut cœnem invitor, Sexte, an ut invideam?

\* Invitas me ad cœnam promissis mihi centum quadrantibus (ea vulgo summa sportulæ erat ut diximus); tu laute cœnas, ego in eadem tecum mensa spectator otiosus accumbo: an invitas me ut cœnem, an ut esuriens tibi prandenti invideam?

— Hujus epigrammatis lectionem non variant libri manuscripti aut impressi.

1. *Centum quadrantibus*. Clientes pauperes, quibus dabatur sportula, eam non ante accipiebant quam interfuissent cœnæ divitis, a quo sportula donabantur: ita erant convivæ honorarii et *venales* (vid. lib. III, epigr. LX, vs. 1; et epigr. XXX, vs. 1). Sæpe et quoddam dabatur, præter sportulam, pretium,

ut sic inertes convivæ, perparum e ferculis attingentes, præsentia sua tantum divitis mensam honestarent. Hinc Sextus hic dicitur invitare centum quadrantibus; hinc lib. IX, epigr. CI: « Denariis tribus invitatus. » — Hos fictos convivas, has fraudes sustulit Domitianus, cœnas rectas revocando; et inde dicere Martialem *nihil stropharum est* lib. III, epigr. VII, vs. 6, putat Ramir. recte quidem, ut videtur. ED.

2. *An ut invideam*. Sic queritur de Cæciliano, lib. I, epigr. XXI; de Mancino, lib. I, epigr. XLIV; de Fabullo, lib. III, epigr. XII; de Nævia, lib. III, epigr. XIII; de avaro quodam, lib. III, epigram. XXIII, et epigr. XLIX; de Rufo, eodem lib. epigr. XCIV, etc. etc. ED.

## LXIX

AD PAMPHILUM. \*

Tu Setina quidem semper, vel Massica ponis,  
 Pamphile : sed rumor tam bona vina negat.  
 Diceris hac factus cælebs quater esse lagena.  
 Nec puto, nec credo, Pamphile, nec sitio.

\* *Ad Papyrus* inscriptio est in codice Thuan. sed *Ad Pamphilum*, in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. etc.

1. *Marsica potas* Beverlandi MS. — *Tu Setina*. De Setia Latii urbe, unde vinum Setinum, dictum epigr. LXIV sup. vs. 34. — *Vel Massica* : de vino Massico egimus lib. I, epigr. XXVII, vs. 8 ; lib. III, epigr. XXVI, vs. 3, etc.

2. *Sed rumor*. Serpebat quippe rumor vina a Pamphilo apponi infecta veneno. — *Negat*. Negat esse nectar, sed ait esse venenum.

3. *Diceris hac factus*. Hoc est, quatuor uxores veneno necasse, ut earum dote fieres locupletior. — *Cælebs*. Viduus ; cælebs est qui caret uxore. — *Lagena*. Vid. supra, epigr. XLIII, vs. 5 ; et lib. XII, epigr. XCIII, vs. 4.

4. *Nec puto*. Sensus est : Non credo quidem verum esse illum rumorem ; attamen meo discrimine discere nolo : malo famæ quam experientiæ credere. Ideo bene valeas cum lagena tua : non sitio istud vinum, quamvis exquisitum et inter optima. Ed.

## LXX.

DE AMMIANO AD MARONILLUM.

NIHIL Ammiano, præter aridam restem

1. *Mamiano* in cod. Florent. Ramiresius legit *vestem* pro *restem*, et, ut credit, meliore sensu ; quod arida vestis sit sola vestis, nulla alia re adhibita. Sic lib. X, epigr. LXXV, vs. 11 : « Sportula nos junxit quadrantibus arida centum ». Sic est etiam in edd. vett. Ald. Junt. Colin. Gryph. Aridam ve-

stem tritam intelligit Domitius ; at Lips. elect. I, cap. 18, legit *restem*. — *Aridam restem*. Qua se perditæ luxuriæ filius et nequam suspenderet. Eum scilicet exhæredavit pater, illi male precat. Solebant enim iis verbis imprecando uti : *Restem et clavum, quibus collum alliget ; subaud. relinquo*.

Moriens reliquit ultimis pater ceris.  
Fieri putaret posse quis, Maronille,  
Ut Ammianus mortuum patrem nollet?

2. *Ultimis..... ceris.* Id est ultimo testamento : nam prioribus pater hæredem eum scripserat, unde illi perditissimæ luxuriæ filio desiderium erat paternæ mortis; sed ejus improbitate iratus pater, nil simile exspectantem exhæredavit. ED. — *Ceris.* A consuetudine in ceratis tabulis scribendi, appellabantur per metonymiam *ceræ*, quævis scripturæ, vel tabulæ.

3. *Fieri putet potuisse* in Ald. Junt. Colin. Gryph. et aliis edd. veteribus. *putat posse* cod. Vat. *putaret posse* cod. Florent. — *Marulline Beverlandi MS.* — *Fieri putaret*, etc. Vulgatissimum erat Ammianum

patris mortem impense optare, hæreditatis copiosæ cupiditate, quod in prioribus tabulis se sciret hæredem institutum. Quum autem aperto testamento nihil sibi relictum videret, nisi laqueum, dolebat mortuum patrem, a quo vivo poterat aliquid accipere, quo vitam hilarem in comessionibus duceret. Eodem joco utitur lib. VI, epigr. LXIII, vs. 8, ad Marianum, de hæredipeta : « Si cupis ut ploret, da, Mariane, nihil. »

4. *Mamianus* cod. Florent. — *Nollet.* Turpior sensus posset colligi ex lib. II, epigr. 4. Vid. et lib. III, epigr. x.

## LXXI.

AD SOPHRONIUM RUFUM.\*

QUÆRO diu totam, Sophroni Rufe, per urbem,  
Si qua puella neget; nulla puella negat.

\* Queritur puellarum Romanarum facilitatem, ex quibus nullam quæ negaret inveniebat; et quid sit casta puella, docet. Huic epigrammati conjunctum est epigr. LXXXII infra.

— *Ad Sophronium* inscribitur in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Lang. Junian. etc. *Ad Sempronium* in aliis. *Ad Sophronium* cod. Thuan.

1. Beverlandi MS. *per orbem.* — *Quæro diu totam*, etc. Negantem

puellam quærebat ob eam causam quod facilitas in dando satiare soleat, ut dixit ipse, supra, epigr. xxxviii : « Galla, nega; satiatur amor, nisi gaudia torquent; » et epigr. xlii, de puero, « Sæpeque nolentem cogat, nolitque volentem »; atque lib. I, epigr. lviii, « Nolo nimis facilem difficilemque nimis », et ultimo versu subjungit causam : « Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat. » *Ramir.* Horat.



Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare,  
 Tanquam non liceat; nulla puella negat.  
 Casta igitur nulla est? castæ sunt mille. Quid ergo  
 Casta facit? non dat; non tamen illa negat.

autem, lib. I, Sat. II, 119: «parabilem amo venerem.»

3. *Tanquam fas non sit.* Et versu sequenti: *tanquam non liceat.* Differunt *fas esse et licere: nefas est quod sua natura turpe et iniquum; non licet quod seu æquum, seu iniquum prohibetur ab aliquo; igitur hic est sensus, quasi iniquum sua natura vel turpe sit negare, et quasi non*

concessam ad negandum habeant puellæ facultatem, non negant. *Ramiresius.* — *Fas.* Dicitur a *fando*: *fas est ideo quod æquum est fari; nefas, quod fari non æquum est.*

6. *Non dat; non tamen illa negat.* Quæ non ultro dat, ea casta vocatur: sed rogata non negat; sic Ovidius, Amor. I, 8, 43, «casta est quam nemo rogavit.»

## LXXII.

AD QUINTUM.\*

EXIGIS, ut donem nostros tibi, Quinte, libellos.  
 Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.  
 Æs dabo pro nugis, et emam tua carmina sanus?  
 Non, inquis, faciam tam fatue. Nec ego.

\* Sub persona Quinti sordes reprehendit eorum qui, ut Lupercus ille, lib. I, epigr. cxviii, libellos epigrammatum a Nostro petebant, ut legerent gratis, nec emerent a bibliopola. ED.

1. *Exigis ut donem*, etc. Sic lib. VII, epigrammate lxxvi: «*Exigis ut nostros donem tibi, Tuca, libellos.* ED.

2. *Bibliopola Tryphon.* Nobilis est Quintiliani præfatione; de quo Noster etiam, lib. XIII, epigr. III:

«*Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.*»

3. Beverlandi MS. *et emam tua carmina si vis.* — *Æs dabo...*? ait Quintus.

4. *Nec ego.* Respondet Martialis; nec ego tam fatuus ero, qui fatuo gratis donem meos libros. Istius Quinti avaritiam castigat, qui paucos impendere nummos recusabat, ut sibi hos libros compararet, quos tamen legere summo studio expetebat.

## LXXIII.

DE VESTINO.\*

QUUM gravis extremas Vestinus duceret horas,  
 Et jam per Stygias esset iturus aquas;  
 Ultima volventes orabat pensa sorores,  
 Ut traherent parva stamina pulla mora,  
 Jam sibi defunctus, caris dum vivit amicis;

Λοίσθιον ἀσθμαίνων πυμάτη Βεστῖνος ἐν ὄρῃ,  
 Καὶ Στυγίους νεύων εἰς αἴδαο δόμους·  
 Κλωσῆρ' ὑσάτιον σρωφώσας λίσσετο Μοίρας  
 Ἐλκειν τυτθὸν ὅσον νήματα φαιοφαῖ,  
 Μέσφα φίλοις ζῶει, θνήσκων μόνος αὐτὸς ἑαυτῶ·

\* Atticum Vestinum laudat a liberalitate qua, mortifero morbo laborans, et modo animam emissurus, cum amicis usus est; quibus ingentia divisit dona; quo facto, lubens decessit.

1. *Gravis*. Gravi morbo affectus. — *Vestinus* filius erat illius Vestini quem consulem damnavit et mori jussit immerentem Nero. Vid. Sueton. et Lips. in lib. XV Annal. Taciti.

2. *Et tam* Junt. ann. 1512.

3. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *oravit*. — *Ultima volventes*. .... *pensa sorores*. Intellige Parcas, de quibus vide supr. epigr. LIV.

4. Cod. Vat. *stamina nulla*. Alii legunt, *stamina nigra*. — *Ut traherent*, etc. Ut lanæ paululum e ferali colu producere continuarent et a stamine præcidendo aliquantis-

per abstinerent, nec quidem ut sibi viveret, sed ut viveret amicis, et tempus haberet unicuique bona largiendi. ED. — *Stamina pulla*. Pulla Parcarum stamina ea sunt quæ mortem minantur. Lib. VI, epigr. LVIII, vs. 7: « Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores Stamina. » Alba autem stamina ducere Parcæ dicebantur, quando vitam in longius protrahebant. Juvenal. sat. XII, vs. 65: « postquam Parcæ meliora benigna Pensa manu ducunt hilares, et staminis albi Lanificæ. »

5. Cod. Florent. *carus*. — *Jam sibi defunctus*. Parcas exigam orabat moram, non mortem causa sua metuens, nec quia vitæ desiderio tenebatur, sed ut amicis suis consuleret; quod votum valde piuni erat.

Moverunt tetricas tam pia vota Deas.  
Tum largas partitus opes, a luce recessit;  
Seque mori post hoc credidit ille senem.

Κάμψεν ἀμειδῆτους ἰθὺ δέημα θεάς.  
Εἶτα φάος λείπει, διανείμας ἄσπετον ὄλβον·  
Καὶ μετὰ ταῦτα γέρων αὐτῷ ἔδοξε θανεῖν.

6. *Tetricas*. Quas nemini datur exorare, ut ait ipse Martialis sup. epigr. LIV, vs. 5, eas tamen exoravit Vestinus. ED.

8. Alii legunt, *posthac*; alii *post hæc*. — *Senem*. Satis se vixisse, hoc facto, credidit; nihil superesse melius quod faceret, etiamsi ad sum-

mam usque senectutem perveniret. — Idem ingeniose dixit lib. X, epigr. LIII, de Scorpo, agitatore, viginti septem annorum: « Dum numerat palmas credidit esse senem »; a virtute enim atque præclare factis annos numerare debent mortales.

## LXXIV.

DE DAMIS. \*

ADSPICIS, imbelles tentent quam fortia damæ  
Prælia? tam timidis quanta sit ira feris?  
In mortem parvis concurrere frontibus ardent.  
Vis, Cæsar, damis parcere? mitte canes.

\* De damis in arena adversis frontibus in se mutuo concurrentibus, dictum supr. epigr. xxxv.

— *Ad Cæsarem* inscribitur in Beverlandi MS.

1. *Imbelles*, etc. Elegantibus antithetis hoc distichon ornavit, « imbelles, fortia prælia; timidis feris, quanta ira. » — *Damæ*. Sunt capræ quædam silvestres, imprimis meticulosæ.

3. Bev. MS. *frontibus ardent*; et sic Gruterus ex marginali lectione

Colinæi legere mallet, modo illa lectio aliquo codice confirmaretur. In omnibus aliis *ardent*.

4. *Mitte canes*. Canibus, qui alias damis exitio sunt, immissis, dirimetur prælium damarum ad perniciem inter se furentium. Minus enim iis timendum est a canibus, quam a semetipsis. Similis est jocus lib. I, epigr. XLIX, vs. 7: « Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris, Ad quæ confugas, ora leonis habes. »

LXXV.

DE NIGRINA.\*

O felix animo, felix, Nigrina, marito,  
 Atque inter Latias gloria prima nurus!  
 Te patrios miscere juvat cum conjugē census  
 Gaudentem socio, participique viro.  
 Arserit Evadne flammis injecta mariti,

\* Non Romæ licebat marito patrimonium uxoris caducum participare, a qua liberos non suscepisset; Nigrina tamen quædam, conjugii suo impertierat relictos a patre census, licet nullos haberet liberos. Hoc liberalitatis exemplum, forsitan quia rarum, vehementissime laudat Martialis, ita ut Nigrinam Evadnæ Alcestæque anteponat, quod illæ morte sua, Nigrina autem sine morte piam in conjugem caritatem confirmaverit. ED.

1. *O felix animo.* Felicem animo vocat Nigrinam, quia quidquid præclare facimus nos vere præstat felices. ED.—Vel quod hic animus ita benignus in virum summæ laudi sit ei futurus. *Ramires.* — *Felix.... marito.* Si vocem *marito* ablativum esse casum putabimus, hic erit sensus: O felix, quæ maritum habeas tali virtute commendatum, ut mereatur te in ejus gratiam hæc agere! Sin autem cum *Ramiresio* dativum casum esse censebimus, *felix marito* intelligemus *marito utilis*, seu *in felicitatem mariti nata*.

2. *Latias.* Quum mentionem faciat infra de Evadne et Alceste, quæ exteræ nationis fuerant, ideo

dixit *Latias nurus.* — *Gloria prima.* Quidquid eminentissimum in quovis genere est, appellat *gloria prima* Noster; sic lib. XIII, epigr. xciii, « Inter quadrupedes gloria prima lepus », vel *gloria rara*, lib. Spect. epigr. xviii, « Tigris ab hircano gloria rara jugo. » — *Nurus.* Proprie est *uxor filii*; hic pro uxoribus quibuslibet accipitur.

3. *Jam patrios* Beverlandi MS. cum *conjugē census* in edd. vett.

4. In iisdem, *participemque.* — *Participi* divitiarum a patre tuo acceptarum; sic quod non ei competebat ex lege jus, id ei competit ex tua liberalitate. ED.

5. Beverlandi MS. *intenta mariti*; sed *flammis injecta mariti* correxit Heinsius ad Claud. XV, 407. — *Arserit Evadne.* Iphiæ filia et uxor Capanei, unius ex septem ducibus Græcorum, et in oppugnatione Thebarum cæsi, quem tanto amore prosequabatur, ut, quum mortuum illum cremari videret, in eundem se rogam immiserit. Virg. Æn. VI. Ovid. Trist. IV, eleg. 3, 63: « Quum cecidit Capaneus subito temerarius ictu, Num legis Evadnen erubuisse viro », etc. et Art. Am. III, 21:

Nec minor Alcestem fama sub astra ferat.  
 Tu melius : certo meruisti pignore vitæ,  
 Ut tibi non esset morte probandus amor.

« Accipe me, Capaneu ; cineres miscebimur, inquit Iphias ; in medios desiluitque rogos. » Vide et Stat. Thebaid. lib. XII.

6. *Nec minus* Ald. Junt. Col. ann. 1528, etc. — *Alcestem*. Pelix fuit filia, et uxor Admeti regis Thessaliæ, pro quo lubens se morti objecit, quum Oraculum respondisset, brevi Admetum moriturum, nisi aliquis ex propinquis pro eo mortem sponte oppeteret. Ovid. P. III, I, 106 : « Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset, Admeti conjux, quam sequeris, erat. » Vid. et Euripid. Admetus jamjam profecturus ad Trojæ obsidionem.

7. *Tu melius certe* in iisd. ed. *Tu melius certo* cod. Palat. et Beverlan-

di MS. et sic legit Musambertius. *Tu melius certa* ed. Colin. recentior. *Tu melius certæ* legendum putat Ramiresius. At *pignora vitæ* codex Pulmanni. — *Certo meruisti pignore vitæ*. Vivens tam certum dedisti pietatis pignus, opibus paternis cum viro communicatis, ut satis illa sit probata, nec indigeat misera mortis conditione ut certius probetur. Lib. I, epigr. 9 : « Nolo virum facili redimit qui sanguine vitam : Hunc volo laudari qui sine morte potest » ; et lib. II, epigr. LVII, vs. 5 : « Rebus in angustis facile est contemnere vitam. » — Ramiresius legit *certæ*, et *vitam certam* intelligit vitam non periclitantem.

## LXXVI.

IN AVARUM AMICUM.\*

MILLIA misisti mihi sex, bis sena petenti ;  
 Ut bis sena feram, bis duodena petam.

\* Dixerat Martialis lib. I, epigr. LXXVI : « Dimidium donare Lino, quam credere totum Qui mavult, mavult perdere dimidium. » Hic autem avarus amicus, in quem est hoc epigramma, illud sibi consilium utile existimavit, et sibi cavens, duodecim millia petenti Poetæ sex

millia misit : sed quo eum deludat artificio invenit Poeta, dicens se duplum summæ, qua sibi fuerat opus, alias petiturum, ut summam habeat integram, quam voluerit habere.

— *In Bissenam* inscriptio est in codice Florentino.

## LXXVII.

IN ZOILUM INVIDUM.\*

NUNQUAM divitias Deos rogavi,  
 Contentus modicis, meoque lætus.  
 Paupertas, veniam dabis, recede.  
 Causa est quæ subiti, novique voti?  
 Pendentem volo Zoilum videre.

5

\* *In Zoilum invidum de voto est lemma in Beverlandi MS.*

— Invidebant Nostro non pauci, ut et hoc et aliis epigr. docet; inter quos erat Statius. Vid. epigr. ad Julium: « Rumpitur invidia quidem. » Zoili historiam invenies apud Vitruvium atque Claudium Minoem.

2. Ant. de Rooy conj. *Contentus modico.* Cf. Galli (sive Maximil.) eleg. I, 53; Tibull. I, 1, 47; Claud. in Rufin. I, 214; et Veget. lib. I, cap. 3. — *Contentus modicis*, etc. Quod ad vitam beatam pertinere pluribus explicat verbis, lib. X, epigr. XLVII.

3. *Paupertas.* lib. V, epigr. XIII, vs. 1: « Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper. » — *Veniam dabis.* Mihi ignosce, si postquam te fovi laudavique, nunc te contemno et recedere velim. ED.

4. *Causa est tam subiti* Ald. Junt. Colin. etc. — *Causa est quæ.* Unde fit, ut ego divitias nunc optem, quum semper paupertatem amaverim? Quia, inquit, quum Zoilus ditescere me viderit, rumpetur invidia, et præ livore se suspendebit, cujus rei desiderio teneor. De Zoilo superius dissertatum, qui vere suspendio vitam finiit. De invidia et invidis lege Alciati emblemata de femina viperas vorante, quod ex Ovidio ductum; de hydra, apud Pierium; de livore sibi fauces stringente, apud Silium; de pallore, macie et felle, apud Ovid. M. II, 760. In illa tam vividis coloribus expressa descriptione Invidiæ.

5. *Pendentem volo.* Sic lib. I, epigr. cxvi, vs. 4, de Procillo invidio: « Jam suspendia sæva cogitabis », etc. Aliorum enim felicitas invidum facit infelicem. ED.

## LXXVIII.

IN VARUM.\*

AD cœnam nuper Varus me forte vocavit;  
 Ornatus dives, parvula cœna fuit.  
 Auro, non dapibus oneratur mensa : ministri  
 Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.  
 Tunc ego : Non oculos, sed ventrem pascere veni;  
 Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

\* Poeta irridet Varum quemdam, qui ornatum quidem mensæ divitem, parvulam vero cœnam convivis apponebat. Vide lib. I, epigr. XXI et XLIV; lib. III, epigr. XII, XIII, XXIII, LX et XCIV; epigr. LXVIII, supra; lib. VII, epigr. XLVIII, etc. ubi idem fere tractatur argumentum. Multi tamen negant esse Martialis hoc epigramma, quod Adr. Junius, ut et quædam alia adoptavit primus: Ἀργυρέη λιμῶ τις ἐς εἰλαπίνην με καλεῖσας Ἐκτανε. Anth. lib. II, cap. 50. Et quidem libenter Martiali abjudicarem, velut indignum, nisi pauca identidem apparerent sensu non magis acuto, et sale magis acri non elaborata quod nec miremur in tanta multitudine. Ed. Ramiresius elegans epigramma judicat et poeta dignum, et addit elegantem esse metathesim, qua Noster vult *aut apponi dapes, aut auferri opes*.

— Hoc epigr. deest in edd. antiquiss. Ferrar. Ald. 1501, 1517, 1550; Junt. 1512; Colin. 1528; Gryph. 1535, etc. Certe Janus Gruterus in codice suo non reperit. Exstat in edd. Junian. Pulman. Ramires. Lang. et recentt.

2. *Ornatus*. Supellectilis apparatus. Ed.

5. *Non oculos, sed ventrem pascere*. De hac formula, *pascere oculos* dictum est supra epigr. lib. I, 97.

6. *Opes*. Vasa aurea, lances pretiosas, etc. Ed. — *Aufer opes*. De hoc loco sic Petitus. « Nullum acumen, nulli sales. Rescribo venustissimo sensu : « Aut appone dapes, Vare, vel aufero opes. » Jubet enim Martialis, ut apponantur dapes, non aurum; nam nisi dapes apponantur, minatur se ablatum aurum, quod appositum erat; quemadmodum e dapibus partem domum auferebant. »

## LXXIX.

IN AFRUM.\*

CONDITA quum tibi sit jam sexagesima messis,  
 Et facies multo splendeat alba pilo;  
 Discurrens tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,  
 Cui non mane feras irrequietus, Ave.  
 Et sine te nulli fas est prodire tribuno,

5

\* Afrum carpit ardelionem, minori etiam, quam Attalum (lib. I, epigr. LXXX; et lib. II, epigr. VII), excusatione dignum, quod, quum esset sexagenarius, et rerum usutritus, minus eum deceret undique discurrere juveniliter, et deridenda officiositate unumquemque vexare. ED.

— *Ad Rufum senem inquietum* inscribitur in cod. Thuan.

1. *Condita quum tibi*, etc. Quum annos sexaginta sis natus: *messis* pro autumnus, *autumnus* pro anno sumitur. — *Condita*. Messem *condere* est eam in horrea devehere.

2. *Et facies multo*, etc. Et barba tibi incanuerit. ED.

3. *Discurrens tota vagus urbe*. Ambitiosa indagine officiosus circumcursas potentiores patronos, divites viduas, aut orbas (id est sine liberis), etc. salutaturus. — *Nec ulla cathedra est*. Sensus est: et quoties tibi per urbem vaganti occurrat lectica vel sella gestatoria, extemplo advolas, salutaturus eum qui gestatur. Vide lib. XI, epigr. XCIX. — Aut per atria divitum transcurris, et unumquemque salutas in cathedram suam ascenden-

tem, ut eat foras. ED. — Vel etiam portas Ave patronis, seu viduis, in cathedra domi sedentibus, et salutantes exspectantibus. — *Cathedra*. Cathedra commune Græcis nomen est pro quovis sedili; et eadem ratione a Latinis usurpatur, nunc pro sella, nunc pro muliebribus stratis: hac ultima significatione sumitur a Nostro supra, lib. III, epigr. LXIII, vs. 7: « Inter femineas tota qui luce cathedras Desidet »; et lib. XII, epigr. XXXVIII, vs. 1; et Horatius, I, sat. x: Discipularum inter jubeo plorare cathedras. » Pro lectica autem sumitur aut potius pro sedili lecticæ, sat. 1, vs. 65: « quum jam sexta cervice feratur Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra. »

4. *Cui non mane*, etc. Vide lib. III, epigram. LVI, vs. 6: ineptior autem Afer, quam cæteri clientes, quia Ave portaret, quum jam seni dicendum esset *Vale*. Vid. lib. V, epigr. LXVII, et Senec. de Tranquill. cap. 12.

5. *Et sine te*, etc. Hoc est, tribunos et consules domo exeuntes assectaris, deducis, etc. Sic lib. XI, epigr. XCIX: « Non consulatus ipse,



Nec caret officio consul uterque tuo;  
 Et Saero decies repetis Pallatia clivo,  
 Sigeriosque meros, Partheniosque sonas.  
 Hæc faciant sane juvenes; deformius, Afer,  
 Omnino nihil est ardelione sene.

non tribunatus, Sævique fascēs, nec superba clamosi Lictoris abiget virga basiatorem. — *Tribuno*. Tribunus plebis erat magistratus in gratiam populi creatus, ut ejus utilitatibus rationibusque consulere. Erant et alii tribuni, militares dicti, de quibus vide lib. III, epigramm. xciv, vs. 9.

6. *Officio*. Tuis officiosis deductionibus.

7. Beverlandi Ms. *repetis Pallatia divo*. De permutatione *cl* et *d*, vide quæ diximus ad lib. I, epigr. xc. — *Decies*. Sæpius. — *Repetis Pallatia*, etc. Per viam Sacram redis ad palatium Imperatoris. Clivus est locus declivis et pronus. Via Sacra dicebatur ea quæ ad Jovis templum in Capitolio exstructum ducebat.

8. *Sydereosque* codex Vat. Sunt qui legant *Sigeriosque modos*, ut est in Ald. Junt. Colin. etc. sed Musambertius legendum censet, *Sigeriosque modo*, id est tantum Sigerios, sive nihil aliud sonas quam Sigerios et Parthenios. — *Sigeriosque*, etc. Ex Suet. in Domit. c. 17, et ex Nostro multis in locis scimus, Parthenium cubicularium fuisse Domitiani, cui Xiphilinus comitem

dat Sigerium. — *Meros*. Id est nihil nisi Parthenium et Sigerium habes in ore, ut aulicis familiariter uti videaris. Gallice vox *pur* eodem sensu aliquando sumitur; *en pure perte*, etc. etc. Cicero, lib. IX, ad Atticum, epist. 15, in fine: « Dolabella suis literis idibus Martii datis *merum* bellum loquitur; et Horatius, I, epist. 7: « Ex nitido fit rusticus, atque Sulcos et vineta crepat *mera*. » Sic et Martialis, lib. VII, epigr. LIII: « Semper mane mihi de me *mera* somnia narras. » Legunt alii, *Sigeriosque modos*, etc. et Raderus interpretatur orationem ad Sigerii et Parthenii aures accommodatam, qua illorum amicitiam sibi conciliare conaretur Afer. Musambertius legit, *Sigeriosque modo*, hoc est, tantum Sigerios loquitur Afer. Hic sensus in primum cecidit.

10. *Ardelione*. Is nempe est, qui totus occupatur in nihil agendo, qui ubique et nusquam est. Vid. Phædri, lib. II, fab. 4. — *Sene*. Senes, experientia edocti, vanas spes et amicitiae acquisitiones effugere debent. Id faciant sane juvenes, quibus adhuc Fortuna non imposuit.

## LXXX.

AD MATHONEM.\*

HOSPES eras nostri semper, Matho, Tiburtini.  
Hoc emis : imposui ; rus tibi vendo tuum.

\* *Ad Maronem* inscribitur in cod. Scriverii.

1. Codex Vat. *semper, Maro, Tiburtini.* — *Hospes eras*, etc. Tam sæpe ventitabas in meam villam Tiburtinam ut tua dici posset ; itaque decepi te, dum eam tibi vendidi, quæ tua jam erat, nempe usu ipso, quum uteris illa gratis. — *Matho.* Vide epigr. sequens. — *Tiburtini.* Tibur, hodie *Tivoli* ; Tiburtina vero villa, teste Ortelio,

dicitur hodie *Villa Hadriani.* Vid. supr. epigr. LVII, LX et LXII.

2. *Hoc emas* in codice Vaticano ; *jus tibi vendo.* in codd. Florent. et Pulman. — *Imposui.* Te fefelli. Videatur supra, epigr. XL, vs. ult. ED. — *Tuum.* Seneca, epistola LXXIII : « Effrare mihi videmur. Stulta avaritia mortalium possessionem proprietatemque discernit, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est. »

## LXXXI.

IN MATHONEM.\*

DECLAMAS in febre, Mathon : hanc esse phrenesim

\* Loquacem Mathonem quemdam insectatur, qui nec sanus, nec æger unquam cessabat loqui, et in medio febris ardore summo conatu declamabat. Hoc epigramma, ut et LXXXIV, Janus Rutgers. abdicat Martiali.

— *Ad Maronem febricitantem* in codice Thuan.

1. *Maron* Thuan. et Florent. et sic in versu sequenti et v. 6. — *Mathon.* De quodam Mathone causidico loquitur Juvenalis, Sat. I,

vs. 32 : « Nam quis iniquæ Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se, Causidici nova quum veniat lectica Mathonis Plena ipso ? » Forsan non idem est : forsan et nomen ab utroque fictum ; hoc putat Ramiresius, quum nulla sit apud historicos mentio Mathonis, nec adeo incautus fuisset Juvenalis ut divitis causidici iram concitaret, vero nomine ejus prolato. — *Phrenesim.* Furorem, insaniam, quam Veteres putabant phrenibus affectis ortam.

Si nescis, non es sanus, amice Mathon.  
 Declamas æger, declamas hemitritæus.  
 Si sudare aliter non potes, est ratio.  
 Magna tamen res est. Erras; quum viscera febris 5  
 Exurit, res est magna tacere, Mathon.

2. *Non es sanus.* Ludit in voce sanus, quod tam ad corporis quam ad animi valetudinem accommodatur, ut supr. de Zoilo, lib. XVI.

3. *Hemitritæus.* Ἡμιτρίταιος, *semitertianus*: hoc est, semitertiana febre laborans; lib. XII, epigramm. xcvii: « Cui gravis et fervens hemitritæus erat. » Subauditur πυρετός: febris vero semitertiana est tertiana imperfecta, et accedens ad quotidianam; quod citius recurat quam vera tertiana: id est, ex utroque febrili die in uno accessum anticipet. Vid. et lib. II, ep. xl, vs. 1.

4. *Est ratio.* Videtur esse justa ratio, si declamas ut sudorem valetudini utilem provocas.

5. *Magna tamen res est.* Excusat se Matho: Magnum est, inquit, id est arduum et laudabile, posse in medio morbo declamare; hoc vires ingenii et pulchrum ad eloquentiam impetum denotat. Vehementer falleris, respondet Martialis; longe est difficilius et sanius in media febre tacere posse: pars furoris et morbi est tunc vociferari. Quum vehementi febre laboras, summis in doloribus nec clamare nec ingemiscere difficile est. Vel sic intellige: Res magna non est in febre declamare; hoc enim phrenesim, seu insaniam notat: at vero tacere, quod est argumentum sanæ mentis, res est sane ardua.

## LXXXII.

## DE FABULLA.

EPIGRAMMA nostrum quum Fabulla legisset,  
 Negare nullam quo queror puellarum,  
 Semel rogata bisque terque neglexit  
 Preces amantis. Jam, Fabulla, promitte;  
 Negare jussi, pernegare non jussi. 5

1. *Epigramma.* Supra, istius libri epigr. lxxi.

3. *Semel rogata bis terque* in Ald. Junt. et Colin.

4. *Promitte.* Nam lib. I, epigr. lviii, « Nolo nimis facilem, dif-

ficilemque nimis ». Vid. et epigr. xxxviii supra, et multa alia.

5. *Pernegare non jussi.* Sic enim dicit lib. IX, epigr. lxxix, vs. 10: « Nam vigilare leve est, pervigilare grave. »

## LXXXIII.

AD RUFUM.\*

Hos quoque commenda Venuleio, Rufe, libellos :  
 Imputet et nobis otia parva, roga ;  
 Immemor et paulum curarum, operumque suorum,  
 Non tetrica nugas exigit aure meas.  
 Sed nec post primum legat hæc, summumve trientem ;  
 Sed sua quum medius prælia Bacchus amat.

\* Rufo, ad quem epigrammata multa scripsit (vide lib. II, epigr. XI, XXIX et XLVIII; lib. IV, epigr. XIII, etc.), librum tertium Noster miserat (vide lib. III, epigr. c), eum rogando (lib. III, epigram. xcvi) ut caveret ne legeretur a Chione: nunc eidem mittit librum quartum, et aliud rogat, scilicet ut Venuleio tertium quartumque libellum epigrammatum commendet; quod ut faciat tempus ad eos legendos aptissimum et legendi modum ei definit. ED.

— *Ad Ruffum* in edd. vett.

1. *Hos quoque*. Duos, tertium et quartum; vid. infr. vs. 7.

2. *Pulmanni codex rogo*. — *Imputet et nobis*, etc. Roga ut aliquid otii tribuat eis legendis, id beneficium ab eo me putabo accepisse: hoc in beneficii loco ponam; mihi ab illo imputari patiar. — Est gallice aliquid simile quum dicimus: *Faites-moi la grace de*, etc. ED.

4. *Non tetrica nugas exigit*, etc. *Æquus iudex et candidus legat*; non severa audiat aure, nec rigida censura ad amussim et perpendi-

culum metiatur et examinet carmina hæc nugatoria, ducta metaph. ab architectis vel statuariis. Unde *exacta opera*, pro perfectis: pro quo Plautus *amussitata* dixit, quasi ad amussim exacta. Vide lib. III, epigr. LXXX, vs. 3.

5. *Sed nec post primum*, etc. Non tamen libellos legat Venuleius post primi scyphi haustum, initio mensæ, quum nondum erit hilaris et incaluerit mero; nec post ultimum, quum jam, finita cœna, videtur alacritas convivii friguisset; sed in medio convivio, quum se poculis invitant mutuis ac impetunt certantes vino et jocis convivæ. — *Trientem*. Triens, sic appellatus a vocabulo *tres*, quia tertia pars est sextarii, continet quatuor cyathos; hic ponitur pro quovis poculo: de divisionibus sextarii vide lib. I, epigr. xxviii, vs. 2. ED.

6. *Prælia*. Mutuas ad bibendum convivarum provocationes. Lib. IV, epigramm. viii: « Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum; Temperat ambrosias quum tua cura dapes; Et bonus æthereo laxatur

Si nimis est legisse duos; tibi charta plicetur  
 Altera : divisum sic breve fiet opus.

nectare Cæsar Ingentique tenet pocula parca manu. » Vid. et lib. III, epigr. LXVIII, vs. 5 et 6. ED.

7. *Si nimis est legisse duos.* Si duo libri videbuntur longiores, alterum sepone, et ab altero divide, ut alio tempore offeras Venuleio.

Sic lib. X, epigr. 1 : « Si nimius videor, seraque coronide longus Esse liber; legito pauca, libellus ero. »

8. Junt. nostra in margine pro *breve*, exhibet *leve*; et Beverlandi MS. *onus pro opus*.

## LXXXIV.

IN NÆVOLUM.\*

SECURO nihil est te, Nævole, pejus; eodem  
 Sollicito nihil est, Nævole, te melius.  
 Securus, nullum resalutas, despicias omnes;  
 Nec quisquam liber, nec tibi natus homo est.

\* Est epigramma in eundem istum Nævolum, qui nunquam Martiali dicebat Ave, sed tantum semper reddebat. Ait Poeta eum pro rerum suarum eventu modestum vel arrogantem se ostendere. Quum enim nullis premeretur curis, despiciebat cunctos; quum vero sollicitus esset, omnibus se submittebat. Sic de Caligula Passienus : « Nemo fuit servus melior, nemo dominus deterior. »

1. *Securo.* Securus dicitur qui est sine cura. Sic Virg. *Æn.* lib. I, de Pygmalione : « Securus amorum Germanæ », id est, nihil curans sororis in maritum amorem. »

3. *Resalutas.* Priorem salutare confitentis erat se inferiorem esse salutato; reddere autem Ave, vel

resalutare erat officium superioris; unde in hoc versu, lib. X, epigr. LXX, vs. 5 : « Nunc resalutantes video nocturnus amicos » ; *resalutantes amicos* intelligit Ramiresius amicos potentes et fastidiosos. Sic Suetonius de Nerone, cap. 37 : « Certe neque adveniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertivit, ac nec resalutatione quidem, sed vel respiciebat salutantes, vel annuebat nullo prolato verbo. »

4. Codd. Thuan. et Palat. *natus homo est*, et sic Gruter. At in Florent. Vat. et Pulm. *notus homo est*. Bodl. exhibet : « *visus nec tibi-notus homo est. Alii nec tibi gratus. — Nec quisquam liber, nec tibi natus homo est.* Omnes ut servos tractas,

Sollicitus, donas : dominum regemque salutas; 5  
 Invitas : esto, Nævole, sollicitus.

et ut indignos qui nascerentur, et vivant. — Alii : *nec quisquam visus, nec tibi notus homo est.* Id est, arroganter viam pergis, quasi neminem videres, aut nosses. Alii : *nec quisquam liber, nec tibi gratus homo est.* Scilicet nemo nec ingenuus, nec servus tibi placet. Enim vero vox *homo* significat servum : Leg. II, ff. de Usu, Usufructu, etc.

5. *Dominum regemque.* De hac salutatione vide, lib. I, epigr. cxiii. De nomine *regis*, quo Romani salutabant patronos, et viros ad di-

gnitates evectos, a quibus beneficia sperabant, vide quæ dicta sunt lib. II, epigr. xviii, vs. ultim. Vox autem *dominus*, raro privatis imperiebatur, et per summam adulationis humilitatem : videbatur usu nomini Imperatoris conjuncta ; ita ut Domitianus præcepisset hoc nomine se designari. Ed.

6. *Invitas.* Ad cœnam. — *Esto, Nævole,* etc. Faxint Superi, ut semper ærumnosus sis et negotiosus : si quidem tunc tantum futurus es modestus et humanus.

## LXXXV.

IN THAIDEM.\*

NON est in populo, nec urbe tota,  
 A se Thaida qui probet fututam,  
 Quum multi cupiant, rogentque multi.  
 Tam casta est, rogo, Thais? Immo fellat.

\* Fellatricem Thaida satis urbane carpit, quod nemo sit in urbe tota, qui probare possit a se sædatam esse, nisi sædiori deditam libidini.

— In hoc epigrammate nulla lectionis varietas deprehenditur, sive in editionibus prælo excusis, sive in codicibus manuscriptis.

1. *Probet.* Hoc est, *demonstret*; quasi nempe dicerent quidem multi se potitos Thaide, at ex hac multitudine nullus probaret. Cæterum minus usitatum hoc sensu τὸ probare.

3. *Quum multi cupiant rogentque.*

I.

In hoc versu est epigrammatis jocus : nam illud *cupiant rogentque*, etc. videri poterat ad superiora referri, quod multi cuperent eam futuere : sed reapse refertur ad sequentia, quod cupiant eam irrummare. Huic autem turpitudini præstabat obsequium, sive aliquo vitio turpi partes obscœnæ laborarent, sive, quod innuit Martialis, fellatione præ omnibus delectaretur.

4. *Fellat.* Supr. epigr. xii, et l, vs. ultimo : « nemo senex ad irrummandum. » Vide etiam, si lubet, lib. XI, epigr. l.

31

## LXXXVI.

IN PONTICUM.\*

Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice : quare?  
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

\* Inurbanitatem Pontici notat hoc disticho; qui convivis vilia, sibi pretiosa vina miscebat, et, ne fucus detegeretur, ipse poculis myrrhinis utebatur; convivis vitra porrigebat. *Ramires*. — De inhumanis convivoribus vide lib. I, epigr. XXI; lib. III, epigr. XII, XIII, XXIII, XLIX et XCIV, etc. Ed.

— In hoc epigrammate nulla lectionis varietas est in editionibus impressis, aut libris scriptis, nisi quod Beverlandi MS. vs. 2 habet *Fraudat pro Prodat*.

1. *Myrrha*. Poculis myrrhinis. Myrrha, lapidis quoddam genus; erat nitidum et odoratum, non ta-

men pellucens, ut vitrum. Hanc esse pretiosissimam Romanis confirmat Paulus, L. III, § 4, ff. de suppellectili legata: « De myrrhinis et crystallinis dubitari potest, an debeant annumerari suppellectili propter eximium usum et pretium. » Itaque de invido quodam Noster, lib. X, epigr. LXXX: « Plorat Eros, quoties maculosæ pocula myrrhæ Inspicit. » De Myrrha vid. quæ adnotavimus lib. III, epigr. XXVI, vs. 2; et lib. XIV, epigr. CXIII.

2. *Duo vina*. Vile quod bibimus; generosius quod potas. Vide lib. X, epigr. XLIX, de Cotta similiter duo vina apponente.

## LXXXVII.

AD LIBRUM SUUM DE APOLLINARI.\*

Si vis auribus Atticis probari,  
Exhortor, moneoque te, libelle,

\* Librum suum alloquitur, hortaturque ut placeat Apollinari, viro eruditissimo; quem quidem hoc epigrammate, et lib. VIII, epigr. XXVI, tam æquum judicem certumque Aristarchum esse ait, ut quem laudaverit libellum, is omnem laudem sperare possit, aut

saltem aliorum judicia contemnere; quem vero damnaverit, is sine dubio igne aut litura dignus. Ed.

— *Ad librum suum* in edd. vett. Cætera, nulla est lectionis varietas.

1. *Atticis*. Politis, delicatis. Prisci enim Athenienses præter cæteros urbaniores, et elegantiori le-

Ut docto placeas Apollinari.  
 Nil exactius, eruditiusque est,  
 Sed nec candidius, benigniusque;  
 Si te pectore, si tenebit ore,  
 Nec ronchos metues maligniorum,  
 Nec scombris tunicas dabis molestas.  
 Si damnaverit, ad salariorum

pore venustiores censebantur. Lege librum qui tribuitur Ciceroni, de optimo genere oratorum.

4. *Nil exactius*, etc. Qui, ut apprimè exacti est iudicii et eruditionis ad examinandum, ita miri candoris et benigni ingenii ad approbandum. — *Exactius*. De hac metaphora vide quæ diximus supra epigr. LXXXIII, vs. 4. Ed.

6. *Si te pectore*, etc. Si te complectetur ac deponet in sinum. *In sinu ferre*, quod hic eodem sensu ac gallice, *savoir par cœur*; alias sumi metaphoricè pro *carum habere* diximus lib. II, epigrammate VI, vs. 7, quod quidem et aliis in locis notandum. Vid. lib. III, epigramm. VI, vs. 7, etc. Ed. — *Si tenebit ore*. Si oculis avidis, et quasi ore toto te leget ac vorabit; vel si tibi basia dederit. Vid. lib. I, epigramm. IV, vs. 7. Ed.

7. *Nec ronchos metues*, etc. Sensus est: Tum abunde tutus eris, et extra plebei iudicii aleam contemptumque positus; censuræ haudquaquam patens, quum nemo possit carpere quod Apollinaris laudandum iudicaverit; vel ejusdem approbatione te consolaturus, si quis censor adfuerit. Ed. — *Ronchos*. Subannationes. Ronchus est sonitus qui editur naso a stertentibus, quo sæpe utuntur qui quid contemnunt,

quasi significant adeo ineptum illud esse, ut malint stertere, quam id videre vel audire. Vid. lib. I, epigramm. IV, vs. 5.

